


P. OVIDII NASONIS

FASTORVM LIBRI SEX

EDITORE ET INTERPRETE

R. MERKELIO.

BEROLINI
SVMPTIBVS G. REIMERI
MDCCCXLI.



CLARISSIMO · ET · MAXIME · VENERABILI · VIRO

IO · ALB · FRID · EICHHORN

IN · REGNO · BORVSSICO · RERVM · AD · RELIGIONIS

CVLTVM · INSTITVTIONEM · PVBLICAM · ET · ARTEM

MEDICAM · PERTINENTIVM · SVMMO · PRAESIDI

EA · QVA · PAR · EST · VERECVNDIA

CRITICAE · ARTIS · TENVE · MONIMENTVM

DEDICAT · ATQVE · CONSECRAT · AVCTOR

DE OBSCVRIS OVIDII FASTORVM.

§. 1.

Quae ad hoc carmen ea potissimum forma, qua editur a nobis, intelligendum necessaria sunt, his plagulis comprehendentur, quantum quidem praestare possum et expectari par est, omnia. Neque enim aut ab aliis disputata uolebam repetere, aut nihil ignorare poteram. Quaestionum, quas de rebus uerbisque obscurioribus instituì et in locos capitaque descripsi, corpus data opera non effeci, cinnus quidam ultro extitit, raro sufficiente aliorum opera et militante interdum in armis solidioris grammaticae coniectura: eumque ordinem, qui neque latebit quemquam, neque remorabitur a primis ad ultima pergentem, intactum reliqui. Ita enim quia exordii causa et ratio in fine est, non habeo opus aditum ad illud munire. Notum est interpretatum esse Ouidium fastos et enarrasse: ea enarratio nisi cognita illa re, quae enarratur, non magis intelligetur, quam haec, quae nunc scribimus, ab eo, qui carmen Ouidii nunquam legit. Itaque cum nonnihil mutatum in fastis publica auctoritate Ouidii aeuo dicatur, id cuiusmodi fuerit, cognoscendum est, siue ad Ouidium pertinet, siue non pertinet. Nam si non pertinet factumque est posteaquam carmen poeta composuit, seorsum a quaestione quaedam sunt habenda: si uero pertinet, uidendum est, fueritne ea re potissimum ad scribendum auctor permotus. Quae igitur de Augusto tradita inueni, haec sunt, primum Sextilem mensem in eius honorem appellatum esse Augustum ex S. C., cuius uerba extant apud Macrobium Sat. 1, 12, anno V. C. 746 testante Dione Cassio 55, 6; de qua re ualde errauit Fogginius Fast. Praen. p. 125; deinde ipsum errorem in intercalando iam ueterem sustulisse sexto et tricesimo anno post Caesarem dictatorem, hoc est V. C. 746, Macr. 1, 14 Suet. Oct. 31; tum ludos perennes, hoc est, qui in fastos referrentur, eius natali die decretos item anno 746 secundum Dionis locum indicatum; quartum, ab eo certos dies senatui habendo constitutos esse, narrantibus Suetonio c. 35 et Dione 55, 3, qui

anno id factum tradit V. C. 745; quinto loco aut edicto eius, aut legibus iudiciariis Saturnalia in triduum producta esse; utrumque enim dicit Macrobius 1, 10 init. et fin. et utroque modo id iuberi potuit, edicto, ut opinor, pontificio (uide Vaassenii Animaduers. ad fast. sacr. p. 68 sq.), non ergo antequam anno V. C. 741 pontificatus maximus ad Augustum deferretur: leges autem Augusti iudiciariae cui anno assignandae sint, ignoro cum Ictis. Nouissime Suetonius c. 32 memoriae prodidit Augustum dies ultra triginta ludis honorariis occupatos actui rerum accommodasse: quod et ipsum probabile est in legibus iudiciariis extitisse. Hoc cum factum dicit Vaassenius p. 290 anno V. C. 746, opinionem suam posuit, nusquam enim de tempore quicqnam proditur, quae tamen a uero non longe abesse uidetur. Certe neque plus quinquennio ante Augusto in tot dies nefastos ius fuit, neque multo post eos e fastis exemptos putauerim hoc argumento. Causa augendorum dierum fastorum, siue comitialium eadem fuerit oportet, quae etiam augendi iudicum numeri, quod eodem loco Suetonius habet, et extruendi fori Augusti, de quo Sueton. c. 29, uidelicet litium et iudiciorum multitudo. Ea res adeo urgebat, ut forum ante quam oportuit, hoc est, antequam Martis Vltoris in eo templum dedicatum esset publicaretur, Suet. c. 29 Dio Cass. argum. libri 55, et tamen tarde id confieri quereretur Augustus et accusari a Cassio Seuero optaret, ut absolui posset, Macr. Sat. 2, 4. Atqui loci angustiis quanto molestius res forensis premebatur, tanto maturius tempus iudiciale relaxari oportebat et sine negotio poterat. Iam uero templi Martis dedicationem incidisse in consulatum Augusti decimum et tertium, annum V. C. 752, apparet ex Dione Cassio 55, 10 pag. summa 359 Sturz. Fori inter eum annum et secessum Tiberii in Rhodum anno 748 publicati mentionem lacuna hausit. Tamen ratio ista eatenus satisfacit, ut ne quid obstare uideatur, quin circa annum V. C. 746 istas res omnes gestas esse et de fastis meruisse Augustum dicamus. Statim ex primo autem, quod posui, intelligis id factum esse antequam Fastos Ouidius scriberet: Augustum mensem enim appellat 5, 147. Ac nescio an ex eo, quod secundo loco legisti, locutio eius illa notabilis explicanda sit 3, 165:

in lustrum accedere debet
Quae consummatur partibus una dies.

Nouo nimirum modo hoc dictum est: quasi enim non satis esset interpretes in *quinquenni olympiade*, lustro non breuiore, laborare Trist. 4, 10, 95, 96; Pont. 4, 6, 5, 6, hic rursus lustrum est quatuor annorum πενταετηρίς. Verum quia quod Caesar dict. edixerat,

quarto quouis anno esse intercalandum, perperam acceptum fuerat a Lepido in eum modum, quem in modum apud Romanos *Sarmates cibum capere diebus tertiis, medio abstinere, febris quartana biduo interuallari, trinundinum* septendecim dierum esse dicebatur, uide Macrob. loc. ind., Augustus fortasse suo in edicto posuit *quinto quouis anno*, quo rectius triennii interstitium seruaretur, quod deinde suo uel iure, uel more (uid. 2, 686 de VI Kl', 6, 247 de VI Id., 6, 795 de III Kl' Iul.) reddiderit Naso *in lustrum*. Nam ne errasse eum contrario, atque olim Lepidum modo putemus, qui fortassis ista scripserit cum duodecim annis intercalatum non est, facit unus uel alter idoneae aetatis liber, qui uers. 163 *tempora quarta* tuetur, ut librarii potius lustri appellatione decepti *quinta* maturo reposuisse uideantur.

Iam quando intellectum est ab Ouidio aliena non esse quae de Augusti fastorum ordinatione commemorauimus, immorandum est huic quaestioni et de iis accuratius introspiciendum, quae quam uim in fastorum mutandam formam habuerint, adhuc ignoratur. Reliqua satis perspicua sunt apud ipsos scriptores, quorum locos indicaui, praeter ea, quae quarto et sexto loco posui, de quibus cum sententiam dixero, satisfactum erit huic quaestioni de fastis ab Ouidio usurpatis, nisi forte ista qualiscunque notitia utilis erit ad luculentiora adiumenta eruenda. Dies igitur senatorii num ad fastos tabulis perscriptos pertinuerint, potest quaeri, uel adeo debet: nam hoc ipsum, si omissi fuerint in fastis ab Augusto ordinatis, singulare in his fuisse potest, cum in aliis extent, et potest hanc ob causam Ouidius eos dies praetermisisse, quod fecit. Poterant etiam omitti, si tam simplici regula continebantur, uti est apud Suetonium c. 35: *et ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur, Kalendis et Idibus*, quicum satis bene conuenire uidetur Dio l. ind.: *τάς τε τῆς γερουσίας ἕδρας ἐν ῥηταῖς ἡμέραις γίγνεσθαι ἐκέλευσεν. ἐπειδὴ γὰρ οὐδὲν πρότερον ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν ἐτέτακτο καὶ τινες διὰ τοῦτο πολλάκις ὑστέριζον, βουλὰς κατὰ μῆνα κυρίας ἀπέδειξεν, ὥστε ἐς αὐτὰς ἐπάναγκες οὕς γε ὁ νόμος ἐκάλει, συμφοιτᾶν. καὶ ὅπως γε μηδ' ἄλλη μηδεμία σκῆψις τῆς ἀπουσίας αὐτοῖς ὑπάρχῃ, προσέταξε μήτε δικαστήριον μήτ' ἄλλο μηδὲν τῶν προσηκόντων σφισὶν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ γίγνεσθαι.* Satis, inquam, conueniunt haec cum Suetonio, quamquam quo magis conueniant, licebit legere *ὑστέριζον, β' βουλάς*, uti suadet Casaubonus. Sed nescio, num quis animaduerterit *ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ* posse indicare eam diei partem, qua fas erat conuenire senatum. Certum enim tempus definitum fuisse tunc ab Augusto, fidem faciunt

quae de Tiberio Dio tradit 58, 21: *σφόδρα γὰρ ἐπιμελὲς ἐποιεῖτο ἀεὶ σφᾶς ὁσάκις ἂν καὶ καθήκῃ συνιέναι, καὶ μήτ' ὀψιαίτερον ἀπαντᾶν τοῦ τεταγμένου, μήτε πρωϊαίτερον ἀπαλλάττεσθαι.* Id uero tempus a primo mane fuisse uidetur secundum Dionem eod. lib. c. 9: *καὶ ἀναβὰς ἅμα τῇ ἕῳ ἐς τὸ παλάτιον· τῆς γὰρ βουλῆς ἕδρα ἐν τῷ Ἀπολλωνείῳ γενήσεσθαι ἔμελλεν* — et c. 11: *ὃν γὰρ (πρότερον,* omni superiori tempore) *τῇ ἕῳ πάντες ὡς καὶ κρείττω σφῶν ὄντα ἐς τὸ βουλευτήριον παρέπεμψαν* —. Moneo hoc de intelligendo *καιρῷ* nunc ipsius Dionis causa, apud quem proxime ante illa 58, 21 legitur: *ἀλλά τά τε ἄλλα καὶ ἡ βουλὴ καὶ τότε καὶ συνήχθη καὶ ἐδίκασεν*, quod de legitimo senatu esse intelligendum ipsa illa, quae sequuntur, docent. Quod igitur superiori illo loco 55, 3 Dio dixisse uidetur, hoc est, Augustum senatum conuenire uoluisse iis diebus, dierumue horis, quibus iudicia in foro nulla essent obeunda. Aliud nunc mittamus, utrum eos dies ita comparatos inuenerit, an, quod Dio indicare uidetur, tales reddiderit: illud notum est, diem, qui iudicia non admittat, esse nefastum, et qui mane tantum non admittat de eo genere esse, quod Ouidius 1, 50 demonstrat; nefastos priores docti appellarunt. Fuerunt igitur in Augusti fastis Kalendae et Idus omnium mensium dies aut nefasti, aut nefasti priores. Hoc non est insuper habendum: caeterum inutile est quaerere, num uni cuiuis ex illis diebus ascriptum fuerit SEN. LEG., uel simile quid; otiosus aliquis quadratarius, uel caelator appinxerit, sed senatores meminerint, ad quos quia solos pertinuit Ouidius neglexit. Verum enim uero sunt, qui aliter iudicent: Suetonium cum Dione neque posse componi, neque oportere; corruptum esse illum per librarios, qui uerba *Kalendis et Idibus* addiderint, eius rei argumento esse quod in scriptis quibusdam libris legatur *scilicet Kalendis et Id.*; Idus non potuisse omnes senatui agendo aptos esse, quia ipse olim inter triumuiros Octauianus edixerit narrante Dione 47, 19, ut Idus Martiae, quibus usque eo senatum haberi solenne fuisset, inter atros dies essent; Kalendas, quia nefastae pleraeque notentur in fastorum, quae restant, fragmentis, idoneas non fuisse; binos, sed non statos cuiusque mensis dies Augustum senatui habendo destinasse eosque et debuisse in fastis perscribi, et perscriptos extare in fastis Herwartianis, siue Lambecianis, compositis Constantio Imperatore saeculo post Chr. quarto. Ita disputauit Iac. Vaassenius Animadu. in fast. sacr. p. 237—244, cui assentitur Sturzius ad Dion. loc. ind. Vix ueri speciem in ea opinione agnosco. Vocula *scilicet* si in omnibus, uti reliqua, libris esset, ipse Suetonius uti poterat, usus enim est Oct.

c. 29; triumuirorum decreta Octauianus teste Dione 53, 2 anno 726 V. C. δι' ἑνὸς προγράμματος κατέλυσε, idque anno antequam a senatu populoque Augustus et ab Horatio expiator sceleris appellaretur, ut fortasse tunc Iduum Martiarum, natalis Antonii (Dio 51, 19), aliorum atrorum dierum, qui ad ius pontificium certe nunquam pertinuerunt, desierit religio; cum negatur diebus, qui sacrificii causa nefasti fuerint, unquam uel ante, uel post Augustum senatum esse conuocatum, esto tales non fuisse V Id. Apr., III Id. Mai., qui ex Ciceronis epistolis adhibentur: uerum ibidem 12, 25 lego Quinquatribus frequentem senatum fuisse, isque dies nefastus est in uetustissimis, quae ad nos peruenerunt, tabulis Maffeana et Praenestina: illud uero ridiculum est, cum in ipso calendario Lambeciano Kalendis Iuliis, nefasto die, senatus legitimus deprehenditur, idque excusatur propter minorem rei sacrae, quae tum facta sit, sanctitatem; quod de reliquis quoque nefastis Kalendis dici poterat. Maxime etiam id a disertis Dionis uerbis abhorret, quod plurimis diebus totis fastis, uel comitialibus senatus habitus foret, si credibile esset ab Augusti inde tempore ad Constantii aetatem nihil mutatum fuisse in ea re; quod ne animum inducamus, monent Gellii uerba 4, 9: *ante legem, quae nunc de senatu habendo obseruatur.* Velim ergo damnari istam Vaassenii sententiam et quae supra exposui recte exposita existimari, nec offendi in eo, quod non modo nefastis diebus, sed etiam nefasta dierum parte et nunquam non inter sacra Kalendaria Iduliaque senatus conuenit, siquidem in ipso senatu rem sacram thure meroque fieri iussit Augustus, Suet. Oct. 35, Dio 54, 30. Video contra ea afferri posse Dionis locum 56, 41: ἐν μὲν ταῖς ἑορταῖς καὶ τὸν δῆμον οἴκαδε προσδεξαμένου, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἡμέραις καὶ τὴν γερουσίαν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ἀσπασαμένου. Esto, siue ἑορτὰς intelligas *dies festiuos*, siue *ferias*, siue *sacras celebritates*, Kalendas et Idus aliquando iis appellationibus notatas fuisse, Gell. 2, 24, Macr. 1, 15: dubium tamen uix est, quin illos maximae dignationis et totius populi ferias innuat Dio, quales Quinquatrus, quae apud Varronem de l. l. 6, 3 sqq. enumerantur, quaeque in fastorum tabulis magnis litteris iuxta litteras nundinales scriptae sunt. Iis olim senatum habitum esse uno exemplo docui: Augusti aetate senatum legitimum non fuisse apparet, cum Matronalia ne apud Varronem quidem, Quinquatrus minusculae nulla in tabula compareant.

Pergo ad alterum, quod Suetonius tradidit Augustum amplius triginta dies ludis honorariis occupatos actui rerum permisisse. Necesse est intelligamus, qui illi dies sint. Prouocant interpretes ad Pauli Diaconi locum p. 102 ed. Muell.: *Honorarios ludos, quos et*

Liberalia dicebant. Nouissimus editor docet id ita esse intelligendum, ludos honorarios Liberalibus potissimum edi consueuisse. Gratum foret tam certa fide unum saltem de triginta istis diebus innotescere, sed metuo, ne aliud quid Festus dixerit. Notum esse opinor Tertullianum plurimum Festo usum esse, et expectaueram ad istud Pauli lemma ut apponerentur illa eius de spectac. c. 1: *nam et cum promiscue ludi Liberalia uocarentur*, uel c. 6: *nam et alios ludos scenicos Liberalia uocabant praeterquam Libero deuotos.* Hinc tria efficiuntur, Festum uel Verrium nihil noui docuisse de Liberalibus, quae erant XVI Kl' Apr., sed illud nomen aliquo argumento, uel exemplo generale existimasse, denique honorarios Festi uel Verrii aetate appellatos esse ludos uel omnes, uel scenicos omnes. Haec seponenda sunt tantisper, dum aliunde lucem accipere poterunt. Casaubonus Suetonii uerba intelligit de ludis, quos noui magistratus sponte sua ad demerendum populum et ambitionis causa ediderint, quos ludos *spectacula priuata* dixerit Suet. Ner. 21 et Lamprid. Elag. 23. Eandem sententiam, omissa tamen ludorum priuatorum mentione, qui mos sub Augusto inualuit, Dio 56, 27, sed alienus est ab hac re, perscriptam inuenio a Vinando Pighio in commentario de fastis sacris inedito his uerbis: *Prout enim quisque nouo magistratu uel honore erat insignitus, ludos ex sua magnificentia popularis aurae captandae gratia per aliquot instruebat dies. Quam causam esse putamus, ut et Liberalia alio nomine Festo auctore dicerentur, quod noui honoris initio ex libera seu mera potius liberalitate exhiberentur.* Fatendum est post Augusti mortem tales ludos ab omnibus fere magistratibus factos et aliquando quotannis: statum tempus ludorum consularium a Symmacho epp. 7, 4 a Kal. Ian. ad Non. Febr. tradi, quod cum tunc non triginta dies fastos habuisse constet, nihil sane impedit, quominus aliis magistratibus alii dies concessi fuerint. Ante Augustum uero nullo plane testimonio euincitur ludos impetrati honoris causa aut ab omnibus magistratibus, aut ab ullis quotannis, statoue tempore, aut diebus propter eam causam olim nefastis exhibitos fuisse: immo, diebus iis, quibus Pompeii iterum consulis ludi fiebant, Cicero ad fam. 7, 1 causam se egisse narrat. Itaque Ernestius a Suetonio statos et solemnes ludos designari intelligens coniecit honorarios ludos eos fuisse, qui non antiquis legibus constituti fuissent, sed recentioribus temporibus accesserint ad honorandam memoriam uirorum bene meritorum. Hic aliquid uidit de discrimine ludorum, qui in fastis notari consueuerunt; sed falsam etymologiam aucupando rem peruertit meo iudicio. Videbis quo rem deducam, malo enim probabiliora proferendo, quam

contra disserendo istam opinionem euertere. Ludorum statorum et perennium nunquam non uaria fuerunt genera: qui antiquissimi erant, distingui poterant a magistratibus, qui eos edebant, praetores gladiatorios Quinquatribus et Apollinares, aediles curules Megalenses, aediles plebeii Cereales, Romanos, Plebeios, Florales. Distincti etiam sunt inter illos ludi sacri, quibus epulum parabatur, Dio 51, 1, quod fieri solitum scimus Romanis et Plebeiis, et fortasse Megalensibus, nisi hoc quoque ad posteriora pertinet tempora. Nec nego potuisse aliquot ex illis signari honorariorum ludorum nomine: scimus enim *ius honorarium* dictum esse, quod proficiscebatur a praetoribus et aedilibus curulibus, Theophil. lib. 1. tit. 2. §. 7: *ἐλέγετο δὲ ἡ τούτων νομοθεσία* ius honorarium, *ἐπειδὴ εἰς τὴν τιμὴν τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν τιθέντων ἐκράτει ταῦτα καὶ ἐπολιτεύετο. καὶ οἱ αἴδιλες οὖν ἐνομοθέτουν περί τινων κεφαλαίων καὶ τὸ τούτων ἔδικτον μέρος γέγονεν ἤτοι συνήφθη τῷ ἐδίκτῳ τῶν δύο πραιτόρων.* Fuerint ergo Quinquatrus Apollinares et Megalesiaci ludi honorarii. Verum neque ex eorum omnibus diebus numerus a Suetonio traditus confieri potuit, si illam appellationem propagatam putemus ad Augusti tempora, neque ullo testimonio probatur illam Varronis, uel Ciceronis aetate in usu fuisse. Simplicior tunc ludorum ratio nondum id discrimen requirebat. Nam praeter illos antiquissimos, de quibus infra ad fragmenta libri IX et X rerum diuin. agetur, in fastos ante Caesarem dictatorem nulli relati erant, praeter ludos uictoriae Sullanae, de quibus Vell. 2, 27. Posthac eiusdem modi plurimi propter utriusque Caesaris res gestas introducti sunt in fastos. Propter nuntium de uictoria Caesaris Hispaniensi anno V. C. 708 acceptum Dione teste 43, 42: *τὰ παρίλια ἱπποδρομίᾳ ἀθανάτῳ, οὔτι γε καὶ διὰ τὴν πόλιν, ὅτι ἐν ἐκείνοις ἐκτίσθη, ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος νίκην, ὅτι ἡ ἀγγελία αὐτῆς τῇ προτεραίᾳ πρὸς ἑσπέραν ἀφίκετο, ἐτιμήθη.* Hi igitur ludi stati et perennes esse debebant. Fuisse etiam illos, quos Caesar ante pugnam Pharsalicam Veneri Victrici uouerat, ac primum egerat anno 708, uid. Dion. 43, 22, inde cognoscitur, quia anno 720 narrante Dione 49, 42: *τὴν πανήγυριν τὴν τῇ Ἀφροδίτῃ τῇ Γενεθλίῳ τελουμένην οἱ ὕπατοι ἐποίησαν.* Hos ludos olim a collegio curatos fuisse tradit Dio 45, 6 (coll. Plin. N. H. 2, 25) et a ludis uictoriae Caesaris, quos mense Iulio posthac factos et ipse indicat c. 7, et fastorum tabulae tres apud Foggin. p. 111 docent, discernere uidetur. Atqui diuersos non fuisse docet Suet. Caes. 88, Oct. 10. Olim igitur celebratos puto inde a IX Kl' Sextiles, anno V. C. 710 aliquot dies, et alterum illud nomen additum ab Octa-

uiano eam ob causam, quod posthac propter reliquas Diui Caesaris uictorias feriae quidem agendae essent, ludi uero ad eorum exemplum, quos Parilibus propter Hispaniensem uictoriam olim institutos, sed tunc primum neglectos Dio testatur, omitterentur. Nam ex eo ipso, quod Dio 45, 7 qui *ludi* essent, *ἱερομηνίας ἐπινικίους* dixit, argumentum duxerim, dum Caesar uiuit, reliquas quoque eius singulas uictorias, quibus in posterioribus fastis feriae notantur, propter Iubam deuictum, Alexandriam captam aliasque res gestas, ludis consularibus honoratas fuisse. Decretum enim fuit *ἱερομηνίαν ἐξαίρετον, ὁσάκις ἂν νίκη τις συμβῇ, καὶ θυσίαν ἐπ' αὐτῇ γίγνεσθαι*, Dio 43, 44. Increbuit is mos sub Octauiano. Anno 714 *ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς τοὺς σφαγέας εὐχθεῖσα ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἐποιήθη*. Ludos uotiuos propter reditum Augusti 746 anno sequenti fecerunt Piso consul et Caius Caesar loco Tiberii consulis, Dio 55, 8. Esto, hos semel tantum fortasse editos esse, exemplo esse possunt, ne ludi, Augustalibus qui fieri coepisse uidentur inde ab anno 734, Dio 54, 34, propter alium reditum Augusti, ante eius mortem ab aliis, quam consulibus, factos putes. Post eius obitum honoris causa praetori urbano mandati sunt, Tac. ann. 1, 15. Verum ludi natalitii Augusti semper a consulibus fiebant, diserte tradente Dione 56, 46: *καὶ τὰ γενέσια οἱ ὕπατοι ἐξ ἴσου τοῖς Ἀρείοις ἀγωνοθετῶσι*, ubi falluntur interpretes de *Ἀρείοις* illis; sunt enim ludi perennes, qui in fastis notantur, Martis Vltoris, item consulares, nam Dio 55, 10 ita: *τῷ τε Λουκίῳ καὶ τῷ Γαΐῳ πάντα καθάπαξ τὰ τοιαῦτα ἐπιτρέψας ὑπατικῇ τινὶ ἀρχῇ κατὰ τὸ παλαιὸν χρωμένοις*, ubi item praeter rem nescio quid de pontificali et augurali utriusque dignitate monent. Consules Caligula reprehendebat, quod uictoriam Augusti de Antonio ex more celebrassent, Dio 59, 20. Denique idem cum narrat anno 799, 60, 27: *Ἀσιατικὸς δὲ ἀπεδείχθη μὲν ὡς καὶ δι' ἔτους ὑπατεύσων, οὐ μέντοι καὶ ἐποίησε τοῦτο, ἀλλ' ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ἐθελούσιος, ὃ καὶ ἕτεροί τινες ἔπραξαν. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ὑπὸ πενίας, τὰ γὰρ ἀναλώματα τὰ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις γιγνόμενα ἐπὶ πολὺ ἐκεχωρήκει* —, quorsum euaserit illud ludorum consularium genus, olim incognitum, ostendit. Intelligis hoc genus ipsa nouitate, nam ludi uictoriae Sullanae quoque non adeo ueteres erant, tum quod a solis consulibus procurabatur, ab antiquis illis ludis ad diuersos magistratus pertinentibus differre, caeterum celebritate et dignitate paene aequiparare eosdem. Iam uero, quo tempore hoc consulare genus maxime uigebat, illud quoque uetustius remotis aedilibus curulibus plebeiisque solis praetoribus committi coepit. Quod claris uer-

bis tradit Dio institutum esse anno 726, lib. 53, 2: οὕτω γὰρ δὴ πολλοὶ σφῶν πένητες ἐγεγόνεσαν, ὥστε μηδ' ἀγορανομῆσαί τινα διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἀναλωμάτων ἐθελῆσαι, ἀλλὰ τά τ' ἄλλα καὶ τὰ δικαςήρια τὰ τῇ ἀγορανομίᾳ προσήκοντα τοῖς ςρατηγοῖς — προσταχθῆναι, et confirmatum esse anno 732, lib. 54, 2: τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξεν. Credo singulos uel etiam plures ex decem, uel duodecim, uel sedecim praetoribus singulos ludos sortiri solitos esse. Druso praetori certos ludos obtigisse scribit Dio 54, 34, et uetusto more duos praetores munus gladiatorium sortitos 59, 14. Hinc igitur est, quod Dionysius Halic. 2, 19 ludos Megalenses a praetoribus editos memorat, quod Seianus et Galba praetores Florales exhibent narrantibus Dione 58, 19, Suet. Galb. 6, quod mimos praetor emere dicitur ab Ouidio Trist. 2, 508, quod erga τούς τε στρατηγοὺς καὶ τοὺς ὑπάτους sese efferunt equorum agitatores apud Dion. 61, 6. Quod cum institutum sit eo quo indicaui tempore, anno 746 duo potissimum genera ordinariorum statorum et anniuersariorum ludorum fuerunt, ueterum et recentiorum, qui aut a praetoribus, aut a consulibus curarentur, quorum alterum utrum honorarium dictum esse et dies aut omnes, aut certe eo quem Suetonius tradit numero nefastos habuisse oportet. Atqui de praetore honorato, de iure honorario supra monitum est: pignus quoque honorarium πραιτώριον ἐνέχυρον interpretantur Fabretti glossae apud Reitzium ad supra positum Theophili locum: ipse Theophilus lib. 3. tit. 13. §. 2: πραιτώριαι ἐνοχαὶ — αἵτινες καὶ ὀνοράριαι καλοῦνται. Multa alia Forcellinus suppeditat. Nihil igitur nouum, si ludi quoque praetorii nominantur honorarii. Ludi consulares, quos constet circa annum 746 celebrari solitos esse, omnes dies minus triginta habent: num eos nefastos, ignoratur. At inter praetorios ludos Romanos certe fastos non habuisse credo apparere ex Cic. ad fam. 8, 8: *M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de ui fecit*, cfr. Verr. 1, 10, §. 31: ex Quinquatribus, Megalensibus, Cerealibus, Floralibus, Apollinaribus, Romanis, Plebeiis ludis triginta uel etiam paulo plures dies colligi potuisse spondeo. Haec hactenus: iubeo nunc lectorem in tabulam infra descriptam secundum marmor antiquum Augusti anni ordinationem complexum intueri.

A·K·IAN·F
B F
C C
D C
E NON·F
F F
G C
H C
A AGON
B EN
C CAR·NP
D C
E EID·NP
F EN DIES VITIOS
G CAR EX·S·C
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F N
G C

H·K·FEB·N·
A N
B N
C N
D NON
E N
F N
G N
H N
A N
B N
C N
D EID·NP
E N
F LVPER·NP
G EN
H QVIR·NP
A C
B C
C C
D FERAL·F
E C
F TER·NP
G REGIF·N
H C
A EN
B EQ·NP
C C

D·K·MAR·NP
E F
F C
G C
H C
A NP HOC·DIE CAESAR·PONTIF MAXIM·FACT·EST
B NON·F
C F
D C
E C
F C
G C
H EN
A EQ·NP
B EID·NP
C F
D LIB·NP
E C
F QVIN·N
G C
H C
A N
B TVBIL·NP
C Q·REX·C·F
D C
E C
F NP HOC·DIE CAESAR
G C ALEXAND RECEPIT
H C
A C
C C

C·K·A . . .

D : .

E C

F C LVDI MATR·MAG

G NON LVDI

H NP LVDI

A N LVDI

B N LVDI

C N LVDI

D N LVD·IN CIR

E N

F N LVDI CERERI

G EID·NP LVDI

H N LVDI

A FORD·NP LVDI

B N LVDI

C N LVDI

D N LVDI

E CER·N LVD IN CIR

F N

G PAR·NP

H N

A VIN·NP

B C

C ROB·NP

D F

E C

F NP LVD·FLOR

G C LVDI

H C LVDI

. . . . . .

. . .

. . .

. . .

E C

F C

G NON·N

H F

A LEM·N

B C

C LEM·N

D NP LVD·MART IN·CIRC

E LEM·N

F C

G EID·NP

H F

A C

B C

C C

D C

E AGON·NP

F N

G TVB·NP

H Q·R·C·F

A C

B C

C C

D C

E C

F C

G C

. . . . N·

. . .

. C

C C

D NON

E N

F N

G N MENTI IN CAPIT

H VEST·N FER VESTAE

A N

B MATR·N

C N

D EID·N

E E

F Q·ST·D·F

G C

H C

A C

B C

C C

D C

E C

F C

G C

H C

A C

B C

C C

D F

E C

F K·IVL·N	E K·A . .	. . . .
G N	F C HOC·DIE . . VICIT	. . .
H N	G C	F NP
A NP	H C	G C LVDI·ROMANI
B POPLIF·NP	A NON·F	H NON·F LVD
C N LVDI APOLLIN	B F	A F LVDI
D NON·N LVDI	C C	B C LVDI
E N LVDI	D C	C C LVDI
F N LVDI	E NP HOC DIE CAESAR	D C LVDI
G C LVDI	F C HISPLI VIC	E C LVDI
H C LVDI	G C	F C LVDI
A NP LVDI	H C	G N LVDI
B C LVD·IN·CIR	A EID·NP	H EID·NP
C C MERK	B F	A F EQVOR·PROB
D EID·NP MERI	C C	B N LVDI ROM·IN CIRC
E F MERK	D C	C C IN CIRC
F C MERK	E PORT·NP	D C IN CIRC
G C MERK	F C	E C IN CIRC
H LVCAR·NP MERK	G VIN·F·P	F C IN CIRC
A C LVD·VICT·CAESAR	H C	G C MERK
B LVCAR LVD	A CONS·NP	H C MERK
C C LVDI	B EN	A C MERK
D NEPT LVDI	C VOLC·NP	B NP MER·K·D AVGVSTI NATA
E N LVDI	D C	C C LIS·LVD·CIRC
F FVRR·NP LVDI	E OPIC·NP	D C
G C LVDI	F C	E C
H C IN CIRC	G VOLT·NP	F C
A C IN CIRC	H NP H·D·ARA VICTORIAE	G C
B C IN CIRC	A F IN CVRIA DEDIC·EST	H F
C C IN CIRC	B F	A C
D C	C C	

B K·OCT·N·	A·K· . . .	. . . .
C F	B F .	. . .
D C	C . .	. . .
E C	D . .	. . .
F C	E NO . .	. . .
G C	F F LVDI	. . .
H NON·F	G C LVDI	E C
A F	H C LVDI	F C
B C	A C LVDI	G C
C C	B C LVDI	H C
D MEDITR	C C LVDI	A AGON·NP
E AVGVST·NP	D C LVDI	B EN
F FONT·NP	E EID·NP EPVL INDICT	C EID·NP
G EN	F F EQVOR·PROB	D F
H EID·NP	G C LVD·PLEB·IN CIRC	E CONS·NP
A F	H C IN CIRC	F C
B C	A C IN CIRC	G SAT FERIAE SATVRN
C C	B C MERK	H C
D ARM·NP	C C MERK	A OPAL·NP
E C	D C MERK	B C
F C	E C	C DIV·NP
G C	F C	D C
H C	G C	E LAR·NP
A C	H C	F C
B C	A C	G C
C C	B C	H C
D C LVD·VICT	C C	A C
E C LVDI	D C	B C
F C LVDI	E F	C F
G C LVDI	F C	D F
H C LVDI		E C

Hanc tabulam, quamquam plane ignota non est, nemo adhuc attigit, nemo typis repetiuit, quin negligentiae suae errores ei inferret, leues fortasse eius iudicio, qui *quantum fati parua tabella uehat* nescit. Agitur de adiumento longe exoptatissimo interpretationis Ouidianae, quo nemo dum usus est. Itaque cum id monumentum, quod nec aliis in rebus tanto usui fuit, quanto esse potuisset, nunc demum eo quo debet loco futurum sit, non sine egregia fortuna fieri reor, ut iniquum istud fatum, quo usque adhuc premebatur, quasi retexi possit. Exprimendum enim curaui ex apographo omnium, quae circumferuntur, primo, nisi fallor, reliquis accuratiori, ut ostendam. Bibliotheca regia Berolinensis schedas Vinandi Pighii seruat, qui ab anno 1548 fere ad annum 1556 Romae litteratos lapides magno studio rimatus est et exempla sumpsit, quibus postea Gruterus in thesauro usus est. Tabulae illius descriptionem inueni in uolumine ab eius manu scripto insertam, quod notatur Ms. lat. fol. 96 et inscribitur: *In fastos Romanorum pontificales commentaria ex ordine et ductu tabulae cuiusdam marmoreae antiquae quae hactenus Romae seruatur in aedibus Maphaeorum per Steph. Vinandum Pighium.* Ex eo commentario infra depromam nonnulla, quae ad historiam huius tabulae pertinent. De ea enim, praeterquod inuenta esse anno 1547 traditur, nimis multa ignorantur. Nemo locum, ubi tabula inuenta sit, indicauit, quod sciri uel maxime intererat: quando ex hominum conspectu rursus euanuerit, non magis constat: Blanchinius, cuius librum de calendario et cyclo Caesaris Rom. 1703 nancisci non potui, secundum Saxium ad Vaassen. Animadu. p. xv minime ipsam tabulam uidit, certe non uidit anno 1704, quod tradit Fogginius Fast. Praen. p. 99. Inde a Fogginii aetate a nemine conspecta est, quantum sciam. Dum extat, descripta est quinquies. Sigonius apud Aldum imprimendam curauit, incertum quo anno, et num ante Pighium: id ipsum autem Sigonianum exemplum postea Aldum repetiisse in *Orthographiae ratione Ven.* 1566 cognoui ex eo epistolarum Aldi loco, quem Saxius p. xiv indicat. Secunda igitur haec Aldi editio est, quam oculis usurpaui. Proxime Arias Montanus Antwerpiae 1574 expressit, teste Saxio p. xiv, quod folium non uidi, sed imitatus illud dicitur Graeuius in thesauro t. 8 p. 13. Aliud eiusdem modi ectypon secutus uidetur Blanchinius, nescio cuius anni, sed, ut apparet, post thesaurum Gruterianum primo editum anno 1601, ubi ipsum Pighii exemplum non accuratissime expressum legitur p. cxxxiii. Postremo Fogginius exemplum protulit inuentum in codice Vaticano, quod ad Pyrrhum Ligorium aliosque quosdam auctores refertur: adiecta etiam erat descriptio quaedam ipsius

tabulae, quae apud Fogginium p. 99 legitur; ea si quid ueri continet, id magnam partem Fogginii incuria intercidisse postea disces. Illi uero auctores, quos nouerim, Aldus, Gruterus, Graeuius, Fogginius cum insigniter inter se discrepent, cum deinde qui illos secuti sunt, Morcellius et Orellius, illorum errores reddiderint, commiscuerint, suis auxerint, ad eam rem, quam agimus, satis idoneo adiumento caruissemus, nisi Pighii fide interposita licuisset alios omnes insuper habere. Nec, ut opinor, eorum mentionem fecissem, nisi essent, qui de Pighii uel accuratione, uel candore male iudicarent. Quod quoniam factum est a Niebuhrio et Orellio, ostendam hac quidem in re fraudem nonnullos, culpam omnes, qui fastos Maffeanos ediderunt, admisisse, illam ab ipso Pighio coargui, ab hac eum liberum uideri. Verum hoc paulo post, cum ad singula accedam et docebo, quanti intersit, ne uel in minimis rebus hic erretur. Nunc quasi eam tabulam nunc primum edam, faciam quod factum nondum est, ut de eius aetate quod iam tuli iudicium, tuear argumentis. Iudicauerunt de ea sane quidam, sed uix opus est ea repetere. Velut Vaassenius ualde inconstanter modo ordinatione fastorum Augusti uetustiores dicit p. 290, modo Ouidio recentiores p. 276. Fogginius p. 100 Tiberii aetati assignat, uel, si antiquiores sint (Praenestinis certe antiquiores ponit p. 119), insculpta postea quaedam de Tiberio: fortasse legit aliquid eiusmodi in codice Vaticano, sed ea edi debebant ab eo, non supprimi: ego certe ignoro. Auctor ille in codice Vaticano ita scripsit: *Maioribus litteris quae scripta sunt antiquiora uidentur: minores enim characteres maioribus ineptiores multo. Sed ex utraque scriptura quantum ipsae litterarum formae indicant, cognosci potest uel ipsa Antonini aetate, uel paulo post, nec multo, hoc marmor fuisse scriptum.* Hoc aut est mendacium, uel δοχησισοφία Itala, aut res permira, fastos Augusti sine ullo additamento repetitos esse quandocunqne. Ego ex litterarum ductibus, si marmor uiderem, fortasse iudicare nihil possem, hoc tamen praesto, in iis, quae litteris significantur, nihil esse anno V. C. 757 antiquius, nihil autem anno 759 recentius, nihil ergo, quin ad Ouidium ita pertineat, ut eam ipsam tabulam ab eo expositam et ex ea ipsa tabula eum intelligendum contendam. Eum enim ab anno fere V. C. 755 carmini inlaborasse si mihi tantisper, dum de ea re disseram, credere non uis, credes aliis, qui idem censuerunt. Cum negaui in tabula quicquam esse anno 757 antiquius, intelliges quod ante eum annum certa fide fastis exemptum constet. Nam quae illata sunt fastis ante id tempus, quod extant in tabula, hoc utor argumento ad sententiam meam probandam. Ex quibus

nouissima tantum et proxime annum definitum antecedentia indicare sufficit. Itaque scimus ex tabula Amiternina diem IV Non. Iul. signari, uti uides in Maffeana, NP, *quod eo die ara Pacis Aug. in Camp. Mart. constituta est Nerone et Varo coss.* Fuerunt ii coss. anno V. C. 741 et eandem rem eo anno commemorat Dio 54, 25. Ita Augustalia, quae magnis litteris inter reliquas ferias indici uides IV Id. Oct., uix credo perscripta in fastos, antequam anno 743 ex S. C. agerentur teste Dione 54, 34. Nam quae idem ibid. c. 10 narrat, coepisse illa ἐν ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι anno 735, id priuatae superstitionis fuisse suspicor. Morcellii in hac re mirificus est error. Valde ad rem pertinet, quod diem III Kl' Febr. a C. Caesare cos. III mensi adiectum et fastum notatum esse scimus, Macr. Sat. 1, 14. At uero in fastis Maffeanis et Praenestinis ea nota mutata est, eiusque rei causa cum apud Ouidium, tum explicatius in tabula Praenestina profertur ara Pacis Aug. Druso et Crispino coss., hoc est anno 745. Iam deuenimus ad ea, quae annis 745, 746 et fortasse paulo ante postue ipsum Augustum in fastis nouasse demonstrauimus. Neminem equidem fugere potest ea, quatenus in tabula apparere possunt, in nostra repraesentari omnia: illud de intercalatione certe non potuit. Octauas Kalendas una certe, quae superest, linea demonstrat appellatas non Sextiles, sed Augustas: ludi circenses IX Kl' Oct. die Augusti natali annotantur: dies senatui habendo Kalendas omnes et Idus recte coniectura assecuti sumus fuisse insignitos N uel NP, ita enim deprehenduntur: Saturnalia et Opalia ita plane disposita sunt, uti Macrobius loco supra indicato tradit: postremo si memineris ludos honorarios fuisse ex coniectura nostra Quinquatrus, Megalesia, Cerialia, Floralia, Apollinares, Romanos, Plebeios, uide iam, quot dies in singulis his ludis rebus agendis apti, hoc est litteris F uel C notati sint: Quinquatribus duo, XIII et XII Kl' Apr.; mense Aprili Megalesiacorum primus et fortasse secundus, Cerialium nullus, Floralium duo; Iulio mense inter ludos Apollinares tres; ludis Romanis duodecim, si *Equorum Probationem* omittas; mense Nouembri ubi *ludi* quocunque modo ascribuntur, decem; habes triginta, uel triginta unum. Verum lacuna marmoris occultantur dies Floralium reliqui tres et ludorum Plebeiorum, siquidem credibile est eos incoepisse, uti Apollinares et Romanos, a prid. Non., primi duo. Eorum dierum quatuor licet fastos uel comitiales existimare, uti posthac intelliges: qui additi superioribus numerum conficiunt triginta quinque uel quatuor, quem Suetonium indicasse, *amplius triginta* cum dixit, credo. Quartus dies Floralium, quae sunt Kalendae Apriles, necesse est NP signatus fue-

rit: eam ob causam omissus est, quemadmodum etiam reliqui ludorum dies ita notati. Neque enim credibile est, etiamsi ii dies parte aliqua fasti fuerunt, id demum factum esse ab Augusto, cum ferias nunquam non eam notam prae se ferre uideamus. Illos quoque dies praetereundos duxi, quibus ascriptum MERK. Hoc quid sit, nemo adhuc satis assecutus est, immo nemo curauit praeter Morcellium, qui nescio quid de mense mercedonio nugatur. *Mercatum* significari constat ex fragmento Antiatino Id. Iul. Verum hoc quid est, et numquid ad ludos Circenses, qui ubique praecedunt, pertinet? pertinet uero, si recte eo retuli quod apud Tertullianum adu. gentes c. 42 legi: *Spectaculis non conuenimus, quae tamen apud illos coetus uenditantur, si desiderauero, liberius de propriis locis sumo.* Nihil causae uideo, cur hos dies ab Augusto demum comitiales factos putem; si reliquorum, quae inuestigaui, adiuuaretur ea re, non turbaretur conuenientia, fortasse, fateor, putarem. Videtur igitur haec tabula composita post ordinationem fastorum Augusti; quam quod anno 746 perfectam fuisse non ausi sumus affirmare, id nihil hic habet momenti. Neque enim dubitandum esse diximus, quin ante Martis Vltoris templum dedicatum illo officio Augustus perfunctus sit: nunc uero dubium esse nego, quin illo templo dedicato tabula scripta sit. Tunc enim, cum dedicaretur, scimus eos ludos primum factos, qui in tabula notantur IV Id. Mai., Dio 55, 10. Post annum 756 exaratam esse tabulam inde colligo, quod IV Id. April. non potuerunt feriae propter dedicatam Matris Deorum aedem omitti, nisi postquam ea aedes eo anno conflagrauit; de qua re infra explicatius dicetur. Quod dixi etiam anno 757 recentiorem esse tabulam, ideo arbitror, quia Lucii et Caii Caesarum Principum Iuuentutis natales dies nulli notantur. Atqui Caio nato anno 734 secundum Dionem 54, 8: *βουθυσία τις τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ ἀΐδιος ἐδόθη*, et Lucio aut edito anno 737, aut cum Caio adoptato Augustus *τὴν τῆς Τιμῆς καὶ τῆς Ἀρετῆς πανήγυριν ἐς τὰς νῦν ἡμέρας μετέστησεν*: accedit, quod quo die aliquot saeculis post ludos Honoris et Virtutis ex calendario Lambeciano celebratos nouimus, IV Kl' Iun., fastorum Amiterninorum fragmentum feriarum indicium, litteras . . OD.EO.DIE . . seruat. Ludorum indicatio in tabula omissa esse potest aliquot ob causas, uti posthac intelliges: diem uero NP signari oportuit, nisi forte eae feriae abrogatae sunt utroque mortuo anno 757, quod sane, si quid uideo, improbabile non est. Obiisse Lucium anno 755, Caium IX Kl' Mart. 757, Cenotaphia Pisana docent, uid. Noris. p. 342, 348 sq. Eiusdem anni V Kl' Iul. Tiberium adoptatum scimus, Vellei. 2, 103. Verum eum diem

ferias habuisse, statimue in fastos relatum nusquam traditur, ut minime mirum sit notari eum in fastis Amiterninis, omitti in Maffeanis. Hi igitur anno 757 recentiores esse debent et possunt: uideamus quo non possint. Sunt certe antiquiores eo tempore, quo Circenses Augusti natali fieri desierunt, quod factum non uidetur ad Caligulae usque tempora, uid. Dio 59, 25, sed aliquando factum est, id. 57, 14: καὶ τοῦτο καὶ ἐπὶ πολλὰ ἔτη οὕτως ἐποιήθη. Ante Caligulae imperium scripti sunt, qui teste Dione 59, 6 Saturnalia quinque diebus fieri iussit, cum in hisce fastis tres extent. Cum uero testibus Suetonio Cal. c. 17 et Dione 60, 25, ubi de Claudio haec: τοῖς τε Κρονίοις τὴν πέμπτην ἡμέραν τὴν καταδειχθεῖσάν τε ὑπὸ τοῦ Γαΐου καὶ μετὰ τοῦτο καταλυθεῖσαν ἀπέδωκε, unum tantum diem a Caligula additum fuisse constet, necesse est sub Tiberio quatuor Saturnalium fuerint, idque prodidisse memoriae uidetur Verrius Flaccus, si eius illa sunt, quae in schedis Pomp. Laeti apud Festum leguntur p. 173, 23 ed. Sant.: *Opalia dies festi, quibus supplicatur Opi, appellantur, quorum alter* . . . . Ea res nisi forte usu tantum obtinuit, in fastos non relata est, neque enim in fastis Amiterninis Tiberii aetatem plerisque titulis praeferentibus inuenitur, argumento esset, Tiberii imperio quoque uetustiorem esse tabulam Maffeanam. Eodem pertinere dixerim, quod VIII Kl' Iul. feriae Fortis Fortunae omittuntur: ueteres illas propter Seruianam aedem, uel Caruilianam, probabile est obsoleuisse; postquam uero instauratae sunt a Tiberio, teste Tacito ann. 2, 41, non magis abesse poterant, quam in recentiorum fastorum fragmentis, Amiternino, Esquilino, Venusino. Verum si post Augusti obitum adornata esset tabula nostra, multa sine dubio aliter haberet: Augustum Diuum nuncuparet, quod sane cum semper obseruatum esse docet Morcellius nescio quo loco, errat arguente maxime tabula Amiternina, tum Praenestinis et Antiatina mense Augusto: Augusti obitus annotaretur XIV Kl' Sept., quem indicari litteris F.P non est admodum probabile: Augustalia non uno die, sed uti indicatur in fastis Amitern. et Antiat., ludis illis, quos commemorat Tacit. ann. 1, 15, octiduo transigerentur. Anno etiam 761 antiquiorem esse tabulam, quia III Kl' Apr. comitialem diem notat, qui NP notari debuit post eum annum, tunc apparebit, cum coniecturam probauero, quam proferam paulo inferius. Interim satis est plane similem causam de anno 760 doceri. Nam IV Id. Aug. fragmentum fastorum Antiatinum et Amiterninum et Capranicorum notant NP et causam ascribunt disertim omnes et eandem, Amiterninum his uerbis: *feriae quod eo die arae Cereri Matri et Opi Augustae ex uoto*

suscepto constitutae sunt Cretico et Long. cos., quorum consulum alter suffectus fuisse uidetur A. Licinio Neruae Silano, alter nominatur apud Dionem anno 760, quo anno quae narrantur ab eodem 55, 31 satis bene illud fastorum lemma illustrant. Has ferias omitti in fastis Maffeanis neque fas erat, neque uerisimile est: qui quoniam diem comitialem indicant, ante eum annum, uel mensem certe exarati uidentur. Hoc in anno subsistamus: nam quod opinabar, inferias Drusi, quae notantur in fastis Antiatinis XIIX Kl' Oct., ferri coeptas esse anno 759, quo id primum prodidit Dio 55, 27, idque nec in fastis Maffeanis praetereundum fuisse, incertam esse coniecturam intelligo. Demonstratum est igitur esse nonnihil causae, cur eo ipso tempore, quo Ouidius carmen scripsit, tabulam quoque Maffeanam scriptam putemus: restat ut nihil causae esse, cur de ea re quis dubitet, probetur, hoc est, ut quae tabulae insunt, explicentur et Ouidii aetati uindicentur. Quod si de sex tantum mensibus perfecero, ambitiose cupio, de reliquis ut fides mihi habeatur affirmanti, multa in illis quoque esse digna cognitu, nihil autem, quod sciam mihi aduersari. Quia uero Pighianum sequar apographum, demonstrandum est iure id fieri et emendatius id esse caeteris. Quamuis enim sex tantum inspexerim, tamen eorum quadruplex est origo, nec credo diuersam me deprehensurum fuisse, si eos libros omnes adire licuisset, ubi hanc tabulam repeti docuit Christ. Saxius praef. ad Vaassen. p. XII—XVIII. Blanchinii libro, quo dixi, non libenter carui. Diligentiae igitur Pighianae et aliorum negligentiae illud primum argumentum esset, si constaret fragmenta tituli tabulae nostrae olim superpositi, quae in Pighii schedis non inueni, tamen ab illo solo descripta et eius auctoritate tradita a diuersis esse. Nusquam extant, praeterquam apud Graeuium ad Ariae Montani exemplum expressa, et apud Gruterum, ubi ex Pighii schedis desumpta dicuntur. Utrobique quod mirum quantum discrepant, id nihil apud me ualet: neque enim ipse Orellius a typothetis impetrauit, ut quae p. 379 Gruteri et Saxii esse dicuntur, sint etiam reapse. Ariam Montanum certe mirum est de loco, ubi se eam tabulam uidisse dicit, insigniter errare eamque cum fastis consularibus confundere, arguente Saxio p. XIV; nec ante suum exemplum edidisse, quam istum titulum a Pighio Bruxellis aut Cliuia transmissum potuit habere. Quae in ipsius tabulae apographo Pighiano reliquisque differunt, sunt aut calamorum errores, uel etiam typothetarum, aut delicta grauiora. De leuiori illo genere arduum est iudicare, quamquam cum de grauiori nihil in Pighium, totum id in reliquos cadat, non ausim Pighium insimulare, quod prid. Kl' Apr. scripserit CC pro BC:

potest hoc quadratarius commisisse, quantumuis consentientibus contra Pighium reliquis. Illud uero Aldus et Graeuius peccauerunt, quod V et IV Kl' Mai. litterae F et E transponuntur, quod XIV Kl' Sept. VIN.E.P, quod prid. Id. Sept. GC, quod postrid. Id. Sept. scribitur AFF. EQVOR. PROB. Ita etiam cum litterae adiiciuntur a Pighio omissae scribiturque nouies apud Aldum Gruterum et Fogginium MATRI, LVDI, CIRC pro MATR., LVD., CIR, uel cum ter apud eosdem LVD pro LVDI, Pighii ipsius manui magis credo, quam caeterorum libris, ubi quid typothetis debeatur, nescias. Fortasse enim id quoque ad typographos pertinet, quod Aldus una plerumque litterarum forma utitur, Fogginius tribus diuersis, quae res saepe non est nullius momenti. Confirmatur haec suspicio eo, quod qui aliorum exempla typis repetiuerunt, minime sibi constant, minime cauerunt. Morcellius modo absurdissima quaeque Aldi reddit, modo ex Gruteri thesauro quaedam admiscet, interdum sua culpa peccat, uelut cum VII Id. Nou. *ludos* omittit, ut leuiora taceam. Orellio quoque, priscae eruditionis et libertatis uiro, adeo non paruerunt operae in extremis illis operis elegantissimi tabulis, ut caute illis utendum esse censeam, ne, quod in fastis Praenestinis uiris perdoctis iam accidit, errores fenori collocentur. In fastis Maffeanis Fogginii litterarum formae et uersuum discrimina modo redduntur, uel indicantur, modo negliguntur: Morcellii scripturae, ubi lacunas habet Fogginius, plerumque annotantur, quod tamen omissum Kal. Mart. Fogginii uitium typographicum manifestarium XI Kl' Dec. EG fideliter repetitur, pro illius et Phighii scriptura XIII Kl' Mai. Morcelliana ponitur, leui sane discrimine. Verum VIII Kl' Aug. cuius auctoritate FVR scribatur, qua de causa quod omnes habent FVRR, uncinis includatur, me latet. Mittamus haec, pergamus ad grauiora, ex quibus Pighii apparere fides possit. Primum et maximum est, quod lacunae marmoris accurate apud eum indicantur. Eae notantur etiam apud Gruterum et Graeuium, sed exigua fide. Commemorari uidentur in codice Vaticano Fogginii his uerbis: *Frustula tituli amissa non contuli; ea exscripsit Pyrrhus ipse ex ipsis frustis, quae fuerant penes quendam Hieronymum. Sunt autem illa Aprilis et Maii; Augusti et Septembris; Nouembris et Decembris, quae apparere non posse pictura indicauimus. Alia frusta ipsi tabulae assuta, nullo tamen ordine sunt. Haec omnia et ipsas etiam lacunas, quae aliquot locis erant, ut potuimus et imitati sumus, et restituimus.* Ex his paucis uerbis trium hominum Italorum, ne plus dicam, leuitas cognoscitur. Primum istud de frustis apud Hieronymum, si pertinet, uti uidetur, ad primos istorum quatuor

mensium dies, mendacium est Pyrrhi Ligorii, spectati in hoc genere nebulonis: si forte pertineat ad titulum fastis superpositum, de quo supra diximus, nihilo clementius de Ligorio suspicabimur et aliquanto peius de auctore Vaticano. Hic homo si fraudem non admisit, nec ignorauit, de qua re loqueretur, certe perobscure et barbare locutus est, et quod lacunas restituere ausus est, temere fecit. Quas si tamen pictura indicauit, omnium negligentissime Fogginius egit, apud quem mensis Aprilis tantum, Maii, Nouembris singulis et aliquot Decembris diebus aliquot litterae desunt, turpissima quaeque supplementa pro genuina scriptura traduntur. Fac igitur Pighii schedas non adesse: deprehenderemus ab aliis quaedam notari, ab aliis omitti: existimaremus qui plura habent, ex apographo ea sumpsisse uetustiore, facto cum lapis integer esset, quod sine fraudis suspicione in fragmentis Amiterninis accidit, uid. Foggin. p. 100. Ecce uero exsurgit testis antiquissimus Vinandus Pighius, ante quem a quoquam ipsum lapidem litteratum inspectum esse minime constat. Is quid extiterit, quid diffractum perierit, non obiter, uelut ille homo Vaticanus, sed ad ipsos apices et litterarum particulas commonstrat, lacunas posthac a sciolis dissimulatas nouit et quid repositum sit, non semel indicat in commentario, quem adiunxit. Haec nunc singillatim pertractabuntur.

Kalendas sex mensium, quae non supersunt, isti homines notauerunt nefastas, non tamen constanter omnes: Kal. Apr. Mai. Aug. Aldus, Morcellius, Gruterus; Kal. Sept. et Dec. omnes praeter Graeuium; Kal. Nouemb. omnes. Hoc ideo libitum esse uidetur, quia pleraeque, quae extant in marmore Maff., Kalendae nefastae sunt. Videor mihi intelligere longe aliter hanc rem futuram fuisse, si reliquorum fastorum quae hodie habemus fragmenta, quaeque Kalendas continent, non inuenta demum fuissent saeculo decimo et octauo, Praenestina 1774, Amiternina 1703, Antiatina 1713: si, quae nota fuerunt, fragmenta Capranicorum ipsis Kalendis integra essent, nec ipsam notam eiusmodi omitterent: si in Venusino uti potuissent Muratorii auctoritate, qui Kal. Mai. fastas tradit, cum Mazochius et ante eum qui fragmenta Venusina publicauit, quod ignotum esse reor, Aldus tomo III Ouidii 1516 iterum a se editi ita habeant: *AK. Mai. lud. lar. f.* Non, inquam, dubium est, quin si interpolatores illi saec. XVI. deprehendissent in reliquis fastis Kalendas eas, quae absunt a Maffeanis, signari plerasque, hoc est omnes praeter Aug. et Dec., fastas, id fuerint imitaturi. Neque enim rationem secutos puto in eo, quod ipsi fecerunt, neque istius rei rationem assecuturos fuisse. Scilicet si supra de diebus senatui ha-

bendo idoneis recte disputauimus, Kalendas omnes aut nefastas, aut prima parte nefastas fuisse oportet. Illud igitur, quod Kal. Apriles in tabula Praenestina, Maiae et fortasse Iuniae in cal. Venusino, Septembres in Amiternino, Nouembres in Amitern. et Antiatino fastae traduntur, nouatum esse a Tiberio necesse est. Num Kalendae Februariae, Iuniae et Decembres tunc, cum hoc fieret, nefastae fuerint, non potest cognosci: primae in Maffeana tantum tabula extant: secundae, quas dixi, in cal. Venus. nullam notam ascriptae habent; minime enim certa est Orellii emendatio p. 412, nec Lupuli auctoritate nititur: nouissimae in tabula Amiternina aeri incisa apud Fogginium nefastae sunt, in typis descripta ibidem p. 116 NP apponitur, nec quicquam annotatur. Verum fac nullas ex his Tiberii aetate nefastas totas fuisse, cur Iuliae et Octobres nefastae manserint, uideor mihi indagasse: propter messis et uindemiae ferias. De messis feriis locis, quos Icti mihi indicauerunt, Plin. epp. 8, 21: *Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt*, Stat. silu. 4, 4, 39, addo Gell. 9, 15. De uindemialibus memineram Minucium Felicem initio sui libri mentionem iniicere, et uidetur Gell. 20, 8. Octobri mense uindemiam fuisse calendarium rusticum, quod uocatur, docet. Vtut est, Kalendas aliquot actui rerum accommodasse uidetur Tiberius, de quo Dio 58, 21: *ὅτι τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων ὑπὸ τοῦ Καίσαρος τεθέντας, ἐξ ὧν καὶ ἀπιςία καὶ ταραχὴ πολλὴ γενήσεσθαι ἔμελλεν, ἀνενεώσατο*, et paulo post: *τὸ κατὰ τὰ δανείσματα ἐμετρίασεν*, ex quo intelligitur *ἀνενεώσατο* perperam uulgo reddi *reducturus erat*, pro *reduxerat*. Aoristus plusquamperfecti uim habet, uti *ἀπέδειξε* Xen. Anab. 1, 1, 2, cfr. Thucyd. 1, 102 apud Matth. §. 497, not.; *ἔμελλεν* inde suspenditur. Istae Caesaris leges, de quibus uide interpp. ad Dion. 41, 37 coll. Dione 42, 22 et 32; Cic. ad famil. 9, 16 et 18; 11, 28, quando exerceri desierint, Dio 51, 21, Suet. Oct. 41 docent. Hoc ignoro, utrum Tiberius Kalendas fastas esse iusserit propter adauctam per illas etiam leges litium frequentiam, leniore usus remedio, quam posthac Claudius, uid. Dion. 60, 17, quia de Kalendis olim fastis nescio quid subolet ex Gell. 12, 13, an id fecerit, ut iis diebus, solemnibus iam pridem rei feneraríae cum Idibus, uid. Orell. ad Hor. epod. 2, uel Brisson. de formulis lib. 6, p. 540, actiones legitimae, si quae ex illis legibus ipsis nascerentur, fierent. Pergo in interpolatorum nugis conuincendis. Postridie Kal. April. comitialem uoluerunt: perincerta coniectura, immo falsa, nam tabula Praenestina fastum habet. Postridie Kal. Mai. scribunt BF COMP. Litteram F desumpserunt ex fragmento Venusino, quod nouisse potuerunt. *Compitalia* Fogginius

credidit ad Kalendas pertinuisse: nihil moror; quamuis enim apud omnes editores ab Aldo ad Orellium extet, certe figmentum est ex Sueton. Oct. 31 petitum: *Compitaliciis lares ornare bis anno instituit, uernis floribus et aestiuis.* Non est ignotum, opinor, Compitalia nunquam non conceptiuas ferias fuisse, de quo genere aliquando infra agemus. Sequenti mensis Maii biduo discedunt interpolatores. Aldus et qui eum sequuntur, Morcellius et Gruterus utrumque diem comitialem faciunt, ad fidem fragmenti Venusini sine dubio: eam notam omittunt Fogginius Graeuius et Orellius priore die, sed sequentem scilicet doctiore artificio EN signant, quod unde sumpserint, non inuenio. Credo miratos esse tam raro intercisos dies inueniri: fecit id etiam Pighius, qui nouem adesse affirmat; nihil igitur tribuit isti commento, quod ex Montani apographo nosse potuit. Ne quis miretur nimium stuporem istorum hominum, qui non intellexerint ludos Florae supplendos fuisse ante omnia, sciendum est in iis Venusini fragmenti apographis, quae saeculo XVI innotuere, non ita, uti apud Fogginium, LVDI et LVDI IN CIRCO FLORAE esse, sed *lud.* tantum ter ascribi, cui cum Kalendis addatur *lar. f.*, uti dixi, nisi fallor intellexerunt ludos larium compitalicios tridno celebratos teste Festo p. 64, 34 Vrs. Inprimis illud iis nocuit, quod in *sex priorum mensium digestione ex sex Ouidii fastorum libris excerpta,* quae in Aldi Ouidii tom. III praemittitur, ludi Florae non notantur. At Kalendis Iun., quia illic trinae feriae rectius ex Ouidio enotatae sunt, incredibili temeritate, cum littera N ultima lemmatis superesit in tabula Maff., refinxerunt H. K. IVN. N. MART. CAR. MONET. Plane miror Tempestatem omissam. Id supplementum unde esset, Aldus ignorasse uidetur, neque enim Kalendis, uti apud Foggin., Grut., Orell., sed IV Non. apud eum et Morc. legitur. Eum diem IV Non. omnes fastum fecerunt secundum fragmentum Venusinum. Kalendas Augustas Aldus quam recte nefastas fecerit, uel quo argumento Orellius NP signari uoluerit, difficile mihi est anquirere. Huic tamen assentior, quia uerba HOC. DIE [*Caesar ad Pharum*] VICIT ita scripta sunt a Pighio, ut dubitare non possim, quin ad Kalendas pertineant: nusquam uero, nisi feriis talia lemmata in hac tabula ascribuntur: feriae uero NP habent. Ita tamen, uti modo legisti, supplendum putaui secundum Orosium 6, 19 et tabulam Amiterninam, quae hoc die ita habet: *Feriae ex S. C. q. e. d. Imp. Caesar Diui f. rempublic. tristissimo periculo liberat.* Has eius tabulae ambages solebam mihi olim interpretari ex illis Dionis 51, 19: τὸν γὰρ Ἀντώνιον καὶ τοὺς ἄλλους Ῥωμαίους τοὺς σὺν ἐκείνῳ νικηθέντας οὔτε πρότερον, οὔτε τότε, ὡς καὶ ἑορτάζειν σφᾶς ἐπ᾽

αὐτοῖς δέον ὃν ὠνόμασαν. Nunc mihi magis placet ista scripta esse post annum 792, propter metum Caligulae, quando is *τοῦ Ἀντωνίου μᾶλλον ἢ τοῦ Αὐγούστου ἀπόγονος δοκεῖν ἠθέλησεν εἶναι*, Dio 59, 20. At nugatores illi nostri totum id lemma sequenti diei assignare maluerunt. Aldus igitur seruata caeteroquin marmoris scriptura et supplemento ex fragmento Capranicorum petito: FC. FER. HOC. DIE. C. CAESAR. VICIT. HISP. ferias comitiali die indicit. Sequitur Morcellius, sed cum Grutero postrema uerba transponit. Alii deinde propter *feriarum* mentionem, quam quidem praeter morem huius tabulae ipsi fecerant, mutarunt ipsam marmoris scripturam, FN FER etc. posuerunt, Fogg., Orell.; id flagitium Graeuius etiam habet, dum uidetur mirum quantum fideli picturae operam dare. Ea omnia imperite mihi facta uidentur, et si uera essent, hos fastos, opinor, ad Claudii imp. tempora detruderent. Augusti aetate nego credibile esse Hispaniensem Diui Caesaris uictoriam mense Augusto celebratam fuisse. Tradit Dio nuncium de ea Romam perlatum esse pridie Parilia, et propter eam rem Circenses ludos quotannis Parilibus decretos esse 43, 42. Aut igitur tunc eius uictoriae memoria acta est, aut, si dies ipse, quo accidit, sacra celebritate etiam insignis fuit, quod tradi non memiui, improbabile non dixerim, quaerendus est is dies eo spatio ante Parilia, quo ex Hispania litterae perferri potuerunt: id spatium fuisse quadraginta dies Pollio docet Cic. ad fam. 10, 33. Trigesimo sexto ante Parilia die, Liberalibus, fragmentum Farnesianum has litteras seruauit: CAESAR HI . . ., quod uide, num huc pertineat. De Pharnace uicto nihil credo in fastos relatum Caesaris dict. uel Augusti tempore, non quia ipse Caesar eam uictoriam uilipenderit, uti putat Fogginius contra Dionis 42, 48 disertum testimonium, sed quia de feriis nihil traditur. Commemoratur adeo ea uictoria in posterioribus fastis nullis, nisi Amiterninis, sed in his cum Hispaniensi coniuncta IV Non. Aug., quo die Pharnaces uictus esse potest. Nam nouem mensibus in Aegypto consumptis, qui decurrunt ab aduentu eius paulo post caedem Pompeii circa aequinoctium autumnale, uid. interpp. Dionis 42, 5, contra illum exercitum duxit, Appian. bell. ciu. 2, 90, 91. Suspicor hanc uictoriam tunc demum suo die celebrari coeptam publice, cum in eundem diem memoria Hispaniensis uictoriae aliunde translata esset. Claudius imperator sacras celebritates quasdam uetustiores, quae in natales parentum dies inciderent, alio transtulit teste Dione 60, 5. Propter Drusum igitur, uel Antoniam natam, ut dixi, aut Liberalibus, aut Parilibus, Hispaniensis uictoria una cum Pontica celebrata posthac esse uidetur. Ludos Martis equestres,

quos Dio eodem loco Kalendis bis Aug. fieri solitos tradit, dubito, utrum ad Martis templum in campo Martio, quod idem prope solus 56, 24 commemorat, referam, an etiam aliunde traductos existimem. Initio Septembris quod deest in tabula Maffeana biduum, ita restituerunt Itali homines, ut litteris nundinalibus et mensis titulo utrobique ascriberent N, ac praeterea Kalendis: HOC DIE FER. NEP., quod apud Gruterum ad IV Non. extat. Quid sibi uoluerint, cognoscitur ex Pighii his uerbis in commentario inedito: III Non. Sept. in fast. Maff. NP notari *ob Neptuni ferias, ut partim ex alterius Kalendarii* (Capranicorum) *fragmentis, partim ex Dione habemus.* Crediderunt propter Actiacam uictoriam IV Non. Sept. teste Dione 51, 1 reportatam tridui ferias Neptuno celebratas, idque adeo uidentur Pighio persuasisse, qui rectiora ignorauit, originem supplementi non ignorauit. Hodie uera illorum dierum natura et res illis gestae multo melius ex tabula Amiternina cognoscuntur. Kalendae, quae tamen NP erant Augusti tempore, ferias Iouis Tonantis habuerunt. IV Non. uictoria Actiaca, III Non. Sicula de Sexto Pompeio feriis sunt celebratae: postrema consulibus designatur, ut mihi uidetur, utroque suffectis; nam anno 715 Octauianum uicisse prudentia Sex. Pompeium, quod Fogginius opinatur, absurda est interpretatio. Nouissime in Nouembris et Decembris mensium principio defecit bonos interpolatores suum artificium: nihil poterat esse exoptatius, nisi etiam IV Non. Nou. et VII Id. Dec. ea, quae in lapide extitisse Pighius testatur, insuper habuissent et omisissent, illud F Aldus, hoc C Gruterus et Fogginius. Kalendis utrisque N, Nonis utrisque F ad reliquorum mensium exemplum ascripserunt, eaque ipsa commenta Nouembri mense singuli omiserunt. Praeterea III Non. Nou. apud Graeuium et Fogginium F additur. Sex dies litteris tantum nundinalibus indicantur. Hos deinde Morcellius non irridicule ita reuera notari consueuisse docuit, quia atri fuerint. Ego quod lacuna absumptum est, unum tantum commemorabo, quod nonnullius sane est momenti. Censeo Kalendas Nouembres diem ultimum fuisse eorum ludorum, qui quinque postremis Octobris diebus indicantur, sed Kal. Nou. non simplices ludos, sed ludos Circenses habuisse, cuius rei uestigium restat in fragmento Antiatino, uerba IN CIRCO. Neque enim dubito, quin ii sex dierum ludi sint uictoriae Sullanae de Samnitibus, et quin de iis intelligendus sit Velleius 2, 27. Videtur hic aut uno Kalendarum die, aut potissimum eo die a Sulla institutos dicere. Ea de causa interpretes, praesertim qui ignorarent lacunam in fast. Maff. esse, non ausi sunt certius quid statuere. Verum primum ludi omnes in hac tabula

Circensibus terminantur, qui quidem plurium sunt dierum: de Floralibus Ouidius testatur. Deinde quidam ludi uno olim die transacti sunt, postea dies adiecti alii. Ii dies more consueto antecedunt ueterem diem solemnem et superne accesserunt: uetus ille dies Circensibus distinguitur. Ita Liuius 27, 23 Apollinares III Non. uno die celebratos dicit: credo corrigendum III Id., alioquin enim hi ludi in Poplifugium, alius dei ferias incidissent, quod ipsa eorum lex uetuit teste Dione 47, 18. III Idus Augusti aeuo ultimus Apollinarium dies Circenses seruat. Augustalia uiuo Augusto uno die agebantur monstrante tabula nostra: mortuo eo in octiduum extendebantur: uetus dies ultimus et Circensibus insignis fuit, uti ex tabula Amiternina cognoscitur. Hoc igitur in ludis uictoriae Sullanae quoque factum existimo. Hactenus de lacunis magna cum nostra utilitate in tabula Maffeana a Pighio accurate notatis. Adiungatur statim aliud insigne et magni momenti diligentiae eius exemplum. A. d. V Id. Aug. ascriptum legitur HOC DIE || CAESAR || HISPALI VIC. apud Gruterum et Graeuium, eademque uerba aliter diuisa apud Fogginium et Orellium; HOC DIE CAESAR || HISPALIM VIC. apud Aldum; HOC. DIE. CAESAR || HISPALIN. VIC. apud Morcellium. Ita cum scripsissent, deinde conquesti sunt miro et insperato modo istud oppidum induci, postquam paulo ante totius Hispaniae citerioris subactio commemorata esset, tum tempus non conuenire, quo Corduba et Hispalis captae essent: poterant hoc ipsum quoque animaduertere, oppida non uinci, sed capi. Postremo deprehenderunt eodem hoc die in aliis fastis, Amitern. et Antiat., pugnam Pharsalicam annotari, quicum apprime consentit Cicero ad fam. 7, 4. Fuit quoque, qui pro HISPALI. VIC. legendum esse, ut ei placet, PHARSALIA. VICIT suspicaretur, Fogginius: in quo non multum acuminis, sed magna negligentiae ciuium suorum obiurgatio inest. Solus igitur Pighius remota negligentia et remoto alio quouis crimine — stultum enim esset suspicari illum lapidis scripturam corrupisse, ut coniectura ingeniosus esse posset — scripturam repraesentauit quatenus in marmore discerni potuit, quam ipse non intellexit, sed quae postquam noua fastorum fragmenta ista saeculo XVIII prodierunt, facillima est ad intelligendum. Scriptum enim ab eius manu inueni, sicut edidi, CAESAR HISPI.I VIC. Hoc unum firmo argumento ,est illum lapidem ipsum uidisse, quod alioquin nunquam ipse tradidit. Credo cum ex pugillaribus in commentarium transcriberet ipsam tabulam, parum eum attendisse, quod secundum lapidem unam syllabam paulo diductius CAESAR H I SPI.I scripserit. Hoc centies factum est, ut quae inter alias uetustate

exesas litterae in marmoribus notarentur, coniungerentur: uno ut exemplo perfungar, uide lapidem Sedunensem apud Neapolim ad Ou. Fast. 2, 121. Euanuerant isto in uerbo P, A et parte dexteriore R, tum litterae A alter tibicen, ut uideretur adesse P. Syllaba LI uisa est esse I.I, quemadmodum in fastis Capranicorum XI Kl' Sept. apud Aldum et Fogginium editur B XI. F.N, pro eo quod debebat esse XI EN. Sed inprimis P pro A legi in procliui erat. Ita in monumento Ancyrano tab. 1 a dext. BASILICAM. CONSVMATAM pro CONSVMPTAM legerunt, ac similiter duo perdocti archaeologi, Dionysius Halicarnassensis et Orellius Turicensis, aliquando in ueteribus monumentis legerunt D pro P. Ille DENAS pro PENAS 1, 68; hic in tabula Amiternina aeri incisa hoc ipso pugnae Pharsalicae die pro eo, quod extat: CAES C F PHARSALI-DEVICIT edidit PHARSALI. DEVICIT. Atqui promiserat se fideliter illud radio descriptum exemplum secuturum esse, et eius ratio lacunae post *deuicit* suspicionem excludit, quo id ex usu latinae linguae dictum uideri possit. Rectius ita interpungi opinor: PHARSALIAE. VICIT. Haec hucusque exposita necesse est quemuis edoceant de apographi Pighiani magno, reliquorum autem nullo pretio, nisi qui ualde superstitiosus aut suspiciosus sit; hinc igitur iudicari iubeo in reliquis, quae differunt, quis deliquerit, si res ipsa unquam, quod uix credo, dubitationem admittat. Cum prid. Non. Febr. littera N omittitur a Fogginio, quid aliud esse possit, quam illius neglegentia, quando Aldus et Graeuius cum Pighio faciunt? Idem Fogginius IX Kl' Mart. Feralibus litteram F non addit: magnum id est flagitium in re scitu dignissima. Tuentur illam litteram reliqui, Pighius in commentario adeo disertum testimonium posuit: dies sacros *quosdam suas ob rationes fastos signari*, *ut* sint *primae anni Kalendae*, *Feralia*, *Nonae Martiae*, *quibus Veioui ara dedicata: item Sextiles*, *quibus Saluti in Quirinali sacrificium publicum fiebat* etc. Hoc eo commodius notatur, cum in fragmento Farnesiano etiam ei diei nota desit. Eodem modo Kalendis Martiis notam NP Fogginius et Orellius plane omittunt, et Fogginius eodem die ne de fastis Praenestinis constet, effecit, quia in exemplo radio descripto NP, in typis expresso, quod plus auctoritatis habere debebat, N posuit, nec quicquam monuit. Credamus igitur oportet reliquis fastorum Maff. editoribus et Pighii uerbis in commentario: *Occurrunt primum Kalendae Martiae inter omnes hac nota NP insignes*, *quia Marti et Iunoni Lucinae peculiariter sacrae sunt*, *tum his quoque Matronalia et anciliorum festum*. Ab Aldo quod XIIX Kl' Mai. LVDI omittuntur, facile intelligitur id auctoritatem habere non posse.

Iunctos ex ordine ludos Ouidius hoc mense dicit Trist. 3, 12, 17. Atque ipse adeo Morcellius errorem emendauit. IX Kl' Mai. idem Aldus solus NP non ascribit: incogitanter certe fecit, sed magnas turbas edere potuisset, nisi interpretes defuissent, qui discrimine illo inter fastos Maffeanos et Praenestinos abuterentur. De hac re infra copiosius disseram. IX Kal. Iun. reliqui praeter Pighium omnes Q. REX. C. F. Facilitati intellectus consulere uoluerunt, mensis Martii lemma imitati sunt: morem receptum fastorum pessum dederunt. Non potuisset Ouidius 5, 727 scribere

Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis —,

si in ullis suae aetatis fastis aliter extare illa putasset, atque Pighius tradidit: quod perspexit Vaassenius Animadu. p. 290 antequam de Pighii apographo innotuisset. Id. Iun. Aldus cum Pighio ponit N, alii caeterarum Iduum exemplo obsecuti NP. Illud alterum tuetur Pighius in commentario, tuetur Ouidius, uti posthac intelliges, cum post Idus demum nubile tempus ponit 6, 223. Postridie Id. Iun. reliqui habent EN, Pighius EE, hoc est una littera exesa in marmore EEN, uti ipse Pighius intellexit: dicit enim in commentario, nouies eam notam EN inueniri in tabula: non opus est alio testimonio. III Kl' Iul. et III Non. Iul. Graeuius perperam comitialem et nefastum diem fecit. Alterum uitium repetit cum Grutero III Kl' Dec., alterum IV Id. Octobres. Dies a Caesare additi, nisi ubi certa causa postea intercessit, fasti fuerunt, feriae non sunt nefastae; de Augustalibus ne Morcellii ineruditus error cuiquam noceat, adire licebit Fogginium. Hic Fogginius VII Id. Sept. ludorum Romanorum notam omittit, solus inter omnes tabulae huius editores, et contra reliquorum trium calendariorum fidem, nec ipse id discrimen, uel potius eam suam negligentiam animaduertit. XVII Kl' Oct. Aldus litteram N insuper habuit, quam credo hoc die et prid. Id. indicare eo die senatores Diale epulum in Capitolio celebrare solitos, quod docet Dio 48, 52, ut eius cerimoniae causa cum olim omnes dies eorum ludorum, ut supra ex Cicerone ostendere me memini, nefasti fuerint, hi duo remanserint. XVIII Kl' Dec. Gruterus diei fasti notam omisit. Vides tot uitiis scatere hanc tabulam apud reliquos omnes praeter Pighium auctores, quae quaestioni nunc multa cum oblectatione instituendae non potuerint non obesse. Comparabimus enim tabulam Maffeanam cum aequali poeta: in qua re praeter quod multa explicabuntur, hoc etiam agetur, ut quoniam nunc certa fide dijudicimus, qua in parte tabula iniuriam temporis et detrimentum passa sit, pernoscamus etiam, ubi carmen mancum et imperfectum sit a poeta relictum. Non de sex libris qui desunt loquor, sed de

non absolutis iis qui restant: de qua re infra uberius dicendum erit, iam nunc tamen moneo.

Ouidius saepe ad ipsos fastos publica auctoritate propositos lectorem suum remittit, uelut illic, ubi de dierum discrimine generatim exponit, lib. 1. a uers. 45. Quos indicat dies, sunt nefasti, fasti, nefasti ex parte priori, u. 49—52, comitiales u. 53, nundinales u. 54, atri uu. 57—60. Horum de nundinalibus primum pauca notabo, quae adhuc ignota puto, quia eorum nota quouis die in fastis ponitur. Orellius docuit earum litterarum A—H, quae per omnes meuses iterantur, nundinarum interuallum repraesentari. Hoc ex Varron. de re rust. 2 init. pridem Pighius et Scaliger nouerant, nec opus erat propter Blanchinii placita tantum pulcherrimae chartae perire. Nam schema confectum est ab Orellio, quo appareret, si Kalendis Ianuariis nundinae primae fuissent, deinde proximas in nonum diem V Id. Ian. incidisse, atque ita deinceps. Mirum, nisi Orellius putauit litteram A semper nundinas significare. Quod longe secus est. Primum enim si anno aliquo in dies ea littera signatos nundinas incidisse concedas, proxime sequenti non inciderunt, nisi inter ultimas prioris primasque sequentis anni nundinas quatriduum tantum interfuit. Deinde sedulo cautum est ab iis, qui fastis praeessent, ne id unquam fieret, quod Orellii schema pro more usitato iubet haberi. Dio 48, 33: *καὶ ἡμέρα ἐμβόλιμος παρὰ τὰ καθεστηκότα ἐνεβλήθη, ἵνα μὴ ἡ νουμηνία τοῦ ἐχομένου ἔτους τὴν ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν λάβῃ, ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετο.* Hinc manifesto apparet neque litterae A, neque ulli alii constanter nundinas adhaesisse. Facile est intellectu, quomodo res gesta fuerit, nec ignorasse Orellium puto, sed aliud spectasse et egisse. A supremis anni cuiusque nundinis iustum tempus, octiduum ducebatur: octauus dies in quam earum litterarum, quae initio Ianuarii in fastis Maffeanis leguntur, incidisset, ea littera eius anni nundinas omnes indicabat. Cum intercalatum est, ultimus anni dies litteram F habuit. Ea littera F si nundinas per totum annum habuit adiunctas, nisi eo ipso anno intercalaretur, ut postremus anni dies postremas nundinas haberet, in Kalendas proximi anni nundinas conferebat. Id quomodo deuitatum fuerit, Dio loco modo indicato, eiusque interpres Scaliger de emend. temp. p. 460, B monstrarunt. Goettlingium in libro nuper edito p. 183 fugit ratio. Possit de duplici ratione cogitari, sed neutra efficitur, ut anno V. C. 797 littera nundinalis in Kalendas Ianuarias incidisse uideatur, quod tamen interpretes Dionis ab illo tradi existimauerunt 60, 24, cum dicit nundinas *ἱερῶν τινων ἕνεκα* in alium diem translatas.

Aliud igitur uidetur intelligendum. Vtut est, litteram nundinalem quouis anno aliam fuisse et eo, quo dixi, modo mutasse ex eo cognoscitur, si ab illo anno, de quo Dio loco supra posito loquitur, V. C. 714, escendas et litteras nundinales perquiras. Is annus intercalaris fuit, siquidem teste Dione 43, 26 anno V. C. 708 magna intercalatione Caesar annum correxit, Lepidus deinde Pont. Max. biennio tantum intermisso intercalares annos fecit 711, 714, 717 etc. Anno 713 littera F nundinas indicauit: proximo igitur superiori littera C, et proximo ante hunc, qui intercalaris fuit, 711, littera A: non igitur cautum fuerat, ne eo anno nundinae essent Kalendis. Atque hoc ipsum tradit Macrobius 1, 13: *Quoties incipiente anno dies coepit, qui adiectus est nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit; maximeque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est.* Lepidianum tumultum caue, credas illum anni V. C. 676, de quo Appian. bell. ciu. 1, 107. Immo est ille anni 711, de quo Dio 46, 50 sqq., Vellei. 2, 64, Cic. epp. 12, 8 et 10. Eo enim anno necesse est, littera nundinalis fuerit A, si anno 713, uti accepimus, fuit F: anno 710 igitur F, anno 709 C, anno 708, qui quadringentorum quadraginta quinque dierum fuit, littera H, quia is quoque numerus quinque diebus plenam nundinarum summam excedit, uti in uulgaribus Iulianis fit annis. Orellii auctoritati hoc tribui, ut tam leuia et perspicua monerem de litteris nundinalibus, quibus uides totius anni ordinem contexi ac describi. Adiectam intelligis tali litterae quouis die notam unam ex iis dierum generibus, quae praeterea Ouidius commemorat, exceptis atris. Ea nota ubi deest, quadratarii culpa omissa uidetur; certe uix aliud suspicari licet Nonis April. et XVI Kl' Ian. In reliquis, Non. Febr., Iun. et V Id. Oct. potest etiam in marmore euanuisse, quod saepe animaduersum est in ueteribus lapidibus. Fasti, nefasti, comitiales dies quomodo indicentur, nemo ignorat. Comitiales et ipsos fastos fuisse, sed praeterea populo conuocando cogundo idoneos, notissima res est, de qua Vaassen. Anim. p. 262. Senatum iisdem agi potuisse, si comitia non haberentur, docuit Vaassenius p. 236 sq. Fastis senatum non conuenisse supra monuimus, et res ipsa docet, tum Dio testatur loco male intellecto 45, 17. Quemadmodum igitur comitialium dierum optima erat conditio, quibus omnia munia publica obibantur; proxima fastorum, quibus iudicia tantum erant: ita nefastorum dierum duo erant genera, religiosi et nefasti proprie. Cfr. Gell. 4, 9. Religiosos dico, quibus nihil licebat, *non cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in republica, nisi quod ultima necessitas*

admonebat, administrabatur: Festi uerba sunt, p. 5 ed. Vrs.; adde nuptias celebrari non licuisse, Ou. 2, 557 sq.; 6, 219 sq. Ii religiosi dies, qui atri etiam uix ullo discrimine dicti sunt, fuerunt mense Februario dies ferales, teste Ouidio loco ind., mense Iunio cum circa Vestalia penus Vestae pateret, Fest. p. 60 Vrs., Lemuralia et cum mundus patuit, triginta sex postriduani Kalendarum, Nonarum, Iduum, Alliensis et alii, Fest. p. 88 Vrs. Nefastos proprie dico, quibus multa quidem alia publice et priuatim agi poterant, ius tamen non reddebatur, populo in aliis rebus occupato. Tales erant olim ludorum honorariorum dies omnes, tum, ut opinor, messis et uindemiarum feriae inde a Kalendis Iuliis et ipsis Kalendis Octobribus. Vtrumque genus dierum littera N notatum est in fastis: utroque ex genere multos aboleuit Augustus, uti tabula nostra docet. Religiosos eos fastis exemit, qui sacra aliqua et uetusta cerimonia insignes non essent. Hinc est, quod neque IX Kl' Sept., III Non. Oct., VI Id. Nou., quibus diebus mundus patuit secundum Festum p. 142 Muell., neque XV Kl' Aug., qui fuit dies Alliensis, neque IV Non. Aug., qui fuit Cannensis, Gell. 5, 17, neque prid. Non. Oct., de quo uide Plut. Lucull. c. 27 fin., neque Id. Mart., de quibus Dio 47, 18, neque IX Kl' Iul., de quo Ouid. 6, 765, quos dies maximam partem atros fuisse certo constat, nec ipsi triginta sex postriduani, nisi ubi aliam ob causam id fieri manifestum est, nefasti notantur in tabula Maffeana. Plerique comitiales sunt, maximae, uti dixi, rerum gerendarum licentiae. Ergo quamquam dies Alliensis in aliquot posterioris aeui fastis annotatur, publica religione nulla erat, uelut fuisse uidetur Varronis aetate, uid. de l. l. 6, 32. Illud tamen deliberandum esse intelligo, utrum Ouidius cum de diebus atris postriduanis monet, id tantum fecerit ueteris memoriae gratia, quemadmodum in fastorum tabulis etiam multa annotantur non nisi olim aliquando celebria, an, quia illud quoque genus *totis fastis inhaerere* dixit, aliquo modo in omnibus suae aetatis tabulis notatum sciuerit. Vna illa nota in tabula Maff. XIX Kl' Febr. uix sufficit ad omnes dies postriduanos atros notandos: longe accuratius id fecit Verrius Flaccus mense Ianuario. Verum fortasse illa religio ad rempublicam tantum spectauit, certe inde ab Augusti aetate. Caeteri atri dies cum comitiales notantur, profecto non notantur. Quod uero postriduani omnes aut nefasti, aut intercisi, aut, idque maxima parte, fasti, h. e. senatui et comitiis habendis alieni sunt, id certe non impedit, quominus publice religiosi fuerint, sed ut pleraque, gnarum lectorem requirebat, qui illa in Ianuario notula admoneretur. Hoc igitur si non ueri specie caret, quosdam ex religiosis diebus Augu-

stus intactos et littera N signatos reliquit, quorundam religionem imminuit, quosdam abrogauit. Cum reputo eos religiosos dies, quos indicani, neque uno loco, neque omnes a Festo commemorari, uenit in mentem, quoniam eos, qui in tabula nostra extant N notati, expiationis et lustrationis aliquam cerimoniam seruasse constat, accensendos iis fortasse etiam dies utrumque Tubilustrium antecedentes et duos, qui sunt ante et post Parilia: utrasque enim ferias lustrandi ritum habuisse constat. Hoc si ita sit, unus fortasse dies est, qui negotium facere possit, IX Kl' Aug.; quo die crediderim aut apicem in marmore euanuisse, aut etiam in ludis Veneris Genetricis et Caesaris senatum in Capitolio epulatum. Qui restant in tabula Maffeana N signati, sunt proprie nefasti, quibus iura reddi non poterant aut quia populus in opere rustico ludisue esset occupatus, aut quia praetori et iudicibus aliud agendum erat, cum ludis quibusdam senatus in Capitolio epularetur, uti supra dixi. Caeterum in ludorum ordinariorum nefastis diebus idem egisse Augustum, quod in religiosis, alios, ut erant, reliquisse, Megalensibus et Cerealibus, alios, Apollinarium, ad dimidium redegisse numerum, alios sustulisse omnes, uel paene omnes, supra est expositum. Restat nunc, ut de eo dierum genere inquiramus, quod Ouidius loco indicato uers. 49—52 descripsit. Varro in libris de l. l., quibuscum et alias saepissime ad uerbum conuenit Ouidius, si adeatur, 6, 29—31 sex dierum discrimina explicat, quorum quia quinque sunt apud Ouidium, quaeritur de sexto. Varronis uerba sunt haec: *Intercisi dies sunt, per quos mane et uesperi est nefas, medio tempore inter hostiam caesam et exta porrecta fas.* Iam uero constat intercisos dies in fastis notari solitos hac nota: EN, postquam in tabula Praenestina prima IV Id. Ian. haec Verrii Flacci inuenta sunt: EN HAEC NOTA SIGNI*ficat intercisum diem. Nam endoponebatur* PRO INPONEBATVR *in usu olim fuit et dies, qui ita notatur, ante* QVAM HOSTIA IMMO*latur, et cum exta porriguntur,* NEFAS FIT. ITAQVE IN*tercedit tempus fastum, quo tempore constat lege* LICERE AGI. Est uero aliud praeterea dierum genus, quod litteris NP, in unum contractis, in fastorum tabulis frequenter notatur, quodque mane nefastum, postea fastum fuisse recepta fuit doctorum uirorum sententia a Scaligero ad Orellium. Quae si uera fortasse sit, in alteram utram partem Ouidius negligentior fuisse uidetur: aut dies intercisos, a Varrone commemoratos, in fastis Maffeanis indicatos, praetermisit, aut, si de iis ipsis loquitur, illud reticuit, nefastum tempus in iis uesperi redire. Ac qui postremum hoc animum induceret, causam oportebat inuenire, cur dies illos NP notatos et Varro et Ouidius

omiserint. Hoc qui faceret, Pighius fuit. Is in commentario inedito, quo utor, totum hunc locum de dierum discrimine maiore cum diligentia et ingenio tractauit, quam ab ullo alio, quod sciam, factum est. Quod in superioribus Pighio non usus sum, factum est ideo, quia adiumentis postea inuentis eius opiniones euertuntur, quod ubi de nota NP disputat, secus est. Rectissime igitur obseruat hanc notam NP nusquam, nisi in feriatis diebus deprehendi, et pergit: *Quare qui dies nefastos publicos propterque sacra feriasue publicas et non alia potiori causa institutos per NP monstrari dixerit, fortassis non multum aberrarit.* Intelligit tertium nefastorum dierum genus praeter duo a nobis distincta, dies festos, simili modo a religiosis diuersos, quo religiosi a proprie nefastis differunt: haec tria genera dierum iudicia nulla admisisse censet. Quod si uerum uideretur, posset ea Ouidius uersu 47 comprehendisse putari. Sed hoc secus esse cum primo commentarium suum conscriberet, (bis enim perscriptus extat in eo uolumine,) intellexit Pighius. Tunc enim ita professus est: *Nisi uiderem praecipuis fere sacris has notas* (NP) *incidere, intercisos dies signare dicerem. Nihil tamen certi contendere uolo, quamuis in quodam Kalendarii antiqui fragmento hanc notam huius loco reperiam: NF, quod ipsum hic subiicio,* (ineditum adhuc esse affirmauerim, ut et alia a Pighio in eo commentario passim eiusdem generis adhibita: num confictum sit ab Italo aliquo, non statuerim,) *cum eiusdem sit argumenti:*

		A C	
		B NF NAT·AVG·EPVL.	
	ONS	C N FER·	
	C	D C	
	G NF VOLTORNO	E C	
	H NF	F C	
	A F	G C	F
	B F	H F	G
	C NF NAT·GERMANIC·	A C	H
XI	AVG·XXXI	SEPT·XXX	OCT

NF igitur insinuare uidetur tali in die fas et nefas fuisse. NP uero monstrat quasi nefas usque ad P, hoc est usque ad porrecta: atque ea de causa non inepte eos nefastos porrectitios uocare possumus ex Varronis et Macrobii uerbis. Sunt profecto quaedam alia praeter illud fastorum fragmentum, quae fidem faciant fuisse illos dies NP signatos altera sua parte, mane, nefastos, altera deinde fastos. Primum illud, qualecunque est, quod de diebus senatui habendo destinatis ab Augusto diximus. Demonstrauimus enim sena-

tum, ne iudiciali et fasto tempore ageretur, actum esse mane diebus NP signatis. Deinde duo Festi loci, de quibus mea sententia nouus editor doctissimus non aeque egregie, ac de plerisque aliis meritus est. Alter, de quo plura paulo post dicenda erunt, est p. 87, 19, 20 Vrs. Ibi cum in fine duorum uersuum Vrsini aetate haec uerba superfuerint, *legi debet cum* et *e nefasto fastus*, admodum uerisimile est dictum fuisse de aliquo die NP signando. Alter locus est p. 14, 17 Vrs., quem ita restitutum dedit Muellerus: *Nep.* [*nota designari solent qui nefasti poste-*|| *riores sunt*, *q*[*uorum pars anterior fas: his serui*|| *liberati sunt*, [*delectus habentur*, *exercitus scrib-*|| *untur*, *et in prouinc*[*ias ire licet: sacra quoque*|| *instituta fiunt*, [*et uota nuncupata solui*|| *et aedes sacrari so*[*lent.* Istud *Nep.* esse debere NP facile ex postremis potissimum intelligitur: propter templorum enim dedicationes feriae saepissime institutae sunt. Verum cum Vrsini supplementum ea parte, qua certe falsum non erat, mutatur, ne ea res manifesto eius errori repugnet, non possum assentiri. Vrsinus scripserat: *qui nefasti p*||*riores sunt*, scilicet secutus alterum illum Festi locum p. 87 et Ouidii u. 50. Dies mane fastos, uesperi nefastos non memini unquam commemorari: de uno die nefasto posteriore, siue potius fasto priore scio cogitatum esse a quibusdam, nec recte; Vaassen. p. 265. At *priores* ita diuidi non potuisse, id fieri p. 63, 20 et rarissime a Festi scriptore affirmatur. Non opus est de ea re disputare: toti Vrsini supplemento reuerentiam nullam praesto, quod multis modis rectius fieri poterat. In primis duobus uersibus censeo ita scribi potuisse a Festo: *NP* [*nota dies notantur, qui in fastis celeb*||*riores sunt*, *q*[*uia fiunt ex nefastis fasti* etc. *Celebriores* intellige aut populi usu, utpote qui *feriis celebrentur,* ut ipse Festus loquitur p. 64, 33, aut specie ipsa in fastorum tabula, quia iis diebus praeter nundinalem litteram et ipsam notam etiam magnis litteris aut feriarum nomen ascribitur, etiam recentiorum, ut Augustaliorum, aut Iduum uel Kalendarum nota: quodsi nota NP etiam minores ferias propter Caesarum res gestas indicat, non dubito, quin et haec *festa domestica,* quae dixit Ouid. **1**, **9**, peraeque cum illis feriis publicis minio insignes facti fuerint et ita intelligendus sit Ouid. **1**, **11**. Adeundus de hoc more Saxius praef. ad Vaassen. p. XVI — XIX. Nota illa quomodo uoce exprimenda sit, nescimus. Apud Festum, uti uides, non necesse est certum nomen tradi. In tabula prima Praenestina dubium non est, quin aut V Id., aut III Id. Ian. explicata fuerit, ubi lacuna in marmore est. Apud Varronem miretur fortasse quis eam non exponi aut **§. 31**, aut ubi de feriis loquitur **§. 12**, et de lacuna suspicetur

Ego neque miror, neque suspicor. Primum inter dies hominum causa constitutos locus his feriatis diebus nullus erat. Deinde Varro non enarrat quae in fastis perscripta fuerint, sed uocabula, quae in hominum ore essent. Verisimile autem est eos dies usu quotidiano simpliciter feriatos dictos fuisse. Ergo quia tamen NP significare aliquid debet, conueniens est nihil non uulgare subiicere. Credo nefastos principio, uti Vaass. p. 265, uel nefastos parte explicandum. *P* in inscriptionibus saepe *partem* notat. *Pa* pro *parte* in saliari carmine est, teste Festo p. 205, 11 Muell. Cur *patrem* malint docti, qui *potissimum* relinquant, non uideo. Dies hos, de quibus agimus, intercisos non appellari potuisse ex Varronis uerbis §. 31. certum est. Quod tamen impedire non potuit, quin ab Ouidio ita cum iis componerentur, quemadmodum notatum ab eo est uu. 49, 50, utrosque deorum et hominum communes esse, omisso isto, qui intercisis peculiaris erat, nefasti temporis sub uesperam reditu. Sequens deinde distichon ad notam NP, multo frequentiorem altera EN, mihi pertinere uidetur. Caeterum quid sacri illis nouem intercisis diebus factitatum fuerit, fateor me nescire. Diebus parte nefastis ferias fuisse aut disertis uerbis passim in fastorum fragmentis indicatur, aut ipsarum feriarum nomina magnis litteris insculpta docent. Matralibus tamen, Quinquatribus et Regifugio littera N apponitur in tabula Maffeana. De prioribus postea dicam, de ultimo iam nunc, quia ad rem praesentem aliquid confert. De eo Regifugii die loquitur Festus p. 87 Vrs. 278 Muell., quod lemma ad uers. 18 usque recte concinnatum existimo in editione nouissima. Vltima uero haec: *Vterque dies*] (IX Kal. Apr. et IX Kal. Iun.) *legi debet cum* || *NP, non N, quod post regis fugam fit e*] *nefasto fastus*.|| non probo. Neque enim uideo, quomodo dies illi Q. REX C. F et Q.R.C.F signati, quod Varro et nemo non intellexit: *Quando rex comitiauit fas*, legi debeant cum NP. Accensendi sane sunt ei dierum generi, quod alias NP signatur, nam eadem forma, atque feriae, perscripti sunt in fastis omnibus, et quod in iis quatuor litteris exprimitur, idem est, quod duabus illis NP significatur. His ergo et XVII Kl' Iul., quod item inter ferias est, Q.ST.D.F, minime opus est mea sententia aliam notam addi: N uero ne potest quidem: et tamen ita extitisse in fastis Verrii tempore oporteret, quia morem aliquem in fastis receptum reprehendere uidetur. Verum uideor mihi intelligere, quid reprehenderit, si ita scripsit: *Regifugii dies*] *legi debet cum* || *nota NP, non N, quia quiuis feriarum dies fit*] *e nefasto fastus* ||. Scilicet mirabatur in tabulis sui temporis, quod nos in una earum, Maffeana, male babet, Regifugium in-

ter ferias N signari. Sed idem monet, ne quin ita fuerit, dubitemus, neue in marmore unciolum euanuisse putemus. Quod uero Muellerum u. cl. ad hunc locum iterum poenitet, quod uerba *e nefasto fastus* ad notam NP accommodauerit, non credo aliam inueniri posse, et ipsi illi tres dies, quibus pluribus litteris tempus nefastum cum fasto coniunctum exprimitur, argumento sunt dies principio nefastos non fuisse Romanis ignotos. Nefastos posteriores ullos fuisse nego, iam etiam Ouidii auctoritate. Satis enim dictum de iis, quae in uniuersum de fastorum tabula monuit. Conferamus ipsorum mensium apud illum et in marmore Maffeano descriptionem.

Mensis Ianuarius nulla in re differt. Ne illa quidem, quae multo post confectos fastos Maffeanos gesta apud Ouidium commemorantur, templi Concordiae et Castorum dedicationes XVII Kl' et VI Kl', de quibus alibi explicatius dicetur, ferias, uti fieri assolet, habuerunt, aut notam diei immutauerunt, uti ex fastis Praenestinis cognoscitur. Ferias, quas poeta u. 657—704 commemorat, statiuas non esse et quot sint, infra dicetur. Dies IV et III Kl' scimus Macrobii Sat. I, 14 et Verrii Flacci in fast. Praen. testimonio a Caesare dictatore additos et notatos fastos. Alter eorum igitur necesse est ab anno 708 ad annum 759 aliquam ob causam notam suam mutauerit, et dubium non est, quin eam causam Ouidius tradiderit, aram Pacis III Kl' Febr. dedicatam. Accedit enim opportune Verrii auctoritas, qui eodem die ita: *Feriae ex S. C quo[d eo] die ara Pacis Augusta[e in] Martio C[ampo] dedicata [e]st Druso et Crispino c[oss.]* Is est annus V. C. 745. Dies autem signatur NP in tabula Praenestina, sed, ut ubique in fastis, iis litteris in unum signum contractis, quod uno apiculo differt ab N solitario. Eum igitur apiculum deperiisse censeo in tabula Maffeana, quia certum est NP feriis publicis conuenire. Atqui, inquies, etiam IV Kl' feriae ascribuntur litterae F in tabula Praen., uti Fogginius affirmat, *ob rem aliquam ab Augusto bene gestam.* De ea re uiderit Fogginius. Ego enim priuatas illas ferias domus Augustae propter ludos Palatinos intelligo, de quibus uide Dion. 56, 46 et interpretes eius loci: publicae factae uidentur anno 792, Dio 59, 16. Feriae propter aras dedicatas aliquoties nota NP indicantur in tabula Maffeana: IV Non. Iul. ob aram Pacis Nerone et Varo coss. a. V. 741; V Kl' Sept. propter aram Victoriae a. V. 725, uid. Dion. 51, 22. De aris Cereris et Opis in aliis fastorum tabulis supra dictum est p. XX et XXI.

Mense Februario Nonas celebrat Ouidius, quod Augustus Pater Patriae tunc dictus est, et sacras eo nomine appellat. Fragmentum

tabulae Praenestinae ducentis fere ante reliqua annis inuentum docet eam rem gestam esse anno V. C. 752 feriasque ex S. C. conceptas esse, neque tamen NP, sed N signat diem ipsum. Quare ualde animi haereo, utram notam excidisse dicam in lapide Maffeano. Dixerit aliquis, certe N: nam frustum illud Praenestinum esse argumento, istas ferias minores in continuo dierum nefastorum ordine eodem loco fuisse, atque maiores binas mense Iunio. Verum quaerendum est antea, num forte Verrii senescentis aetate feriae illae propter rem, qua seipsum indignum iudicauit Tiberius, conceptae in desuetudinem abierint, et ecquid inter dies religiosos mensis Iunii et Februarii tamen sit discriminis. Mense enim Iunio quot ii dies sint, scimus: Februario quousque pertineant, adhuc ignoramus. Mensem Februarium ab iis diebus februatis i. e. purgatoriis et deis inferis sacratis nomen traxisse non est, quod Varronis 6, 34, Laur. Lydi p. 170 Rö., Leontii p. 177, uel aliorum uerbis doceam. Iam uero Macrobio Sat. 1, 14 teste Caesar dictator noluit sub finem Februarii, sicut in aliis mensibus fecit, dies apponere, ne deorum inferorum religio mutaretur, hoc est, ne aliis numeris dies post Idus insignirentur. Vltra Idus igitur februati dies producebantur. Lupercalia februatum diem dixerunt Varro de l. l. 6, 34 et Paulus Diaconus p. 85 Muell. Terminalia adeo Augustinus de ciu. dei 7, 7: *sacrum purgatorium, quod uocant Februum, unde mensis nomen accepit,* dixit. Mittamus hunc postremum, Idus certe propter templum Fauno sacratum a. V. 560 ferias habuisse, Lupercalia feriis maximis interfuisse constat. Qui dies cum NP signentur, quidni etiam Nonae? Ista uero quaestio de diebus nefastis, uel potius februatis deinceps positis multo maioris est momenti in intelligendo Ouidii loco 2, 533—570, sane difficili, de quo si inutiles aliorum conatus nouisse cupis, adi Vaassenium p. 277—282. Ouidius post ipsa Quirinalia sacra quaedam dis Manibus facienda commemorat eaque aliquot occupasse dies subiudicat: *parentales* enim *dies* dicit u. 548. Iis igitur diebus negat nuptias recte fieri: ita enim uulgo legitur: *Dum tamen haec fiunt*, u. 557. Iisdem diebus templa occludi addit, sed omnem eam religionem non esse extendendam ultra XIII uel VII Kal. Mart. Scilicet *haec* u. 567 non potest non ad utrumque illud, quod publice et priuatim fit, referri, si superiora ita capiuntur, uti posui. Verba autem *tot luciferi, quot carmina nostra pedes habent* certe significare uidentur alterum utrum numerum pedum, aut distichi, aut pentametri: de senario numero non est cogitandum. Pergitur u. 569 eum diem XIII uel VII Kl' dici Feralia. Verum nullis in fastis altero utro loco ea reperies. Mensis Februarii

nulli supersunt, praeter Maffeanos et Lambecianos, qui consentiunt in IX Kl', et quos in codicibus ex Ouidii uerbis confectos posthac edam, quorum quidam XII Kl' Feralia ponunt, male pensitatis uu. 567, 568. Si ita rationem instituas, undecim pedes intelligas, utique in ipsa Quirinalia et stultorum ferias Feralia incidunt et interpreti Fornacalia instaurantur. Nec lubet absurda ea persequi, in quae coguntur, qui Feralia conferre uelint in Terminalia. Necesse est tabulam Maffeanam reddat Ouidius. Primum igitur censeo poetam tempus istud religiosum repetiisse a Kal. Febr., quod eodem plane modo fecit mense Iunio 6, 223. Quin paulo superius 2, 525 Fornacalium indicendorum tempus inde a Kalendis eodem modo commemorauit. Nec multum opinioni meae obesse puto, quod apud Cicer. epp. ad Q. fr. 2, 3 legimus Atticum aliquando uxorem duxisse prid. Id. Febr. Codd. cum apud Ouidium habeant *Dum tamen haec fient*, posset id ad illius rei excusationem conuerti, sed argutius, quam mihi placet. Vtut est, illud secundo loco mihi persuasi, Ouidium duo sacra natura sua simillima et tempore contigua commiscuisse. Alterum fuerunt Parentalia, *antiquae appellationis dies et iam inde a Numa cognatorum inferiis institutus*, ut ait Ausonius praef. Parent.; non igitur publicum sacrum, sed populare, si Festum audias p. 61, 13 Vrs., quo in lemmate censeo emendandum *Fornacalia*, *Parentalia*, ne *Parilia*, quae inter publica sacra in fastis referuntur, popularibus accenseantur, quae, ut Caristia Ouidiana, in tabulis, Maffeana praesertim, iure omittuntur. Ea igitur Parentalia, uix uno die definita, cum *tempus Parentaliorum* sit in ueteri lapide apud Neapol. ad Ouid. 2, 537, a diebus feralibus, atris ac nefastis in tabula Maffeana tempore dirimuntur, quando Macrobio teste 1, 16 *atris diebus non licuit parentare* certam ab causam. Secundum Ouidium uidentur continuo ordine dies ferales, siue februatos connexuisse cum Feralibus, in marmore littera F signatis, quia nec feriae, nec ater dies essent, quibus publice quibusdam parentatum esse uidetur, Bruto, Lyd. loco ind., Tarpeiae, Tatio, Dionys. Hal. 2, 40, 52. Ne igitur poeta dies nefastos tabulae Maffeanae praeteriisse putetur, *parentales dies* uers. 548 iidem habeantur, quos *ferales* dixit 2, 34 et 5, 486, quemadmodum Trist. 3, 3, 81 *feralia* pro *parentalibus* posuit. Feralia uero, qui est omnis eius temporis terminus, utique mihi uidetur indicare a. d. IX Kal. Mart. Nam cum codd. aequa utrimque auctoritate discedant in scripturas *carmina nostra dies* et *carmina nostra pedes*, quarum illam nemo sanus sese intelligere putabit, haec tabulae Maffeanae et Lambecianae aduersatur, coniectura est promenda ab utraque scriptura non longe

discessura: *carmina nostra uices*, i. e. uicissitudines spondei uel dactyli *pedis*, (quod glossema ascriptum fuit,) quas distichon sexies, et syllabae longae breuisue, quas praeterea bis admittit. Octiduum est a Feralibus ad Kalendas in tabula Maffeana. Fasti a librariis ex Ouidio excerpti auctoritatem non habent.

De Kal. Martiarum feriis alio loco dicendum erit. Interim appono Cic. ad fam. 9, 22: *sed honorem Kalendis Martiis*, h. e. Matronalibus, quae apud Varronem desiderantur. Prid. Non. Mart. mirum est, quod Morcellius et Vaassenius p. 285 titulum in tabula Maffeana ascriptum de Augusto intelligere dubitarunt, cum eadem res eodem loco apud Ouidium et in tabula Praenestina tradatur. Nam quod illi et Fogginius p. 6 negant *Augustum* cognomen unquam omitti, postquam collatum in eum est mense Ianuario septimi eius consulatus, omittitur in re, quae gesta est mense Aprili eiusdem anni, fast. Praen. VIII Kl' Mai. Caeterum hoc nihil interest, utrum quid ante, an post eum annum factum sit, sed quando perscribatur, uiuo, uel mortuo Augusto. Mortuo errori magis erat obnoxium, si Caesar appellaretur. Factum id tamen est, si in loco fast. Praen. indicato argutari nescio quid lubeat, in fastis Amiternini Kal. Aug. — Nonis Martiis templum Vediouis dedicatum tradit Ouidius et dubium uix est, quin Fogginius fastos Praen. feriarum mentione recte suppleuerit. Verum in tabula Maffeana adiecta est littera F, non ut alias in feriis solet NP: nec de corrigenda ea nota uelim cuiquam in mentem uenire, praesertim cum Ouidius, ut ego intelligo, rem confirmet dicens: *Vna nota est Marti Nonis*. Valde enim friget illud de *una nota*, nisi ita dictum putes, ut 5, 727: *Quatuor inde notis locus est*; 6, 649: *Nulla nota est ueniente die*, ubi tamen adiicit: *quam discere possis*. Causam uero, cur feriae Vediouis una nota F, non duabus, NP signentur, eandem puto, atque Feralibus. Nam sacrificii utroque die facti quandam similitudinem uideor mihi deprehendere ex Gellii uerbis, N. A. 5, 12, *sacrificari Vedioui ritu humano capram*. Atqui *humanum sacrificium* Paulus Diac. p. 103 Muell. dicit esse, quod mortui causa fiebat. — Idus Mart. cum Dio 47, 18 ἡμέραν ἀποφράδα ex edicto triumuirorum factas narrat, uoluit intelligi μιαράν, religiosum siue atrum, ut existimo. In tabula Maff. nihil est eiusmodi annotatum, uel indicatum, nec, si fuisset, Ouidio liberum erat praeterire, an meminisse, prout significat. Litterae NP igitur pertinent ad ferias Annae Perennae uia Flaminia ad lapidem primum, uti est in Vaticano fragmento. Argeorum quoque sacri, quod proxime sequitur apud Ouidium, et Saliorum cerimoniae, quam quinquies hoc mense con-

signari in aliis fastis arbitratur Fogginius p. 20, nulla est mentio in Maffeanis. Nam ualde dubium est, num in iis Quinquatrus propter Salios nefastae signentur. Charisius p. 62. P. *a quinquando i. e. lustrando* nomen repetit, quam originationem ad opinionem illam meam de diebus purgatoriis nefastis nolo accommodare. Cfr. Mueller. ad Paul. Diac. p. 64. Immo cum is dies inter ferias sollemnes sit apud Varronem, aedisque Mineruae dedicationem habeat in tabula Praenestina, ludos uero gladiatorios Ouidio testante nullos, quo fit, ut illud N nequeat relictum esse ex ueteri ludorum honorariorum more, aliter quam NP signatum olim uix credo, sed euanuisse particulam eius notae, quae integra reperitur in fragmento Vaticano: in tabula Praenestina autem praeter primam lineolam nihil extitit, ne typis impresso exemplari credas, quod N exhibet apud Fogginium. Quartus Quinquatruum, siue tertius ludorum dies non mutauit pristinam notam, singularem fortasse, uti dicebam, ob rationem. Dies Tubilustrium dictus notam NP habet et ferias, sed Martis secundum tabulam Praenestinam et Lyd. de mens. p. 206 Rö., Mineruae secundum Ouidium. Quodetiamsi apud hunc *forti deo* aliquot codices praebent, dubito adhuc de eorum fide et de ueterum auctorum in ea re consensu: *fortis deus* est Fast. 5, 598, at *bellica dea* 3, 814, *bellatrix* et *armifera* alibi. Vaassenium oculi fefellerunt, cum p. 290 scripsit hoc Tubilustrium non commemoratum esse ab Ouidio. Hoc uero recte animaduertit, proximi diei notas in tabula Maff.: Q. REX. C. F. non explicari a poeta. Neque tamen de mutatione fastorum tabula ea recentiori per Augustum cogitandum est, quod Vaassenium tabula Praenestina docere poterat, neque negligentia Ouidii incusanda, sed fatum, quod ab opere imperfecto eum amouit. VI Kal. NP signatum existimat Pighius in commentario inedito, quia eo die sacra Magnae Matris incoeperint. Docte hoc obseruatur ex Ammian. Marcell. 23, 3 et Vibio Sequestri de flumin. p. 14 ed. Hessel. Verum satis est ad notam explicandam quod ascribitur de capta Alexandria a C. Caesare; eius enim omnes paene uictorias feriis celebratas esse tradit Dio 43, 44. Idem quod tradit 42, 34—43, docet recte quinto demum mense post aduentum Caesaris in Aegyptum Alexandriam receptam dici. Hoc quoque nunquam Ouidius omisisset, si carmen absoluisset. In extremo mensis biduo sacras celebritates duas annotat Ouidius, quarum neutrius indicium est in tabula Maff. Causam eius rei indagemus, quae non eadem utrobique esse uidetur. Fogginius ad finem tabulae primae Praen. non male obseruauit reditus plerosque Augusti ex bellicis expeditionibus Romam arae ali-

cuius dedicatione feriarumque conceptione celebratos fuisse. De Hispaniensi reditu eiusmodi quid augurari uidetur Horatius carm. 3, 14. Anno V. C. 735 rebus orientis pacatis ara Fortunae Reduci dedicata, Dio 54, 10; fast. Amitern. IV Id. Octobr. Anno 741 cum ex Gallia rediisset, ara Pacis constituta, uid. lemma fast. Amitern. IV Non. Iul. Proximo anno coss. P. Sulpicio Quirinio C. Valgio, de quibus uid. Fogg. p. 23, 24, post reditum ex Campania, Dio 54, 28, ἡ σύγκλητος βωμὸν Τύχης Σωτείρας καθιέρωσεν, secundum graecum exemplum monumenti Ancyrani in Pisidia repertum: uid. Discou. in As. min. 2, 426 et Acta minora Acad. Berol. mensis Iun. 1839, p. 104. Anno 745 propter reditum ex Gallia iterum ara Pacis dedicata III Kl' Febr. teste Verrio Flacco in fast. Praenest. Iam III Kl' Apr. aram Pacis etiam commemorat Ouidius, Dio autem unum praeterea reditum ex bello Pannonico 55, 34: καὶ ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αἱ θυσίαι ὥσπερ ἐκ πολεμίας τινὸς ἀνακομισθέντος ἐτελέσθησαν. Haec ipsa uerba, ὥσπερ ἐκ πολεμίας, arae Pacis dedicatae non male conueniunt. Sed uidendum est de mense, quo Augustus tunc redierit. Scripsit illa Dio de anno V. C. 761, quo gesta haec commemorat: primum ad pacem coactos Pannonios Batone primo et Pinnete ducibus, cfr. Vellei. 2, 114: deinde Augustum comitiorum consularium tempore, hoc est circa Maium fere mensem, (si Iulio mense magistratus crearentur, sero id fieri existimabatur, Dio 40, 17; 45,) praesentem quidem Romae fuisse, ab iis tamen se abstinuisse; nam nisi praesens fuisset, ineptum erat hoc notare: nouissime Pannonios rebellasse sub altero Batone et uix eo anno a Silnano coercitos. Medio inter haec loco narratur Augustum Ariminum profectum euentum belli exspectasse, deinde, uti exscripsi, rediisse. Necesse est igitur, redierit aut ante comitia magistratibus creandis, aut sub finem anni. Sed dubium esse non potest, quin priori anni parte. Nam post uerba illa graece a me posita legitur ταῦτα μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπράχθη. Tum rebellio Batonis sequitur. Hoc inepte fieret, si propter eam rebellionem Roma profectus esset Augustus: profectus igitur est priori bello, rediit sub tempus pacis initae, siue ineundae, quandoquidem *insequenti aestate* eam petiisse Pannonios tradit Velleius. Nihil credo obstare, quin Augustus III Kl' Apriles anni V. C. 761 rediisse, eoque die ara Pacis constituta putetur. Fasti Maffeani tum iam pridem, uti demonstraui, lapidi insculpti erant: Ouidius, qui sub finem eius anni demum relegatus est, rem carmini intexere potuit. Extremo mensis die quod Ouidius sacrum Lunae in Auentino commemorat, tabula Maffeana nota eius rei omni caret, ita intelligo, ut Ouidius, uti saepissime, rei me-

moriam ex antiquitate repetierit, quae sua aetate in desuetudinem cesserit. Etiam fastorum tabulae reliquae praeter Maffeanam talia saepe annotant: num hoc loco id Verrius fecerit, sciremus, si ante ista LVNAE IN AVE nota diei in marmore superstite non euanuisset: nam quod in Fogginii typis facto exemplo C additur, negligenter id factum est. Potuerunt Verrii aetate feriae reduci, templum fortasse collapsum restitui, quod item exemplo non caret. Verum haec res, quod tabula Maffeana ferias Lunae Auentinensis, quae praeterea a Liuio 40, 2, Iulio Obseq. 60, P. Victore commemoratur, nullas agnoscit, argumento est diversum id templum fuisse, quod negant Neapolis ad Ouid. l. ind. et Fogginius p. 37, a celebratissimo Dianae Auentinensis, de quo Dionys. 4, 26, quod si eo tempore iniuriam eiusmodi, ut feriae cessare potuissent, passum esset, non ignoraremus. Atqui scimus ex Festo p. 149, 7 iisque fastorum fragmentis, quae eo loco indicat Muellerus, maximum Dianae templum dedicatum fuisse a Seruio rege Id. Aug. Tacitus tamen ann. 15, 41 Dianam Auentinensem Lunam appellasse uidetur.

De Aprili uideamus. Eodem die, prid. Non., exordium capiunt ludi Megalesiaci apud Ouidium, in Maffeana et Praenestina tabula. In utraque hac cur dies C notetur, fateor me nescire. Neque enim id fieri puto propter *nobilium mutitationes cenarum*, quemadmodum annotatur apud Verrium. Alioquin mirum esset patricios tantum, uel nobiles fasto die mutitare, non etiam plebem, uid. Gell. 18, 2. Nonis notam suam deesse in lapide Maffeano supra monui. Postridie Nonas NP ascriptum est, quod ad ferias propter uictum Iubam conceptas spectat, prout Ouidius et tabula Praenestina significant. *Ludos* uero, quos tabula Praenestina etiam habet hoc die, incogitanter *equestres* et propter eam uictoriam fieri dicit Fogginius, cum sint Megalenses. Credibile etiam est una littera erratum esse in describendo marmore Praenestino, E.Q.E.D., pro F.Q., *feriae quod eo die.* Ne quis uero illas litteras NP ad templi Matris Idaeae dedicationem pertinere credat, aliud marmoris Praen. frustum superest cum his litteris: N LVDI.IN.CIRCO.M. D.M.I.IN.PAL[atio.] QVOD.EO.DIE.AEDIS.E[ius.] DEDICATA.EST. Credo olim fuisse NP LVDI etc. Hoc fragmentum cum Fogginius fateatur se accommodare potuisse ad IV, III, uel prid. Idus, non recte postremo loco posuit secundum Liuii locum 29, 14, quo narratur prid. Id. April. deam, cum Romam aduenisset, perlatam esse in aedem Victoriae. Quodsi constaret, quod minime traditur, eo die etiam primam ipsius deae aedem dedicatam fuisse, meminisset Fogginius in tabula Praenestina uullius dedicatio-

nem consignari potuisse, nisi eius, quam Augustus in monumento Ancyrano tab. I dextr. se fecisse dicit. Eam aedem aedificari coeptam, sed nondum absolutam fuisse sua aetate Ouidius indicat uerbis *Augustus nunc est*, 4, 348. Si dedicata iam fuisset, notasset poeta diem, notasset etiam tabula Maffeana. Incendium, quo perierat, coniicio illud fuisse, quo palatium absumptum tradit Dio anno V. C. 756, 55, 12. Diem uero, quo restitutae dedicationem Verrius notauerat, uideor uidere non esse prid. Idus, eo enim ludi Cereris notantur in Maffeano et Vaticano lapide, sed eum diem, quo solo ludos Circenses, quos in eodem Praenestino frustulo consignatos legimus, actos fuisse constat secundum fast. Maff., IV Idus. Alioquin diuerso quidem, sed aeque magno errore a Fogginio ludi Megalenses producuntur in Cerealium dies, atque ab Heinsio contra libros ueteres, uersu Ouidiano 393: *Hinc Cereris ludi* ita mutato: *Hi Cereris ludi*, Cereales in postremum Megalensium diem conferuntur. Eius rei cum hoc solatium profert Fogginius: *Nec mirum, si una eademque die fierent ludi in Circo tum in honorem Matris Magnae, tum Cereris, cum una eademque esset dea, quae M. D. M. I., et Cybele, et Ops, et Ceres, et Bona Dea, et Isis, et Rhea dicebatur*, suo more ineptit, qui tamen hodie quoque aliquorum est mos. Intelligatur uelim Ouidium esse explicandum ad fidem tabulae Maffeanae, non, uti Burmannus fecit, uersum 389 magna littera reducendum a superioribus, cum *spectacula* u. 387 et *Circus* u. 391 reciprocentur ex more Romano, quo Circenses ludi semper sequuntur scenicos. Sed uersus 393 dispescendus est a prioribus et coniectura liberandus. Diem a. d. III Idus praetermittit Ouidius, uel accensere uidetur Circensibus Megalensibus, quemadmodum Trist. 3, 12, 17:

Otia nunc illic, iunctisque ex ordine *ludis*
Cedunt uerbosi garrula bella fori.

Audeo tamen affirmare ludos Megalenses legitimos septem, Cereales octo dies habuisse. Dies intermedius nefastus uidetur mihi instaurandis Circensibus relictus fuisse, quemadmodum ludis Apollinaribus semel tantum, III Id., in tabula Maffeana Circenses notantur, et Dio 48, 33 unam tantum τῶν Ἀπολλωνείων ἱπποδρομίαν nouisse uidetur, quam tamen ex eiusdem libri c. 20 biduo celebratam discimus. Iidem Circenses ludi post scenicos edi soliti aliquando etiam *uenationes* sunt appellati, quemadmodum Cicero ad Atticum 16, 4 *uenationem, quae postridie ludos Apollinares futura esset III Id. Quint.* commemorat: paene ridicule Fogginius p. 124 *Dianam ergo post Apollinem cultam fuisse* colligit; saniora inde didicisset, quod Ouidius de ludis (*Circensibus*, u. 189) Florae quaerit 5, 371, uel

ex Cic. ad diu. 7, 1 de ordine ludorum scenicorum et Circensium Pompeii. De instauratione ludorum Circensium Matris Idaeae quod dixi, si displicet, nec satisfacere uidetur ad explicandum diem nefastum, uide num ex Dionis uerbis 59, 11 de consecratione Drusillae: *καὶ ἐν τοῖς γενεσίοις αὐτῆς ἑορτή τε ὁμοία τοῖς Μεγαλησίοις ἄγηται καὶ ἡ γερουσία, ἥ τε ἱππὰς ἑστιᾶται*, colligere uelis Megalesiis hoc die senatum esse epulatum, quemadmodum ludis Plebeiis, ubi fasti lapidei id indicant, et Romanis, ubi non alia re, quam nefasti diei nota idem indicari supra monui. Idibus April. et notam NP, et causam eius, rem sacram Iouis et Libertatis, soli fasti Maffeani et Ouidius tradunt. Deinde Fordicidia sunt inter ferias Varronis. Neque Mutinensis autem uictoria, neque imperii Augusti initium, XIIX et XVI Kl', feriis insignia fuerunt, uti docent Maffeani et Praenestini fasti N ascriptum habentes. Posteriori tamen die in Praenestinis aliquid annotatum fuisse uidetur, sed, ut saepe, historicae admonitionis et priuatae Verrii scientiae. De Ouidii eius modi additamentis posthac seorsim agetur. Cerealibus quin templum Cereri dedicatum olim fuerit, uix est dubium. Sed id templum, quod superfuisse ad annum 747 testis est Dionysius Lib. 6, 49, postbac afflictum, Augusti aetate restitui non potuisse tradit Tacitus ann. 2, 49. Hinc neque fasti Maff. notam consuetam, neque Ouidius quicquam habet. Parilibus, in quo nomine scribendo non est negligendum lapidem Maffeanum et membranas optimas Ouidii conuenire, nihil de equestribus ludis propter Hispaniensem uictoriam notatur, ut fortasse ista *ἱπποδρομία ἀθάνατος*, de qua Dio 42, 33, abrogata fuerit non multo postquam iam tum praetermissam reduxit Octauianus anno 710, Dio 45, 6. Ab Hadriano denuo reductam constat. Sequuntur feriae Vinalia, signatae in marmore Maffeano NP, Pighio quidem teste, in tabula Praenestina F, omissae in calendario Herwartiano. De his et alteris Vinalibus, XIIII Kl' Sept., signatis NP in lapide Capranicorum, F.P in Maffeano et Amiternino, F in Antiatino, coniunctim dicendum est. Istis enim uicissitudinibus gliscens utrarumque feriarum obliuio subest cum erroribus in utrisque confundendis coniuncta. Ouidius scilicet consulto, ut in Quinquatribus, uulgarem secutus opinionem priora Vinalia et Iouis et Veneris esse docet: quam opinionem aliquanto uetustiorem esse Varro indicat, cum monet 6, 16: *Hic dies Iouis, non Veneris.* Verrius Flaccus, utpote Varrone non indoctior, qui tamen sacra more recepta in fastis Praenestinis notare, non reprehendere deberet, scripsit quod uerum putauit, unius Iouis priora esse Vinalia, sed sequenti tamen die, *proximum superiorem diem festum meretricum*

esse. Eodem modo dubitatum fuisse, essentne posteriora Vinalia Iouis, an Veneris testis est Festus 73, 28 Vrs. his uerbis: ***Rustica Vinalia appellantur mense Augusto XIII Kal. Sept. Iouis dies festus, quia Latini bellum gerentes aduersus Mezentium omnis uini libationem ei deo dedicauerunt. eodem autem die Veneri templa sunt consecrata, alterum ad Circum Maximum, alterum in luco Libitinensi, quia in eius deae tutela sunt horti.*** Horum summa haec est, ut eadem fere de posterioribus Vinalibus tradantur, quae de prioribus Ouidius habet. Atqui aduersantur haec lemmati mense Aprili a Verrio apposito, aduersantur iis, quae ex Verrio Festus p. 98, 10 Vrs. excerpsit, quantum cognosci potest, aduersantur Varroni. Ita igitur existimato, omnia haec apud Verrium eodem loco lecta fuisse, sed partim reprehensa ab eo: Festum deinde res annotatas reddidisse, iudicium Verrii suppressisse. Hoc eum aliquoties fecisse si ignoras, postea exemplis cognoscere poteris. Ita igitur minime opus est Verrium a Varrone discessisse. Alia ratione rem expedire conatur nouissimus Festi editor, de qua si non referremus, metuendum esset, ne ipsa tanti uiri auctoritas nobis noceret. Is post uerba ***XIII Kal. Sept.*** lacunam fingit, ubi primum lecta fuerint quaedam non magni momenti, quae Paulus non uideatur de suo addidisse, deinde mentio iniecta fuerit priorum Vinaliorum, ut ad ea omnia pertineant, quae post illa uerba eamque lacunam sequuntur. Verum hoc nego concedendum esse, ut uernis Vinalibus duo templa Veneri dicata esse perscripserit Verrius. Non est uerisimile id omissurum fuisse Ouidium, qui cum uulgaris opinionis a Varrone improbatae patrocinium suscepisset, unum ante portam Collinam et in Capitolio alterum commemorat, sed neutrum tanquam eo die dedicatum. In tabula Praenestina permirum esset, si ipse Verrius annotare oblitus esset: tamen integrum paene eius lemma seruatum est, quatuor tantum priores uersiculi desunt, quorum primus cum ***Iouis***, tertius ***dei*** mentionem habuerit, in quarto ***consecratum***, non ***consecrata***, uel ***consecratae*** legatur, non uideo, quomodo templa Veneris commemorari potuerint. Inprimis tamen quae Macrobius Sat. 1, 12 exponit, fidem faciunt non tam insigniter a Cincio et Varrone discessisse Verrium, ut illi negauerint ullum sacrificium per totum mensem a maioribus Veneri institutum esse, hic tria affirmauerit, unum Kalendis, duo Vinalibus. Accedit, quod alterum templum apud Festum commemoratum in fastis Capranicorum posterioribus Vinalibus assignatur. Vtut est, si Muellerus, quod facere uidetur, postrema Vinalia nomen habuisse a *uino* animum induxit, statuit in utroque feriarum nomine duplicem originationem, a uino et a Venere, siue,

ut Verrius scripsit, Vinire. Vtroque uero in die unam tantum probasse Varronem manifestum est, si modo non ignorauit, quod ex Paulo Festo reddit Muellerus, idque ab etymologia non est alienum. Iam siue recte iudicauit Varro, siue, quod eius editori placet, non recte et frustra, certum est ueteres ipsos dubitasse in hac re, atque hinc inconstantiam in notis iis diebus addendis ortam existimo. Eam tamen in prioribus feriis quo magis considero, eo mihi rectius iudicasse Varro uidetur. Certum est eius aetate a. d. IX Kl' Mai. sacrum publice nullum factum esse: Iouis nullum commemorat, meretricium priuatum erat, nec olim fieri, opinor, consueuit. Ante suam aetatem Veneris ullum fuisse negabat cum Cincio: de Iouis sacrificio comperisse uidetur, et cur id olim in usu fuerit, posthac abrogatum sit, potest diuinari. Nimirum antequam Flora culta est, de rebus florescendis Iupiter cognomine Frugifer, Appul. de mund. p. 371 Oud., siue cum Hartungo *Frugiferus* dicendus est, implorabatur, inprimis Vinalibus, *cum in spe uitis erat.* Ea cura postquam Florae mandari, Ouid. 5, 264, 269, 323, eique sacrum fieri quinto a Vinalibus die coepit anno V. C. 516, ab eo inde tempore quemadmodum memoria pristini sacri ad utrumque nomen applicari et Veneris cultus utrumque diem occupare potuerit, praesertim antequam grammatici ius pontificium addiscerent et uulgo aperirent, facile, ut puto, intelligitur. Tunc autem actum est de harum feriarum sanctimonia et sine dubio optimo iure Verrius prioribus Vinalibus fas esse scripsit. Simili modo aliquid imminutum esse in posteriorum Vinalium religione, cum signantur F.P, qualecunque id est, quod indicatur, suspiceris. Causam eius notae et quod Varro 6, 20 unum Veneris templum, Verrius loco ind. duo sacrata dicit, credo unam esse et eandem. Id templum, quod dedicatum ait Varro, credo fuisse, cuius locum Festus *ad Circum maximum* indicat. Commemorari postremo apud Liuium uidetur 29, 37 anno V. C. 548. Nihil igitur obstat, quominus Ouidii aetate pridem collapsum putetur: nam quod in fragmento Capranicorum indicatur, id tralaticio more, ut saepissime, fit. Ista igitur causa est, quod tabula Maffeana notam NP non apponit Vinalibus XIV Kl' Sept. Alterum templum a Verrio traditum Varro omittit, sed tantum ferias holitorum commemorat. Atqui inter eas hortulanorum ferias et templi alterius dedicationem aliquid nexus intercessisse docet Festi uocula *quia.* Nego tamen quaerendum esse, cur Varro templum omiserit, sed cur ferias adhibuerit. Id uero non facturum eum fuisse censeo, nisi sua iam aetate de iis feriis, cuius essent, controuersia fuisset. Neque enim solet ferias, quae totius populi non erant, explicare: §. 22

nullam aliam ob causam inter Armilustrium et Saturnalia Septimontium omittitur et post totius anni demum ferias subiicitur, additis his uerbis: *feriae non populi, sed montanorum modo, ut Paganalia iis qui sunt aliquoius pagi*. Hortulanorum, sine olitorum uetustissima sane Veneris adoratio erat, uid. interpp. ad Paul. s. u. *Cocum*, erant tamen illi pars exigua populi, nec, ut puto, urbani, sed pagani homines, quandoquidem eorum feriae *rusticae* appellatae sunt. Num certi alicuius pagi fuerint, qui hortos plurimos habuerit, fateor mihi dubium esse, quamquam Festi uerba ei suspicioni fauent. Vtut est, litteras F.P in tabula Maffeana interpretor *ferias paganorum*. Si coniiceremus tabulam Maffeanam, quae teste Fogginio p. 99 fuit aliquando *in palatio Farnesiano ad Campum Florae*, repertam etiam esse in ea uicinia et olim propositam fuisse in usum paganorum Collis Hortulorum, quia in tituli maximam partem amissi primo uersu syllaba COL . . . extet, qua in regione templi rudera sunt reperta et lapis, in quo nomina *aedituorum Veneris hortorum Sallustianorum* leguntur, uid. Nardini, Roma ant. ed. quart. di Ant. Nibby, 3, p. 95 sq.; ad id igitur templum, fortasse aliquoties restitutum, pertinuisse Vinalia posteriora, quae Rustica eodem modo dicantur, atque apud Martialem 5, 22, 4 *rustica Flora*, hariolarer ad archaeologorum quorumdam morem. — Post Vinalia in Robigalibus cum tabula Maffeana consentit Ouidius et pulchre illustratur a Praenestina. — IIII Kal. num nota NP binas ferias in lapide Maffeano indicet, quemadmodum fit in Praenestino, dedicationem templi Florae et Vestae migrationem in palatium, haud dixerim. Nihil de his feriis habet Varro 6, 16. At Muellerus u. cl. utrasque affuisse olim affirmat, a librariis cum aliis quibusdam omissa esse, quia a Vestae sacro hoc nostro ad alterum V Id. Iun. aberrassent. De hac quoque re maiorem in modum dubito. Primum minime constat aut Varronem, aut Ouidium, aut auctorem fastorum Maffeanorum ferias Florales, uel templi eius dedicationem hoc mense nouisse. Feriae a Varrone enarratae solent magnis litteris in tabula nostra perscribi. Verrii lemma in fastis Praenestinis potest referri ad templum a Tiberio anno V. C. 770 restitutum, uid. Tacit. ann. 2, 49. Quoniam tamen pristini templi dedicatio ab Ouidio, etiam si nouit, in opere imperfecto omitti potuit, eaque ad Varronem nihil pertinet, in fastis Maff. uero notata esse potest, nihil definio: modo illud in animum ne induxisset clarissimus Muellerus, Vestae sacrum, quod certe indicatur in fastis Maff., a Varrone notari potuisse uel debuisse. De eo sacro auctores quos ascribit, Ouidius et Verrius, docent, Vestae aedem dedicatam in domu Augusti Quirinio et Valgio coss.

esse, hoc est anno V. C. 742, aliquot decenniis post Varronis mortem.

Mense Maio quoque a quo die integri sunt fasti Maffeani congruunt Ouidio. Nonae, quae F signantur in fragmento Venusino, cur nefastae in illis sint, ignoro, et ignorabat Pighius: crediderim aliquo modó ad Lemuralia pertinuisse. Ea Lemuralia iis tribus alternis diebus, non triduo, uti Porphyr. ad Hor. epp. 2, 2, 209 dicit, docente Vaassen. p. 242, extare uides, quibus Ouidius notauit. Pridie postrema, III Id., NP ponitur propter ferias Martis Vltoris, cui eo die templum dedicatum et instituti ludi, Dio 55, 10, qui quotannis in Circo, Ouid. u. 597, aliquando etiam in ipso foro Augusti, Dio 56, 27, fieri et instaurari per aliquot dies, id. ibid., consueuerunt. Cerimoniae Argeorum postridie ultima Lemuria non magis hic, quam mense Martio indicium est in tabula Maffeana. — Idibus praeter consuetas Iouis ferias Mercurii sacrum commemorant Ouidius, Paul. Diac. p. 148, 3 Muell. Hinc igitur etiam explicanda est nota NP in fast. Maff. et corrigendum fragmentum Venusinum, quod N habet et uerba MERCVR. MAI. sequenti diei apponit. Herwartianum calendarium apud Petauium recte Idibus. Proxima sunt Agonia in tab. Maff. et apud Ouidium, quae mirum est hunc diuersa non putare ab Agoniis Ianuarii mensis, cum in fragmento Venusino Vediouis fuisse dicantur. In Tubilustrio X Kl', tum in *quattuor notis* IX Kl' conspirant cum Ouidio fasti Maffeani et aliorum fragmenta. Illud propemodum miror, quod VIII Kl' Ouidius sacrum Fortunae Publicae in Colle commemorat, quod etiam fragmenta fastorum Amitern. Esquil. Venus. agnoscunt, et tamen in illis et Maffeanis dies comitialis est. Nam quia Dio 42, 26 *Τύχης τῆς δημοσίας καλουμένης ναὸν* nominat anno V. C. 707, audacius est coniectare quadraginta proximis annis eius Fortunae ferias in obliuionem cessisse. Verum tamen ita necesse esse arbitror. IIII Kl' in eo conueniunt marmor Maffeanum et Ouidius, quod ludi Honoris et Virtutis nulli indicantur, quos eo die celebratos esse probabile supra p. XIX dixi. Aut igitur existimo eos mortuis Caio et Lucio Caesaribus, quorum inprimis in honorem fiebant, per aliquod tempus intermissos, postea demum, quoniam id Dio testatur et calendarium Herwartianum, reductos esse: aut Augusti aetate fortassis non quotannis, sed tertio quintoue quouis anno fiebant, nihil enim, quod sciam, de hac re traditur: aut in marmore eorum indicium euanuit, Ouidius mentionem eorum faciendam distulit: aut potuerunt ex more quodam fastorum in tabula proponendorum quia dies fastus esset, uel perscribi, uel omitti, cuiusmodi tamen aliud exemplum soli ludi

Veneris Genetricis in a. d. VII uel VI Kl' Octobr. a Claudio transpositi testimonio fastorum Capran. et Pincian. sunt, parum id fortasse idoneum, cum ludi Veneris cum ludis Drusillae abrogari potuerint, coll. Dion. 59, 11; 60, 5.

Kalendas Iunias putauerim non N signatas fuisse, quemadmodum in marmore attrito fuisse traditur, sed NP propter sacra ab Ouidio commemorata. Post eas Bellonae et Herculis templorum dedicationes ex *annalibus priscis eruisse* uidetur Ouidius, quarum incelebrior fuit memoria, nec impediebat, quominus dies comitiales haberentur. Piscatorios ludos in tabula non notari nemo mirabitur. Mentis delubri dedicati titulus extat in fast. Maff., qui si non extaret, credo putaremus VII Id. dedicatum, quia eo loquendi more usus est poeta, de quo p. v monuimus. A postrid. Non. ad Idus usque dies nefastos habent fasti Maffeani, inter quos ne maiores quidem feriae Vestae et Matris Matutae, nisi ipsis suis nominibus, emineant, ut dignosci non possit, num propter aram Iouis Pistoris, Fortunae, Concordiae, Iouis Inuicti aedes notam NP positurus fuerit auctor eius tabulae, nisi N praeualuisset. Verum ultra Idus etiam aliquot horarum interuallo in a. d. XVII Kl' Iul. productum fuisse tempus id religiosum, fidem habere licebit fastis Herwartianis, quandoquidem constat Vestae cultum ad ultima imperii Romani tempora sanctissimum mansisse, et antiquiores desunt testes. Verba igitur Ouidii u. 223 *post sacras Idus* non sunt ad diem intercisum in tabula Maff. accommodanda, sed ex uersu 234 aestimanda. De initio religiosi temporis possit dubitari, utrum cum tabula conueniat Ouidio, quia postquam de Nonis egit, illius mentionem fecit, an ab ea discedat, cum u. 225 primam partem Iunii, hoc est a Kalendis ad Idus, nuptiis alienam dicat. Eam dubitationem coniectura satis ingeniosa sublaturus erat Vaassenius, qui scribendum putauit u. 223:

Tum mihi monstratur post sacras tertius *Idus,*

quo efficeretur, ut u. 225 *pars huius* esset pars nefasta diei, qui notatur Q.ST.D.F; *ter* et *iu* aeque facile commutantur ac *ter*, quod scribitur in codd. III, et *in*; uid. Fast. 2, 686, Ib. u. 226. Fauebat ei opinioni, quod ille XVIII Kl' notam N in marmore legi putauit. Obstat uero, quod Ouidius aliquoties numero aliquo posito *diem* feminino genere uoluit subaudiri, nunquam uero masculino, nisi forte ita intelligendum quis decreuerit 5, 603 *Idibus prior*. Quod quia parum exploratum est, priuata religione infaustum tempus aliquanto latius patuisse, quam ex fastis Maffeanis cognoscitur, statuamus oportet, quemadmodum Februario etiam mense demonstratum est. Templorum dedicationes, quas reliqua mensis parte Ouidius

consignauit, posthac data opera suo loco enarrabuntur; docebitur etiam cur omissae sint in tabula lapidea.

§. 2.

Fastos Maffeanos nihil uides continere, nisi quae publica auctoritate stabilita sunt, cum Caesar Augustus fastos ordinaret: nihil quod ad res sacras non spectet, quoniam quae de Caesaris utriusque uictoriis traduntur, dies festos reddebant: nihil, quin usui publico in re praesenti inseruierit. Verum minime omnia, quae eius temporis religioso alicui, qui uel *faciendarum praetermittendarumque rerum diuinarum delectum habere* uellet, scitu opus essent, ea tabula continet.

Religio Romanorum cum deorum ac numinum uarietate Graeciam, cerimoniarum copia ecclesiam Christi catholicam aequiparauerit, interpretem longe doctissimum requirebat. Apud Graecos deorum cultus plerorumque a fabuloso heroum tempore incertis auctoribus repetebatur: Romani quis unumquodque numen unoquoque tempore commendauerit, diligenter curabant: apud catholicos accreuit religionum et castuum multitudo, uelut apud priscos Romanos, sed non decreuit rursus, ut apud illos. Agnoscis duplici modo historicam quasi indolem rei diuinae Romanorum, unde scientia nata est eorum, quae obseruanda, quaeue olim obseruata essent. Eam notitiam a fastis sacris Romani petebant, quos priuati homines proponebant inde ab anno V. C. 449. Tunc enim primum id iuris populus sibi uindicauit, quod postquam factum est, accessit etiam illud non alienum ab historia, ut rerum sacrarum temporis decursu immutatarum memoriae adderentur temporum reipub. Romanae monimenta, hoc est dierum publica aliqua aut fortuna, aut calamitate insignium notae. Hinc summa quaedam doctrinae, quae fastis continebatur, effecta est, historiae perutile quoddam subsidium. Ea scientia si a grammatico aliquo, quales bono reipublicae tempore fuisse scimus, iudicii in litteris subacti, in uita erecti, explicata extaret, nescio, an id monimentum magna in breuitate indolem populi Romani egregie repraesentaret. Sed fortuna uoluit, ut quo tempore id fieri oportuit, tempore et fastorum tabulis Romani uterentur parum emendatis. Inde a Caesarum aetate quae res in fastos illatae sunt, maximam partem poetae non constantissimi neque grauissimi praeconio dignae sunt. Verum *paucis est philosophandum, nam omnino non placet.*

Ouidius igitur fastos Maffeanos, hoc est, eorum similes, immo, ut demonstraui, breuitate et instituto quam simillimos secutus est,

sed locupletauit studiose et illustrauit copiose. Duplex hoc est, quod dico, et separatim considerandum unumquodque. Locupletare intelligo cuiuis diei aut causam notae eidem appositae, uel etiam plures causas, aut denique ea adiungere, quae ad notam ne pertinent quidem. Quod postremum fasti Maffeani nunquam faciunt, qui notas adeo, uti uidimus, raro explicant. Locupletarunt uero isto modo fastos sua doctrina alii, qui in tabulis marmoreis, uel aëneis eos proposuerunt, Fuluius Nobilior et Verrius Flaccus, neque uero explanarunt. Quamquam enim uterque mensium nomina explicauit, uide de Fuluio Macrob. 1, 12 et Verrii inspice titulos tabularum Praenestinarum Martii et Aprilis, ubi aliorum sententias commemorat, a quibus nec exagitandis abstinuit IX et X Kl' April., X Kl' Ian.: tamen longe aliud quid etiam illi fecisse censendi sunt, quibus ad res easdem enarrandas non paucorum digitorum spatium in marmore patebat, sed libri, Paul. Diac. p. 87, 19 Muell., Ou. 1, 657, quos scripserunt, L. Cincius unum, Cornelius Labeo plures, de cuius copia iam nunc uide Macrob. p 245—47 Gron., Laur. Lyd. de mens. 4, 1: hos antiquiores Ouidio fuisse postea demonstrabitur. Nisus, eius aequalis, ut puto, commentarios fastorum edidit. Masurius Sabinus post Verrium et Ouidium fastorum libros duos. Iulius Modestus, diuersus ille ab Aufidio Modesto, et Hygini libertus, de feriis scripsit. His adde quos indicant Festus p. 67 ed. Vrs. lin. 19: [*qui de feriis*] *menstruis scrip*[*serunt*], et Macrobius Sat. 1, 11 fin.: *qui rationem anni mensium dierumque et ordinationem a C. Caesare digestam plenius rettulerunt;* tum Graeculos, qui apud Athenaeum et Lydum nominantur, Anysium, Elpidianum, Manethonem, ipsum denique Io. Lydum. Poterit igitur inter hos et priores tantum certe discriminis agnosci, ut recte dixerimus et locupletatos, et enarratos ab Ouidio fastos esse, et ne inepte hac quidem § de iis lemmatis, quae addidit, deinde sequenti de explicatione disputationem instituamus.

Ampliauit Ouidius fastos Maffeanos, multaque ne subindicata quidem in illis inseruit. Ingens enim rerum copia efficiebat, ut quicunque fastorum descriptionem institueret, satis docte, suo tamen et diuerso ab aliis modo id posset. Fac adornasse sibi eum tabellam, quam postmodo exponeret, eius tabellae non nimis accuratam imaginem dabunt istae, quas in uetustis manu scriptis libris inuentas tibi propono. Habent enim usum, non magnum quidem, aliquem tamen, et sunt saeculorum IX, XI, XIII, XV.

Kl' Ian. Iunonis Iouis et Aesculapii C. Festum Iouis . . . . . et Aesculapii. Dies eg'. E. Iunonis festum [*consecratio templorum* man. sec.] *Iouis*

et esculapii r. Esculapii. Iouis b. IIII *Non. Cancer occidit E. Dies ater et nefastus b.* III *Non. Cancer occidit in Tiberi C. Occidit cancer cosmice r. Occidit cancer b.* II *Non. Nonas. Lira oritur CE. lira oritur. incipit oriri cosmice r. Oritur lira b.* VIII *Idus. Dies ater et nefastus b.* VII *Id. Hic est finis medietatis hiemis r.* VI *Id. Sacrifitium Iani. oritur delphin. b. delphin oritur cosmice. dies agonalis. festum iani. medietas hiemis r.* V *Id. Agonalia Iani. Delphin oritur. C. Festum Iani agonalia. Delphin oritur E. festum carmentis. Receptio iuturne in templum r. Solstitium yemale. medietas yemis. b.* IIII *Id. hyems mediatur C. hyemps media est E. festum carmentis et iuturne b.* III *Id. Carmentis et iuturna C. fer. Carmentis et Iuturne E.* II *Id. Idus Iouis C. fer. Magni iouis E. Iouis festum. Donatio* [*nominatio* man. sec.] *augusti r. Sacrifitium iouis. Reddita est prouincia romanis b.* XVIIII *Kl' Febr. C.* XIX *Kl' febr. Erb.* XVIII *Kl'. festum carmentis. porrime. posuerte. r.* XVII *Kl'. Item Carmentis et Porrimae et Postuentae C. fer. iterum Carmentis E. festum concordie de consecratione templi r.* XVI *Kl'. fer. Concordie E. Sacra relata carmenti b.* XV *Kl'. Sol in aquario CEr. Festum nisi. Templum factum concordie. sol in aquario b.* XIIII *Kl'* — X *Kl'.* VIIII *Lyra occulitur C.* IX *Kl'. Lira occulitur E. lire ortus plenarius i. e. cosmicus et legitur aliter. Vel eliacus occasus legitur r. occidit lira b.* VIII *Kl'. Pectus leonis occidit CEb. Dies eg'. E. pectus leonis occidit cosmice r.* VII *Kl'.* VI *Kl'. Castoris et Pollucis C. fer. Castoris et Pollucis E. Castoris et Pollucis de consecratione templorum r. festum pollucis et castoris b.* V *Kl.* IIII *Kl'.* III *Kl'. Pacis C. f. Pacis Eb. Pacis festum r.* II *Kl'.*

Kl'. Febr. Iulii et Sospitae C. Festum Sospite et iouis E. Reparatio templi sospite. Processio ad auernum. Iou. uestal. capitolini . . . . r. Templum factum sospite. celebratur asitum b. IIII *Non. Lyra penitus occidit C. Lira occidit et tergum leonis E. lira occidit i. e. a sole discedens eliace apparet. leo occidit cosmice r. Occidit leonis tergum lira orcliade b.* III *Non. Delphin occidere incipit C. Delphin occidit E. Delphin occidit i. e. a sole discedit et oritur eliace r. Occidit delphin b.* II *Non. Augustus dictus est pater patrie. oritur ganim. b. Non. Augusti. Et aquarius uadit ad occasum C. Nonas festum. Augustus* [*uocatus est pater patriae. exoritur ganimedes* man. rec. add.] *E. Augustus dictus est pater patrie. Aquarius qui et ganimedes dicitur oritur cosmice r.* VIII *Id.* — VI *Id.* V *Id. Initium ueris C. E* man. rec. *Inicium ueris secundum quosdam. Vnde auctor et primi tempora ueris erunt r. Ver ingreditur secundum computum alienum b.* IIII *Id. Initium ueris E* man. prim. III *Id. Bootes oritur C b. E* man. rec. *Boeste cronice oritur qui dicitur custos urse. r.* II *Id. nefastus dies Fabiorum C. Idus. Iouis et Fauni C. Oritur bootes. festum fauni E. Iouis et fauni festum. obitus fabiorum r. festum fauni. interfectio fabiorum b.* XVI *Kl'. Mart. coruus anguis crater oriuntur CErb cronice r.* XV *Kl'. Sol*

in piscibus. Item Fauni C. Iterum festum fauni . . . . . cursus luperco-rum correptio matrum et uentorum mutabilitas. a primo mane aquarii ortus eliacus. sol in pisce. r. Saturni. fauni. sol in pisce b. XIIII Kl. *fer. fauni. Aquarius occidit. Sol ingreditur pisces* [*aura mutatur* man. rec.] *E. aquarius occidit b.* XIII Kl. *Quirini C. assumptio Quirini. festum for-nacis. concio stultorum. Dies parentales. olla nuptiarum et capitis sacro-rum. festum mute. r.* XII Kl. *Feralia. C. fer. Quirini et sunt forna-calia et fer. stultorum et feralia et f. Mute E. caristia uiuorum r. festum quirini b.* XI Kl. *Caristia uiuorum C. karistia sunt* [*bonum nubere* man. rec.] *E. Termini festum r. Caristia. fest. marum. f. tacite. b.* X Kl. *Termini C. festum termini Eb.* VIIII, IX Kl. *finis hiemis r.* VIII Kl. *fuga tarquinii. inicium ueris reuera. unde auctor. praenuncia ueris irundo r.* VII Kl. *fuga tarquinii superbi E. fuga tarquinii uel superiori die b.* VI Kl. *Fuga tarquinii C.* V Kl. IIII Kl. *Dies eg*¹*. E.* III Kl. *Equiria Cb. in campo martio b E* man. rec. *Festum Martis E. Equiria . . . . . martis in martio campo r.* II Kl.

Kl. *Mart. Festum Martis et Iunonis. Dies eg*¹*. E. Iunonis et martis et consl. casus ancilis. pignus . . . . . silent epitalamica r. festum martis. ancilia feruntur b.* VI Non. *Non est bonum nubere b.* V Non. *Con-ditur alter piscium b. E* man. rec. *Alter e piscibus occidit i. e. cronice oritur. uel principale signum eliace. r.* IIII Non. III Non. *Bootes oritur C. Occidit arthophilax. Lucet uindemitor E. Artophilax occidit cosm. uindemitor apparet licet post uideatur. r. Oritur uindemiator i. e. occidit. b.* II Non. *Cathedra Iulii C. Cathedra Iulii cesaris* [*et festum ueste. Vel Augustus pont. factus* man. rec.] *E. Cathedra iulii cesaris in templo ueste. r. festum ueste. Augustus factus pontifex b.* Non. *Iouis Cb. Nonas. festum uiiouis E. Veiouis festum. pegasus oritur eliace r.* VIII Id. *Oritur collum pegasi E. corona adriagne oritur cronice r. oritur pegasus eliace b.* VII Id. *Oritur corona bachi E. Oritur corona ad ignes eliace b.* VI Id. V Id. IIII Id. *Equiria iterum iuxta tiberim E* man. rec. III Id. *Altera Equiria Crb iuxta* (*r. supra b*) *tiberim rb siue in celio monte r.* II Id. *Equiria iterum iuxta tiberim E* man. pr. *Idus Iouis et Annae C. festum anne. obiit cesar. E. f. anne perhenne. interfectio iulii cesaris in capitolio r. fest. anne perhenne. Interfectus est iul. cesar b.* XVII Kl *April. Oritur Scorpius CEb. Scorpius occidit cosmice a prima parte i. e. a libra. uel incipit occidere . . . . . r.* XVI Kl. *fest. bachi. oritur milulus. fest. cereris E. Bachi festum. miluus oritur cronice. libere toge datio. processio ad argeos r. fest. bachi. oritur miluus b.* XV Kl. *Bacchi C. Sol in ariete origo mundi r. festum cereris. sol in ariete b.* XIIII Kl. *festum minerue E. quinquatria capie minerue r. quinquatria minerue b.* XIII Kl. *Mineruae C.* XII Kl. littera E ascripta in C. XI Kl. Littera R ascripta in C. *Sol in ariete E.* X Kl. *finis quin-quatriorum r.* VIIII, IX Kl. VIII Kl. *equinoctium Erb. uernale b.* VII Kl. VI Kl. V Kl. *Aequinoctium C. festum concordie Iani Sa-*

Iulii et Pacis r. Dies eg^t. E. *IIII Kl'.* Littera I ascr. in *C. festum Iani. Concordie. Salutis. Pacis. E. Sacra iani. f. concordie et pacis b. III Kl'. Lunae C. II Kl'. Iani Concordie Pacis et Salutis C. festum lune E r b.*

Kl'. Aprilis. Veneris et uirilis Fortunae et Scorpius C. fest. uirilis fortune et ueneris. Scorpius occidit. E. iunonis. uirilis fortune. ueneris. Scorpius occidit cosmice r. festum ueneris. occidit scorpius b. IIII Non. Pleiades occidunt C b. pliades occidunt E r. eliace. Nota quod si cecidere eliace non modo oriuntur cosmice r. III Non. II Non. Festum ree matris deorum r. festum cibeles matris deorum b. Nonas. Hebae et matri deorum C. festum cybeles E. festum publice fortune r b. VIII Idus. Publicae Fortunae CE. VII Id. Memoria uictorie augusti in iubam. libra oritur. Orion occidit E. festum cesaris de iuba uicto. Occasus iire cosmicus. orionis cronicus quia cum sole r. fiunt ludi uictorie. occidit orion b. VI Id. festum cereris E b. s. cerealia E. Pompa in circo. Repraesentatio raptus proserpine r. V Id. fiunt ludi cereris C. IIII Id. dies eg^t. E. III Id. II Id. Idus Iouis uictoris CE r b. Mutina uicta C. libertatis E b. dedicatio templi libertatis r. XVIII Kl' Maii. solet grandinare C. [*malus uentus* man. rec.] *uictoria augusti contra Lucium Antonium* [*apud mutinam* man. rec.] *E.* similiter *r. uentus cesar sirine b. XVII Kl'. Telluri sacrificatur forda C. festum Telluris E. Sacrificium telluris de forda boue. Vituli fordarum in cineres rediguntur r. Bos pregnans b. XVI Kl'. Alia uictoria augusti* [*in marcum antonium unde adeptus est imperium* man. rec.] *E. Hiades occidunt eliace. Imperium augusti r. uictoria cesaris in antoninum b. XV Kl'. hyades occidunt E. de duce lanigeri pecoris sol abit etc. r. Occidunt eliades. sol in thauro b. XIIII Kl'. Hiades occidunt C. Cursus in circo. uulpes comburuntur r. Equiria. combustio uulpium b. XIII Kl'. parilia i. e. festum pales. natalis rome r. XII Kl'. festum cereris* [*uel equiria et combustio uulpium* man. rec.] *Dies eg^t. E. festa palis natalis rome b. XI Kl'. Sol exit ab ariete et ingreditur taurum E. Vinalia. festum ueneris et iouis r. X Kl'. festum pales. Natalicium rome E. uinalia s. festum iouis et ueneris b. VIIII Kl', IX Kl'. VIII Kl'. Vinalia sunt s. quoddam festum ueneris et etiam iouis E* man. rec. *VII Kl'. VI Kl'. Rubiginis festum. medietas ueris. aries occidit i. e. a sole recedit et canis Orionis oritur cosmice r. V Kl'. medietas ueris. aues oriuntur b. IIII Kl'. uer medium. occidit aries. oritur canis. f. rubiginis E. festum flore. Receptio ueste in templum cesaris et phebi r. III Kl'. II Kl'. R....ore. f. ueste. phebi. iulii cesaris E. flore ueste et phebi b.*

Kl'. Maii. Oritur amaltea capra. ara laribus posita E man. rec. *b. fest. bone E* man. sec. *Caper oritur cosmice. festum larium. dedicatio templi flore r. VI Non. Hyades apparent CE* man. sec. *flat uentus argestes E* man. sec. *hiades oriuntur cosmice. finis floralium r. V Non. floralia C. Apparet chyron E. fer. flore E* man. sec. *chiron et pantera*

oriuntur cronice r. oriuntur hyades festiui b. *IIII Non.* *III Non. Sagittarius oritur C. Oritur lira E. stellificatio lire r. oritur chiron b. II Non. Pars scorpionis apparet E. Scorpius occidit cosmice r. festum martis ultoris r* man. rec. *Scorpius apparet et occidit b. Nonas. VIII Idus Lemuria C r. quae per tres dies durant r. VII Id. Lemuria. Non apparet orion E. orion occidit eliace r. celebrantur luminaria b. non est bonum nubere E* man. rec. *b. VI Id. cronicus occasus orionis r. Occidit chiron. f. martis b. V Id. festum martis ultoris r. IIII Id. festum Vitoris et Martis E. III Id. Eliace b. II Id. Taurus oritur C. oriuntur piyades. Estas incipit. E. pleades oriuntur cosmice. estas incipit secundum quosdam. r. pleiades apparent. Estas ingreditur secundum computum b. Idus Iouis C. Oritur taurus. festum mercurii E. Scirpea simulacra mittuntur in liberim E* man. sec. *Taurus oritur ab ore apparens. fer. iouis. Scirpea simulacra liberis recipit. festum mercurii r. XVII Kl'. Iunii. festum mercurii b. XVI Kl'. Agonia iani. sol in geminis b. XV Kl'. Sol in geminis C. agonia repetita. sol in geminos r. occidit canis. festum uulcani b. XIIII Kl'. Vulcani C. canis orionis oritur eliace r. XIII Kl'. Sol in geminis. et sunt iterum agonalia E. lustria uulcani r. XII Kl'. apparet canis E. XI Kl'. festum uulcani E. X Kl'. sacrificium pro fuga tarquinii r. VIIII, IX Kl'. Publicae Fortunae. et aquila apparet C. Datum est templum publice fortune r. VIII Kl'. Bootes occidit C. dies eg*[1]*. E. aquila oritur a rostro cronice. r. mos sacrorum fuga regis b. VII Kl'. Hyas oritur C. Mos sacrorum fuga tarquinii E. bootes occidit eliace r. Datum est templum publice fortune b. VI Kl'. fer. publice fortune E. hyas occidit eliace et oritur cosmice r. oritur aquila b. oritur aquile rostrum E* man. sec. *V Kl'. Occidit boetes E b. IIII Kl'. oritur hyas stella E. oritur hyas b. III Kl'. II Kl'.*

Kl'. Iunii. Carnae. Monetae. Martis. Tempestatis CE. oritur aquila E tota add. m. sec. *Carne Iunonis Monete Martis Tempestatis. aquila oritur cronice r. festum diane et iunonis b. IIII Non. Oriuntur hyades E. hyades oriuntur eliace. tempus est pluuiosum r. apparent hyades b. III Non. Hyades uidentur C. festum bellone r. II Non. Bellonae C. festum bellone et herculis E. dedicatio templi herculis r. festum bellone. templum factum herculis b. Nonas. Sequitur qui dicitur fidius et semicaper E. Sancti fidii qui dicitur fidius et semicaper r. non est bonum nubere usque post idus E* man. sec. *VIII Id. templum factum ueste b. VII Id. Vrsa non uidetur. Ludi Tiberis C. Occidit ursa [minor* add. m. sec.] *fer. piscatorum [et ludi in honorem tibridis* man. sec.] *Mentis. Veste. Iouis pistorum E. Boetes occidit i. e. recedit a sole i. e. oritur eliace. ludi tiberis. festum piscatorum r. Occidit boetes. festum piscatorum b. VI Id. Mentis et Vestae C. Oritur delphin E b. Mentis. uestae. pistoris iouis. processio in nuditate pedum. uictoria bruti. r. V Id. Delphin apparet C. festum ino .s. matralia. fortune et concordie E. Delphin incipit oriri cronice r. festum iouis et fortune et concordie b. IIII Id. Matronalia et fortunae C.*

Dies eg[1]. *E. Matralia. fortune. concordie. mors didii. mors rutulii collatini. mors crassi. r. dies ater b. III Id. II Id. Idus Iouis C. fest. inuicti Iouis et mineruе Er. quinquatria minora r. templum iouis factum. f. palladis b. XVIII Kl' Iulii. XVII Kl'. Oritur frons tauri E. dione in fronte tauri. Incipit tempus nuptiale r. XVI Kl'. apparet orion [flat zephirus uentus* ma. sec.] *dies eg*[1]. *E. XV Kl'. oritur delphin Eb. sol in cancro rb. dedicatio templi palladis in auentino r. XIIII Kl'. Sol exit a geminis et ingreditur cancrum. fest. palladis E. Orion oritur eliace et cetus uidetur r. XIII Kl'. Sol in cancro. Palladis in auentino C. festum sumani E. XII Kl'. Summani Cb. oritur esculapius E. dedicatio templi summani iouis r. XI Kl'. Serpentarius oritur C. esculapius oritur rb. cronice r. X Kl'. Ossewaldi regis r. VIIII, IX Kl'. flaminius uirtus E* man. sec. *b. Interitus flaminei ducis romani r. VIII Kl'. festum uirilis fortune E. Solstitium b. Sifax uictus. asdrubal interfectus E* man. sec. *mors asdrubalis et phiace. Victoria masinisse. festum fortune r. VII Kl'. Fortis et Fortunae C. oritur zona orionis E* man. sec. *templum larium. iouis statoris r. VI Kl'. Orion apparet. Agona inferis(?) Solsticium C. oritur zona orionis E* man. pr. *b. Solstitium E* man. sec. *V Kl'. Larium C. Solsticium est E* man. pr. *fest. laris et statoris Eb. IIII Kl'. festum quirini Er. templum quirino factum est b. III Kl'. natale iulii cesaris E. II Kl'. fest. herculis et musarum E. festum pieridum rb et herculis b.*

Multa hic sunt barbara, originem tamen ducunt sine dubio a labore grammatici alicuius saeculi quarti, uel quinti, quare nihil supprimendum putaui. Quaedam omisi in describendo, quae ipsius aetatis fidem faciunt, quia nunc commodius adiiciuntur. Vaassenius animadu. ad fastos sacr. Rom. p. 288 annotauit, coepisse illum morem, quem calendaria ista sequuntur, dies prid. Kal., Non., Id., notandi II Kal. etc. Theodosii aetate, in cuius nouellis obseruatus est. Eodem ducit, quod in codice a me excusso E, saec. XI, diebus ex ordine praefiguntur litterae non nundinales ueteres A—H, sed septimanae christianae A—G. Hic mos usurpatus est, ut chronologi docent, sub idem Theodosii tempus, uid. prae aliis Scaliger de emend. temp. p. 234. Ne uero multo recentiori tempori tabulae nostrae originem assignes, monet superstitio dierum Aegyptiacorum, qui iisdem in locis in nostro calendario et in Herwartiano, siue Lambeciano, de quo uide Vaassen. praef. p. xxv, notantur. De ea superstitione uide duos Ambrosii et Augustini locos illustrantem eundem Vaassenium animadu. p. 7 ad 10 usque. Confecerit igitur eam tabulam primum grammaticus aliquis, Christianus fortasse, sed eius notae, quemadmodum Tertullianus de idolatr. p. 620 ed. Paris. 1580 dixit: *Quaerendum autem est de ludimagistris, sed et caeteris professoribus litterarum; immo non dubitandum affines esse multimo-*

dae idololatriae, primum quibus necesse est deos nationum praedicare — etc.

Lemmata, quae Ouidius, si fastos Maff. conferas, de suo addidisse uidetur, trifariam diuiduntur. Sunt enim aut feriae, indictiuae praesertim, de quibus infra agetur inter fragmenta Varronis rerum diuinarum libri VIII, uel templorum uetustae dedicationes, de quibus exponendum est in libris Varronis V et VI: aut sunt historica, aut astronomica, de quibus utrisque hoc loco disputabitur commodius.

Consignauit igitur Ouidius res gestas, quas deprompsisse uidetur aut ex actis Senatus sui temporis, aut ex annalium scriptoribus fastisue triumphalibus, uel antiquioribus fastorum tabulis interpretibusque. Cfr. Ou. 1, 7—10, 15. Nihil enim in his est, quin aut ipsum, aut simillimum eius in tabulis aliis, posterioribus tamen plerumque, extitisse probari possit. In Maffeanis sane Caesarum tantum facta notantur: quibus titulis quos similes alios Ouidius addidit primo loco recensebimus, quoniam de ara Pacis, pontificatu Augusti, Iuba uicto, supra actum est. Ex quinque, quae restant, lemmatis unum ad C. Caesarem pertinet, caedes eius Idibus Martiis, die parricidii, uti Suetonius olim in fastis nominatum prodit Caes. 88, et atro ac religioso, triumuirorum edicto secundum Dionem 47, 18: *καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐφονεύθη, κυρίαν ἀεί ποτε ἕδραν βουλῆς ἔχουσαν, ἀποφράδα ἐνόμισαν.* Neutrius tamen rei uestigium in fastis Maffeanis, aut apud Ouidium. Negat etiam Vaassenius p. 236 unquam eiusmodi quid in fastos relatum fuisse et praeterito Suetonii loco Dionem explicare conatur ex alio loco 45, 17: *οὐδὲ τῆς ἀποφράδος τὸ μὴ ἐν ἐκείναις βουλεῦσαι — ἀπέσχοντο*, ubi *ἀποφράδα* accipit diem senatui habendo non idoneum, comitialem. Verum et ibi refellitur a Dione 46, 29, ubi uide, et in Id. Mart. operam lusit, quia fasti Maffeani longe sunt, quam putat, recentiores. Vtique igitur si Augustus non omnes dies atros a. V. C. 746 aboleuit, quod supra coniiciebamus, illud de *parricidio* decretum inter triumuirorum instituta erat, quae Augustus a. V. 726 antiquauit teste Dione 53, 2, tutissimum fortasse ratus adulationem publicam compesci. Hinc Ouidius inter istam ueterem adulationem nouumque obsequium ambiguus, dubitat, praetereatne, an commemoret illud facinus. Persequitur tamen mutuato a Simonide colore de umbra Caesaris et mentione facta maturi percussorum omnium interitus, intra triennium, ut tradit Sueton. Caes. 89. De ea fabula adi Dionem 44, 14; 46, 38, 49; 47, 29, 31; 48, 1, 7, 17; 51, 8; Appian. 2, 113, 119; Vellei. 2, 88; Weichert. de Cassio Parmensi p. 250 sq. Nihil praeterea occurrit in illis uersibus notandum, nisi de aede D. Iulii,

de qua uide infra Varronis lib. v *de sacellis*, et de structura uersuum 707, sq.: — *testes estote Philippi*

Et quorum sparsis ossibus albet humus.

Possit hic offendere, quod de se ipsis testimonium illis defertur, quemadmodum in male habito Ponticorum loco 3, 2, 23:

Sint hac contenti uenia, signentque *licebit*

Purgari factum me quoque teste suum;

ubi *signesque* corrigendum puto. Differt etiam Fastorum locus ab illis 6, 765 sq., Propert. 3, 5, 37 Iac., Ouid. her. 20, 101 sq. Ex eo tamen loquendi usu nostrum explicare malo, quam aut emendare *E quorum*, aut *sparsis* de aliis non Philippis, sed diuersis in locis occisis accipere. Inest uis et uenustas, quum quasi obliuione sepulti isti non sepulti excitantur. Eorum, quae ad Octauianum pertinent, memorabile est illud 1, 589 sq. de Augusti appellatione et prouinciis redditis. Videtur hic ex fastorum Praenestinorum cognitione leuis culpae macula Ouidio aspergi, qui eodem die Iduum et Augustum prouincias reddidisse dicit, et ex S. C. populique uoluntate illud cognomen adeptum. Verrius uero, ut Censorinum et Orosium longius discedentes mittamus, illud prius Idibus, hoc alterum XVII Kl' Febr. factum tradit, atque istud quidem satis manifesto, hoc his uerbis seruatis: IMP . CAESAR . . . . PPELL. .TVS . IPSO. VII . ET . AGRIP[*pa coss.*] Cogitabam de supplendo non *Augusto*, sed *Principe*; sed habet hoc, cur displiceat. Esto igitur, utrumque coniunxisse Ouidium, non ignorantia, sed quo aptius illud cognomen Iouiale, u. 608, Iouiali diei, Idibus, conueniret. Verum quid illud esse dicamus acuminis, quod omnium historicorum fidei repugnat, quodque pueri hodie rectius tenent, cum u. 589 *omnis prouincia* reddita dicitur? quasi de ulla prouincia ignotum esse potuisset, essetne Caesaris, an populi Romani. Solus Io. Schraderus mirum illud genus loquendi apud Ouidium animaduertit, emendare animum non induxit. Credo olim scriptum fuisse *ēmunis*, inde factum, quod codd. plerosque habere uides, pro: *Redditaque* immunis *prouincia*, hoc est belli immunis, quieta, ubi *otium* est, uti Cicero ad fam. 2, 17 dixit, quod opponitur *onerosis* prouinciis, quas Verrius dixit. Ita scripsit Ouidius Met. 1, 100:

Mollia securae peragebant otia gentes:

Ipsa quoque immunis *rastroque intacta, nec ullis*

Saucia uomeribus — tellus.

et 7, 229: — *neque eras* immunis *Enipeu.* —

Proximum quoque, quod Non. Febr. traditur apud Ouidium, de Patris Patriae cognomine in Augustum collato a fastis Praenestinis ne-

gligentiae coargui uidetur, quae tamen in interpretes recidit. Non mihi dubium est, quin ueteris lapidis fragmentum Praeneste initio saec. XVI repertum, quemadmodum homines docti maturo censuerunt, ad mensem Februarium fastorum Verrii Flacci pertineat, quantumuis perperam in nouem uersiculos a Fuluio Vrsino, qui primus edidit, ita descriptum:

NON . N . CONCORDIAE
IN . ARCE . FERIAE . EX
S . C . QVOD . EO . DIE
IMPERATOR . CAESAR
AVGVSTVS . PONTIFEX
MAXIMVS . TRIB . POTEST.
XXI . COS . XIII . A . SENATV
POPVLO . QVE . ROMANO . PATER
PATRIAE . APPELLATVS.

Homines docti qui in eum lapidem commentati sunt, Norisius Cenot. Pis. 2, 8, Perizonius Animadu. hist. c. 7, Fogginius praef. p. XII sq., omnes ferias Concordiae in arce institutas dicunt propter populi consensum in deferendo Augusti cognomine. Hoc erat neglígentiae postulare Ouidium, qui tam insigne factum, tamque acute quod applicari potuisset, omisit. Quod ignosci potest Norisio et Perizonio peccatum, fastorum Praenestinorum editori uix potest. Nusquam enim aut in fastis Verrii, aut in ullis aliis indicuntur *Carmenti feriae*, *Marti feriae*, *Annae Perennae feriae*, *Robigo feriae*, *Volcano feriae*, caet., sed ubique: *feriae Carmenti*. Distinguendum igitur ita est: *Non. N. Concordiae in arce:* hoc est, *sacrum fit*. Ita saepissime fasti loquuntur atque ita, distinctione adhibita, intelligendum est quod in cal. Capran. mense Augusto legitur: *Saluti; sacrificium publ.* Deinde apud Verrium: *Feriae ex S. C. quod* etc., quod item est frequentissimum. Quod autem Verrius sacrum fieri in fano Concordiae eo die notauit, rectissime fecisse uidetur ex antiquioris, ut saepe solet, historiae penu. Sacra enim in templis eo die solent fieri, quo olim dedicata sunt. Aedes uero in arce Concordiae dedicata est Liuio referente 23, 21 primo uere anni V. C. 537: Casilinum post hiberna Capuana captum narratur cap. 19, nouos consules Id. Mart. magistratum iniisse cap. 30; nihil rei superiori tempore Romae gestae repeti docent capita 11 et 14. Verum illa Concordiae in arce aedes, quae Nonis Februariis dedicata uidetur, post annum V. C. 544, Liu. 26, 23, nusquam commemoratur, quod sciam, et si uel superfuerit Ouidii aetate, satis tamen excusatus hic est, si modo, quod euici, ad Augusti cognomen non

pertinuit. — Lib. 4, u. 627, 628 commemoratur proelium ad Forum Gallorum siue ad Mutinam commissum anno V. C. 711, de quo legitur apud Ciceronem epp. ad fam. 10, 30, Appianum bell. ciu. 3, 71, Dionem 46, 37 eosque, qui ibi a Reimaro adhibentur. Verbis *militia sua* non est improbabile Ouidium respexisse ad id, quod Suetonius Oct. 10 tradit, et ducis, et militis, et aquiliferi munere perfunctum esse tunc Octauianum. — Lib. 4, u. 673 agitur de Imperatoris nomine ab Augusto assumpto XVI Kl' April. Annum, cuius is dies fuit, opportune suppeditat Dio 52, 41: *ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐν ᾧ τὸ πέμπτον ὑπάτευσε — τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. λέγω δ' οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισίν, (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕϛερον ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥϛε καὶ ἓν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν,) ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν* —. Res tamen est procliuis ad errores. Erat enim alius quoque dies consimilis, cuius meminit marmor Narbonense, thes. Gruter. p. 229: VII.IDVS.IANVAR.QVA.DIE.PRIMVM.IMPERIVM.ORBIS.TERRARVM.AVSPICATVS.EST, et Plinius N. h. 11, 73: *Diuo Augusto Spoleti sacrificanti, primo potestatis suae die, sex uictimarum iecinora — reperta sunt.* Denique fasti Praenestini VII Id. Ian.: C.IMP.CAESAR.AVGVST....|| HIRTIO.ET.PANSA ... Suspicionem tamen erroris Ouidiani, quae suboriri possit, propter ea, quae dicit:

Vt titulum imperii quam primum luce sequenti
Augusto iuueni *prospera bella darent,*

procul habeo: *prospera signa* multos codices habere mendacium dixisse Burmannum uides. *Bella* uero interpretor Actiacum. *Iuuenem* Octauianum biennio etiam post, cum princeps iam esset, Horatius dixit carm. 1, 2. Hoc cum allego, cogor de errore admonere amicum Car. Frankium, qui in fastis Horatianis annum, quo princeps Octauianus dictus, cum illo, quo Imperatoris nomen consulatu quinto assumpsit, confudit. Potuisset ad partes uocare Cic. ad fam. 9, 17 ubi C. Caesar princeps audit. Restat, ut commemoretur in fastis Praenestinis mense Aprili huius quoque rei mentionem factam uideri, restare tamen ex eo lemmate tantum syllabam CO, ne sic tamen quidem recte praetermissam a Fogginio.

Ex annalibus ueteribus Ouidius sumpsisse uidetur, quae iam recensebuntur. Primum Fabianam cladem, quam dicit accidisse Idibus Februariis, contra historicorum, qui restant, fidem. Omnes enim eodem die illam, quo et Alliensem, accidisse tradunt. Liv. 6, 1: *diemque a. d. XV Kal. Sextil. duplici clade insignem, quo die ad*

Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt. Plutarch. Camill. c. 19: Ἐγένετο δὲ ἡ μάχη περὶ τροπὰς θερινὰς περὶ τὴν πανσέληνον, ᾗ καὶ πρότερον ἡμέρᾳ μέγα πάθος συνέβη τὸ περὶ τοὺς Φαβίους. Tacit. hist. 2, 91: *diem a. d. XV Kal. Aug. infaustam Cremerensi Alliensique cladibus.* Haec fluxisse ex errore Liuii in uerbis Cassii Heminae, quae allegat Macr. 1, 16: *Q. Sulpicium trib. mil. ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia fecisse postrid. Id. Quint., item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum,* id durum est credere Vaassenio p. 204 affirmanti. Vulgarem opinionem putauerim illam, quam tamen multo minus probabile est Ouidium ignorare potuisse, quae Niebuhrii est sententia hist. Ro. 2, p. 222, cum suspicatur non discretos ab eo dies exitus et interitus Fabiorum. Quare ita sentio, aut habuisse Ouidium quem sequeretur in sua sententia idoneum aliquem testem, et maluisse hanc cladem hoc loco, quam utramque Quinctili mense narrare, aut reuera non de die quo perierint, sed quo exierint, scripsisse. Vtut est, credo de hac expeditione Q. Fabium Pictorem in annalibus exposuisse, uid. Nieb. 2, p. 9, et cum duplex de ea memoria tradita fuerit, Dion. Hal. 9, 18, Fabii copiosiorem et gloriosiorem narrationem fuisse, eam dico, quam Dionysius c. 21 extr. πιϛοτέραν perhibet, quaeque cum Ouidiana conspirat. Iam uero illius ubertatis in re gentilicia erat diem ipsum et mensem notari, quod et alias Fabium Pictorem fecisse scimus ex Plutarcho, Rom. 14 init. Fuerit igitur hoc sacrum ab Ouidio ex *annalibus priscis* erutum. Ad Cremerensem cladem tamen, non ad egressum Fabiorum refero, non quo historiae rectius consulatur, quemadmodum Vaassenius disputat, quia quinque mensium spatium rebus gestis a Dionysio traditis melius conueniat, quam quindecim dierum; ista enim multo dexterius expedita sūnt per Niebuhrium: sed quia ex copiosa Ouidii narratione aliquid certe mense Quinctili, quem certe, cum haec scriberet, compositurus erat, uti posterius disces, repetendum fuisset, si in profectione Fabiorum ex Vrbe euentum eius rei ultimum animi causa addidisset. Absque hoc foret, facili negotio poterat legi uersu 195:

Haec fuit illa dies, a qua *Veientibus aruis*

et illud premi, poetam in exitu describendo u. 197—202, u. 233, satis copiosum esse, ad tuendam denique correctionem adhiberi usus loquendi Met. 3, 571:

Spumeus et feruens et ab obiice *saeuior ibat;*

Tibull. 1, 7, 1, 3: *Hunc cecinere diem* —

Hinc *fore*, *Aquitanas posset qui uincere gentes*,

quemadmodum olim legendum conieci; Virg. Aen. 4, 169:

Ille dies primus leti primusque malorum

Causa fuit.

Quae de Regifugio Ouidius habet 2, 685 sq. tractationis genere notabilia sunt, de qua infra dicetur; lemma ipsum inter ferias fastorum Maffeanorum est, neque huc pertinet. Libro sexto aliquot ducum Romanorum uictoriae, uel clades consignantur. Expeditiones ipsae maximam partem ab aliis satis sunt illustratae, uelut u. 461 de Bruto Callaico laudantur Strabo lib. 3, c. 3, p. 198, 200, 202 ed. Cor.; Liv. 36, 10; Florus 2, 17, 12; Vellei. 2, 5, 1. Annus fuit V. C. 618. Adde ueterem interpretem Ciceronis pro Archia p. 248 ed. Mai: *Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue, quam feliciter gestas. Eius etiam nomini..... poetae tragici extat liber, cuius plurimos uersus, quos Saturnios appellauerunt, uestibulo templi Martis superscribsit Brutus.* De hac inscriptione uid. Niebuhr. hist. Rom. 2. p. 661, et de templo Bruti Callaici Plin. nat. hist. 37, 5, ubi pro *porta Lauicana* uide, num reponere malis *pontem Vaticanum*. Sequitur famigerata Crassi calamitas, de qua nihil opus est notare, interpositis his uersibus:

Scilicet interdum miscentur tristia laetis,

Ne populum toto pectore festa iuuent,

in quibus poteris agnoscere imitationem aut Callimachi, fragm. 418 Blomf. ex Gregorio Nazianzeno:

ἐπεὶ θεοὶ οὐδὲ γελάσσαι

Ἀκλαυτεὶ μερόπεσσιν ὀιζυροῖσιν ἔδωκαν,

aut Apollonii Rhodii 4, 1165:

Ἀλλὰ γὰρ οὔποτε φῦλα δυηπαθέων ἀνθρώπων

Τερπωλῆς ἐπέβημεν ὅλῳ ποδί. σὺν δέ τις αἰεὶ

Πικρὰ παρεμβέβληκεν ἐυφροσύνῃσιν ἀνίη.

Sequitur u. 563 mors P. Rutilii Lupi bello Marsico ipsis Matralibus anni 663. Vide Appian. 1, 60; Flor. 3, 18; Vellei. 2, 16. Nihil opus hic morari. Sequitur uero hoc distichon:

Proximus annus erat: Pallantide caesus eadem

Didius hostiles ingeminauit opes.

Hic incertissima omnia sunt. Nusquam T. Didius legatus L. Sex. Caesaris bello Marsico occisus refertur. Quare interpretes aut Didii nomen retinendum censent, mutato longiore uersu: *Proximus ausus idem, Pall.*, uel: *Annus erat decimus: Pall.*, ut intelligatur Didius anno 673 a Sertorio deuictus, qui tamen apud Plut. Sert.

c. 12 Fidius est, aut pro Didio Porcium sufficiunt, quia Velleius 2, 16 Porcium Catonem consulem post Rutilium eodem fato, quo illum, usum refert: non utique pessime, si modo libri addicerent. Mihi coniectura in mentem olim uenit, cuius ne nunc quidem puderet, si de Didio Saxa Acronis et Crucquii scholiastae ad Hor. carm. 3, 6, 9 testimonia ualere possent contra Dionem 47, 35 et Appianum b. ciu. 4, 87; 102. Itaque non habeo quod de hoc loco iudicem: Niebuhrii de Ouidio iudicio utor, uid. hist. Ro. 3, p. 35. De Postumii Tuberti triumpho u. 721 a. d. XIII Kl' Iul. satis est ad Niebuhrium h. R. 2, 510 ablegare. Diem, quo ad Trasimenum pugnatum est u. 768 potuit poeta notatum inuenire apud Fabium Pictorem, quem Liuius quoque eius pugnae potissimum auctorem se habuisse fatetur 22, 7. De capto Sypbace u. 769 lege Liu. 30, 12: de morte Hasdrubalis, u. 770, socii eius nihil traditur: paulum aberat, ut de ea certiores fieremus ex Dionis Cassii fragmentis nuper Bonnae a Fr. Haasio illo nostro ex cod. Par. editis.

Atque hactenus quidem de historicis, quae carmini intexuit Ouidius. Tertio loco stellarum ortus et occasus enarrauit in fastis, primus quidem fortasse. De Caesare dict. dubitari sane possit, an is quae de stellarum uicissitudinibus plurima docuit, ea annotauerit in fastorum tabula a se proposita, quemadmodum id fit in multo posteriorum tabularum fragmentis quae restant: uidetur id iocus ille Ciceronis, Plut. Caes. 59: ἐκ διατάγματος probare. Non uacat de ea re nunc quaerere; illud enim certum est, Ouidium 1, 310 non esse intelligendum de Caesare dictatore, cuius obseruationem rarissime poeta sequitur. De Ouidio astronomo libellum scripsit Idelerus uir doctiss., editum in annal. acad. Berol. 1823 p. 137 sq., quo poetam non raro ignarissimum rerum, quas tractauit, fuisse commonstratum iuit. Negari non potest semel grauiter eum peccasse: in reliquis tamen a nobis nunc defendetur, et ita defendetur, uti a philologo exspectare decet. Nam quod ille dixit, grammaticus de litteris est interrogandus: de ouium dentibus opiliones. Demonstrabimus certos auctores fideliter Ouidium tantumnon ubique secutum, qui si peccauerunt, neque id ad Nasonem pertinebat, neque nostra ualde interforet, nisi operam ab Idelero semel collocatam, ubicunque id fieri potest, ad partes uocare cogeremur. Difficillimum fuisset, immo nunquam fieri potuisset, ut Ouidius ad ea, quae sequitur, referretur, nisi anno uno post scriptum Ideleri libellum uetus scriptor publici iuris factus esset, qui in hac parte idem, aut plus nobis praestitit, quam in superiore § fasti Pighiani. Quaecunque praeter illum astronomorum reliquiae extant, Graecorum, Democriti, Phi-

lippi, Euctemonis, Calippi, Hipparchi, Eudoxi, Metrodori fragmenta apud Geminum, Ptolemaeum, Lydum de mensibus, Caesaris apud eosdem et Plinium uel Columellam, Varronis et Nigidii passim apud multos, nihil paene prosunt Ouidio, nisi intercessore isto scriptore, quem iam nuncupandum esse uideo. Est is Clodius Tuscus, cuius fastos astronomicos graece ad uerbum, ut ait, redditos libro suo de ostentis inseruit Laurentius Lydus, quem librum ex codice Caseolino edidit Ben. Hasius Parisiis 1823. Ea ipsa pars eius libri, quae maximo nobis fuit usui, iam pridem nota erat, sed contempta iure iacebat, certe ad Ouidium conferre nihil poterat: Ptolemaei diceba- tur esse; quare etiamsi quis cum Ouidio contulisset, certe ex Oui- dio consarcinata uisa esset, praesertim cum latine extaret. Clodius Tuscus grammaticus fuit, cuius commentariorum libros quatuor Ser- uius ad Virgilium, litteras ad Sinnium Capitonem datas Gellius com- memorat 5, 20; Sinnii Capitonis scriptis usus est Verrius Flaccus, Ouidii aequalis, uide Festum Muelleri p. 443. Quanto ante Verrium tempore uterque uixerit, uel ita apparebit, si cum illo Gellii loco de *soloecismo* contuleris alium 13, 6 de *barbarismo*, ubi Verrium intelligi cognosces ex Festo p. 1, 12 Vrs. Non multum obstat, quo- minus Tuscum, qui nominatur a Seneca rhetore suasor. 2, non pro historico, sed propter historicum dictum male usurpatum: nihil plane, quominus Tuscum Ouidii sodalem Pont. 4, 16, 20 pro hoc Clodio Tusco habeamus. Iam uero astronomiam ad grammaticos perti- nuisse uix est, ut Nigidii, Varronis, uel Graecorum, uel Hygini istius, quandocunque uixit, exemplo doceatur. Amicum uero amico de rebus, quas rectius calleret, librum inscribere ac suppeditare per se consentaneum est, et fecit id Parthenius Graecus grammaticus et poeta Gallo Cornelio. Illum igitur librum Clodii grammatici in Ouidii spem gratiae conscriptum putabo: uti certe illo Ouidium po- tuisse temporis ratio, et usum esse res ipsa coarguit. In ea re ipsa exponenda ordinem sequar hunc, ut primum ponam eos locos, qui utrobique plane sunt similes, siue uera continent, siue, quoniam id per Idelerum licet, falsa; deinde ea, quae conueniunt inter utrum- que, si aut Ouidius rectius intelligitur, aut Clodius emendatur, suppleturue: tum quae discedere uidentur. — Initium faciendum est ab infelici ani, quae Ideleri diligentiam effugit planeque ab eo omissa est, Miluo, 3, 793: ut nesciendum sit, quam bene, quae Ouidius et Clodius habent, ad ueritatem astronomicam collineent, et utrum mane, an uesperi oriatur. Si certum esset, mane eum oriri, quo- niam *illa nocte* apud Ouidium posteriorem Argeorum diem significat, posset cogitari de diluculo matutino a. d. XV Kal. April., quo die

Nicolaus Leonicus, latinus Clodii interpres, id sidus annotauit: cuius utor editione Aldina 1516, ante Ouidii tom. 3, cum Hasius primum impressum dicat 1533. Sed quamquam ille latinus Clodius suum usum habet, quippe qui e diuerso codice originem ducat, malo hic graecum sequi, qui postquam primum VII Id. notauit ἰκτῖνος ἄρχεται φαίνεσθαι, XIV Kl' eum φαίνεσθαι ἕως τῆς ἰσημερίας, quae est IX Kl', docet: haec igitur si de stella miluo, non de aui, quae item tunc cum hirundine uisitur, Ouidius accepit, neque XVII Kl', neque XVI Kl' eo signo carent, et apud Geminum ed. Petau. p. 68 fin. die ultimo Piscium, apud Ptolemaeum p. 83 C die 21 mensis Phamenoth secundum Philippum miluus apparet: uterque dies conuenit cum XVII Kl'; nam postridie solem in Arietem ingredi ipse Clodius docet, et Kal. Mart. incidunt in diem quintum Phamenoth anni Alexandrini, uid. Ideler. epichirid. chronol. 1, p. 141. Sed quae recte se habere apud Ouidium Idelerus scripsit, apud Clodium eadem extant haec:

Arcturi ortus, Clod. III Id. Febr. Ouid. 2, 153; qui quae addit, uespertinum tempus et positum signi, a Gemino p. 68 B sumpsisse uidetur. Eiusdem Arcturi qui refertur occasus matutinus apud Ouidium 6, 235: *Tertia post Nonas remouere Lycaona Phoebe*
Fertur —,
si rectius intelligitur, conuenit accuratius ueritati. IV Id. reapse matutinus occidit Bootes secundum Ideler. p 142. Ouidius igitur mihi uidetur non VII Id., quod Idelerus et ueteres grammatici putarunt, sed VI Id. indigitare, quemadmodum Clodius: τῇ πρὸ ς' εἰδῶν. ὁ ἀρκτοῦρος ὄρθρου δύεται: dixit tertiam a Nonis noctem cum euanescat eum remouere, accuratius locutus, quam cum paulo post u. 247, 48 eundem diem ex more fastorum sextum ab Idibus appellat, uti etiam multa cum interpretum molestia 2, 684. Caeterum per se patet eam temporis notam pertinere etiam ad ludos piscatorios u. 237 — 40, qui falso superioribus adiungi solent.

Chiron, quem Clodius V Non. Mai. oriri dicit, Ouidius 5, 379 *nocte* mensis *minus quarta* prodeuntem facit, hoc est eodem die, et uesperi secundum Ptolemaeum p. 83 E. Idelerus ignorauit locutionem illam *minus quartus*, h. e. tertius. Ita Pont. 4, 5, 7: *Luce minus decima dominam uenietis ad urbem.* Virg. ge. 4, 208: *plus septima aestas.*

Lyra, cuius occasus uespertinus non longe a ueritate bis indicatur, 1, 653 XI Kal. et 2, 73 IV Non. Febr., eodem loco notatur apud Clodium. Aut enim in priori Ouidii loco *hinc* uocula referenda est uoce legentis eodem, quo u. 651 *Haec*, ad XVII Kal.,

aut, quia Clodius XI Kal. occidere eam dicit, Ouidius, ut solet, proxima nocte occidisse notat. Altero loco conuenit Ouidio cum Clodio, si adhibita Ideleri doctrina intellexeris Ouidium correxisse leuiter Clodii uerba. Is scripsit *τῇ πρὸ γ' νωνῶν τὸ μέσον τοῦ λέοντος σὺν τῇ λύρᾳ δύεται.* Atqui non simul occidunt, sed leo mane, lyra uesperi, Idel. p. 156; eadem igitur nocte, sed cuius ea pars, qua lyra occidit, ad IV Non. pertinet. Hoc aut Clodius ipse accuratius extulerat, ueluti VI Kal. Febr. eius rei uestigia habes, aut a Ptolemaeo p. 80 D, hoc est, ab eo, quem is et Clodius reddit, admonitus est Naso.

Delphinus secundum ipsos astronomiae calculos uespere oritur IV Id. Iun. itemque apud Clodium et apud Ouidium 6, 471. Geminus p. 70 A proxime accedit, si Arcturi et Delphini numeros transponas, sed pro *ιγ'* et *ιη'*, *ιη'* et *κγ'* mutes.

Pliadas Ouidius dicit omnes aspici III Id. Mai., biduo quidem ante, quam reuera id fieri docet Idelerus p. 152. Sed Clodium reddit, qui inde a Nonis aliquoties, sed postremo IV Id. ortum Vergiliarum ascribit, nec omittit principium aestatis, quod caue credas ad eum diem magis, quam ad sideris ortum, tum perfectum, pertinere. Apud Geminum p. 69 D pro *ἐν τῇ κβ'* legas licet *κδ'*.

Eodem modo fine libri quinti astronomica quae restabant, ex quo solem in Geminos abire dixerat, (canem enim illuc non pertinere infra disces,) ita comprehendit:

Auferat ex oculis ueniens Aurora Booten,
Continuaque die sidus Hyantis erit:

hoc est, simulatque arcturus occiderit, Hyadas pedetentim usque ad finem mensis continuo oriri. Nota, ut puto, structura grammatica. Cfr. 4, 775: *eueniant et*, h. e. si eueniant, faciemus; 3, 809; 2, 445; 5, 534; 2, 150, 855. *Sidus erit*, ut 2, 695 *Luna fuit*. Scilicet legerat apud Clodium Arcturum occidere XII Kal., ac deinde aliquoties Suculas, uel Taurum, cuius pars sunt, oriri (VII Kl' emendandum est *δύεται*), donec Kal. Iun. *αἱ ὑάδες ὅλαι ἀνίσχουσιν*: diebus intermediis certe non aberant.

Easdem Hyadas 4, 677 uesperi dicit occidere XVI uel XV Kal. Mai., neque a ueritate longe, et auctore Clodio.

Quod de Orione 6, 717 traditur, cum Clodio ex ed. Hasii minus conuenit, at ex uersione Leonici optime, qui XV Kal. Iul. humeros Orionis emergere dicit. De hac diuersitate eiusque causa infra leges. Geminus, siue Democritus apud Geminum p. 70 A fin., medius est inter utrumque. Vtut est, nego contra astronomiam peccari potuisse ab Ouidio, si is Clodium inspexit, apud quem sequenti

die diserte mane oriri dicitur, quod Eudoxi est apud Geminum p. 64 C. Intellexit igitur Ouidius, ut supra, finem noctis sequentis, idque eo magis, cum ortum Delphini adiungat pauloque superius repetat, quod indicat illud *continua nocte*. Oritur autem, uti uidimus, IV Id., repetitur autem etiam apud Clodium, et inde admonitus poeta eum posuit.

De Cancro quoque recte notat 1, 311 eum III Non. dimidia tantum parte extiturum esse. Brachia enim pridie eius diei matutino occiderant teste Clodio, ut proxima nocte frustra quaererentur. Correximus locum etiam e codd. III Nonas uesperi illa occidere, quod putat Idelerus, id minime dixit Ouidius. Biduum interest inter Ouidium Clodiumque et astronomorum calculos.

Non nimis differt a uero Crateris ortus uespertinus, quem poeta ex Clodio desumpsit, postrid. Id. Febr. Quod adiunxit de Angue et Coruo sane de suo et falso addidit docente Idelero.

Aquarium item recte uterque oriri media tenus parte dicit Non. Febr. Sequuntur loci, ubi Ouidius cum Clodio conspirat, sed cum illo a ueritate astronomiae recedit longius.

Quod 3, 407 post Arcturum, de quo postea leges, de Vindemitore dicitur: *At non effugiet Vindemitor*, quam apte dictum sit, immo latine dictum esse non intelliges, nisi secundum Clodium dictum perspexeris, qui tertio die ante Vindemitorem exoriri tradit, matutino quidem, quod negant astronomi.

De Lyrae exortu matutino Non. Ian. falsi sunt ueteres docente Idelero, omnes tamen cum Ouidio et Clodio ita habent.

Lyram III Non. Mai. exoriri praeter Ouidium et Clodium nemo tradit, quod sententiae nostrae egregie fauet: quamquam apud Columellam 11, 2 fortassis ita pro III Id. emendandum est. Sed quod Idelerus putat ortum uespertinum notare uoluisse Ouidium, eius opinionis neque causam uideo, et Clodius disertis uerbis habet: ἡ λύρα ἕωθεν ἀνίσχει.

Kal. April. Ouidius 4, 163 et Clodius Scorpium occidere annotant. De occasu matutino non optime conuenit, quem solus Columella tradit: sed credo de uespertino, de quo per Clodium cogitari liceret, peius etiam, quia Idelerus tacet.

Si locum de Boote 5, 733 ita interpretaris, quemadmodum supra dixi, ut *ueniens Aurora* significet occasum matutinum, non tamen VII Kl', sed eius diei, quem Clodius habet, XII Kl', non melius Ouidius quam Columella astronomiae conuenit: non duo dies, uti apud Idelerum, sed septem intercedent.

Item uno die peius conspirat Ouidius cum astronomia in Del-

phino 2, 79, quem re uera occidere monet Idelerus Kal. Febr., qnique non, ut is cum aliis putauit, ab Onidio III Non. refertur, sed secundum Clodium prid. Non., sequenti nocte post Leonis matutinum occasum, quem ad III Non. pertinere monstratum est.

Sequuntur loci, quibus Clodius ab Ouidio aut recte, aut perperam discedere uidetur, sed non discedit.

Idelerus p. 160 docet: *Betrachten wir den Antares als die Mitte des Scorpions, so liegt der 6 Mai in der Mitte zwischen den Tagen seines wahren und scheinbaren Frühaufgangs für Rom.* Hoc est, 5, 417: *Scorpios — a media parte notandus erit* recte reddere astronomorum calculos, si ortum matutinum liceat intelligere. De occasu tamen matutino ipse accipit et erroris insimulat poetam, quia nimirum Columella quoque prid. Non. Mai. *occidere*, non oriri Scorpium annotet. Qnod e corrupto iam Clodio fluxisse puto, qui paulo ante uerum solus seruauit, IV. Non.: *ὁ σκορπίος ἕωθεν ἀνίσχει.* Hoc Eudoxus tradidit, quem corruptum eodem loco, certe eodem interstitio a VII Kal. Mai. Clodii ibi et ipsius corrupti Geminus laudat p. 69 D. Tribus locis astronomi neteres emendandi sunt, quorum uno Clodius, altero Ouidius, nisi data opera mala interpretatione uexetur, rem seruarunt. Apud Ptolemaeum maior etiam confusio.

Quoniam Columella Clodium secutus est, licebit rursus hunc ex illo et Ouidio emendare Nonis Martiis. Nam quod 3, 449 de Pegaso est: *Iamque ubi caeruleum uallabunt sidera caelum,*

Suspice, Gorgonei colla uidebis equi,

recte tradi affirmat Idelerus p. 149, si de ortu matutino, quem Columella habet, accipi possit. Auetor uero sim, ut confidenter ita accipiatur, siquidem Vediouis festum nocturnum erat, ut omnium nocentinm deorum, quod infra demonstrabitur. *Iamque* igitur est sub eius noctis finem. At Clodius perperam: *Δύεται ὁ ἵππος ἀπὸ πρωΐ*, etiam contra Ptolemaeum, qui aliquoties initio mensis et propridie Nonas Mart., h. e. 10 Phamenoth ortum indicat Equi.

Nonis Martiis etiam corrigendum est quod Clodius habet: *δύεται δὲ καὶ ὁ ςέφανος ὄρθρος*: primum quia superior nostra correctio in exordio eiusdem lemmatis id flagitat, legi *Φαίνεται ὁ ἵππος ἀπὸ πρωΐ, φαίνεται δὲ καὶ ὁ ςέφανος ἑσπέρᾳ.* Deinde, quia Ouidius ita demum recte post Equum dixit 3, 459:

Protinus aspicies uenienti nocte Coronam,

hoc est uesperi eiusdem diei. Postremo quia Ptolemaeus p. 82 D biduo ante, sed Geminus p. 68 E ipsis Nonis Martiis, die uigesimo primo ab ingressu solis in Pisces, qui secundum Ouidium et Clodium

cadit in XV Kal. Mart., ortum uespertinum Coronae consignant. Nihil igitur hac coniectura uerisimilius. Cfr. Varro ap. Lyd. de mens. 4, 35.

Quod dicitur apud Ouidium 5, 603, prid. Id. Mai. Tauri caput oriri, uide, flagitetne emendationem apud Tuscum III Id., ubi legitur: *αἱ ὑάδες δύονται* (cod. *λύονται*). Si ortum eorum hic ille perscripsit, postero etiam die caput Tauri cerni, si res ferebat, recte Ouidius dixerit, uti Geminus p. 69 E triduo etiam postea. Ac triduo ante id diserte tradiderat Clodius: *καὶ ἡ κεφαλὴ τοῦ ταύρου ἀναφαίνεται*, quod certe neque cum illo sequenti lemmate stare potest, neque cum his uerbis, quae proxime praecedunt: *ἡ δὲ ὗας* (cod. *οἶας*) *δύεται*. Eadem certe die caput Tauri oriri et Hyades, quae sunt cornua in eo, occidere nequeunt. Quare in his uerbis aliud quid latere puto, fortasse: *Ὠρίων δύεται*. Nam hoc ipso die, VI Id. Mai., siue 14 Pachon, et Ptolemaeus p. 86 C Orionem occidere, et Ouidius die sequenti frustra eundem quaeri narrat 5, 493, quod apud Clodium eum legisse oportet.

Pari confidentia suppleri poterit Clodius VI Id. Apriles. Dubium non est, nec erat quod Idelerus id operose astrueret, Ouidium 4, 385 loqui de VIII Id. Apr., quo die fasti Praenestini Iubam a Caesare in Africa uictum tradunt. Tunc igitur Libra imbrem mouebat teste Ouidio. Imbres indicantur apud Clodium istis diebus, Libra non indicatur. At eo die, quo Plinius nat. hist. 18, 66 Libram a Caesare notatam tradit: *Caesari VI Idus significatur imber librae occasu*, quoque Geminus p. 69 B hoc habet: *Καλίππῳ ζυγὸς ἄρχεται δύνειν*, eo ipso die stribligo est in uerbis seruatis Clodii et lacunae indicium apud Hasium: *τῇ πρὸ ς' εἰδῶν. Ὁ ζέφυρος ὄρθρου ἄρχεται δύεσθαι* .... Eam lacunam infeliciter resarsisse Leonicum patet, qui ita: *VI. Fauonius flare incipit matutino: Vergiliae occidunt.* Vergilias enim ex proxime antecedenti lemmate intulit, ubi habes: *τὸ λοιπὸν τῶν ὑάδων* (alius codex *πλειάδων*, et *Vergilias* uertit Leonicus) *δύεται*. Ita igitur restitue: *τῇ πρὸ ς' εἰδῶν. Ὁ ζέφυρος ὄρθρου. Ἄρχεται δύεσθαι ζυγόν. Pendula libra* est proximo biduo occasura. Aliud etiam audeo. Nam quod statim adiungit Ouidius, Orionem quoque occasurum ante finem Megalesiorum, mirum, nisi idem temporis punctum notare uoluit, a. d. VI Idus Apr., qui dies praeter unum ultimus erat ludorum scenicorum, ut apud Clodium haec duo exciderint, *ζυγὸν καὶ Ὠρίων*, nisi deleto zephyro mauis: *Ὁ ζυγὸς καὶ Ὠρίων ἄρχ. δύεσθαι.*

Nec infelicius Clodium supplebis postridie Id. Mart. Eius enim lemmatis nihil extare uides apud Hasium, nisi haec: *ις'. τῇ πρὸ ις' καλενδῶν Ἀπριλίων* .... Atqui Columella et Geminus

p. 68 E secundum Euctemonem eo ipso die occasum Scorpii notant, et eundem sine dubio Ouidius 3, 711. Nam quod dixit Idelerus, uerba debere ortum significare, non magis necesse est, quam 5, 417 occasum indicari.

Paulo impeditius est indicium de postremo, quem Naso consignatum habet, ortu matutino Orionis, zonae quidem, 6, 785, postquam de humeris u. 717 dixit. Ea difficultas in eo uersatur, quod, sicut supra dixi, recte omnia collineant, si interpretem latinum Lydi Leonicum sequaris, qui alio codice usus; minus recte, si editionem Parisiensem. Apud Leonicum VI Kal. Iul., qui est tertius dies ab VIII Kal., quemque Ouidius satis aperte indicat, legitur: *Breuissima nox: Orion exoritur.* Ita etiam Ouidius, nisi quod signatius zonam, quae etiam biduo post apud Clodium. Codex enim Leonici integrum lemma: *Arcturus occidit matutino et aëris intemperies*, in fine mensis adiungit, quod eodem loco, fine mensis Pagni Ptolemaeus habet, unde irrepsisse potest, et quod VII Id. apud Lydum legitur, ὁ ὦμος τοῦ Ὠρίωνος ἀνίσχει, omittit, unde ab eo die omnia priora habet. Nolo tamen sine ultima necessitate dieculae discrimen inter Ouidium et Clodium admittere et meo iure probo deteriorem codicem.

Kal. Maiis rursus sine codice Caseolino frustra essemus. Capellam oriri dicit Ouidius. Leonicus: *K. Canis occultatur: rores descendunt.* Codex Lydi ueterrimus: Μάϊος. ά. Ὁ μὲν κύων κρύπτεται, δρόσος δὲ καταφαίνεται. Quaeso, quid hoc est locutionis, cum ista per μέν et δέ coniunguntur? Lego: ὁ μὲν κύων κρύπτεται, ἔριφος δὲ ἀναφαίνεται. Ἔριφος Capella est Lydo etiam VIII Kal. Mai. Ita Ouidius accurate conuenit cum Clodio, et is non longe abest a Columella, qui III Kal. Mai. mane Capram oriri, sicuti etiam circa idem tempus Ptolemaeus, tradit.

Vno in loco Ouidius secundum Clodium est emendandus, 3, 406. Hic enim ita: ὁ ἀρκτοῦρος ἐν ἡμέρᾳ ἀνίσχει, hoc est, oritur heliace. Atque ortum Bootae a. d. III Non. Mart. agnoscit in calendario quod supra edidi codex Vossianus. Extitisse igitur apud poetam olim existimo, littera pro apice addita:

Emerget, uisus effugietque tuos,

h. e. puncto temporis inter diluculum apparebit. Librarii astronomiae ignari utrumque, quod dicitur, concoquere non potuerunt.

Re uera discedit Ouidius a Clodio in his, ubi causam fortasse habuit. Biduo distulit Aquilae mentionem 5, 731, quam ipse VIII Kl', Clodius X Kal. Iun. conspici dicit, ne seriem trium dierum festorum, qui praecedunt, interpellaret. Hyadas 6, 197 IV Non. Iun., et Aquilam 5, 196 Kal. Iun. ponit, accurate Ptolemaeum secutus 6

et 7 Pagni p. 87 E. At Clodius Aquilam Kal., Hyadas IV Non. habet. Scilicet tam apte Aquilae mentio prioribus sese adiungebat, quam moleste initio mensis ortus matutinus sideris alicuius ponebatur. Mense Ianuario posteriori Clodius quater notauerat Lyram occidere, eique signo bis postero die Leonis occasum ascripserat. Ouidius uero, qui a XV Kal. ad VII Kal. non, quod notaret, haberet, (quamobrem etiam praeter consuetum de feriis conceptiuis docere instituit,) elegit, qui in medium id spatium incideret, Lyrae occasum X Kal. Febr. 1, 653, et addidit postridie Leonem, u. 655, quamuis non tunc, sed aut quatriduo ante, aut quinto post die Lyrae adesse legisset. Cur Delphinum 1, 457 ad V Id. Ian. distulerit a Nonis, nec ipse exputo. Thyonae exortum XVII Kal. Iul. 6, 711 non a Tusco, sed ab eo, quem Ptolemaeus p. 88 D sequitur: ὁ λαμπρὸς τῶν ὑάδων ἐπιτέλλει, sumpsisse uidetur. Clodius enim nihil eiusmodi habet. In heliaco occasu Pliadum IV Non. April. 4, 165 manifesto Ouidius Democriti uerba secutus est, quae eodem die seruauit Geminus p. 69 B, *Δημοκρίτῳ πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι*, non Clodium, qui die demum sequenti occasum uespertinum habet. In his tribus tantum reuera discedit a Clodio data opera. Ter praeterea, ubi in die non discedit, ortum pro occasu, uel occasum pro ortu, uel uespere pro mane posuit, per errorem. Mirum id est in Cane, tam noto sidere, quod oriri dicit VII Kal. Mai. 4, 904: *exoriturque canis* et u. 939: *quo sidere moto*; excusari potest in Hyadibus VI Non. Mai. 5, 165, et in Ophiucho, quem mane a. d. XI Kal. Iul. non occidentem, ut Clodius, sed surgentem facit 6, 733, et in Hyadibus, quas Clodius mane VI Non. Mai., Ouidius eodem die uesperi narrat exoriri 5, 163.

De his hactenus disputatis iam nunc iudica, satisne demonstrent ad unum potissimum auctorem referendum esse Ouidium. De iis uero, quae restant, quominus de omni argumento astronomico apud Ouidium dixerimus, non ante iudicato, quam ea legeris, quae infra de librorum quinque posteriorum Ouidii condicione disputabuntur. Sunt enim uersus de sideribus in fastis, qui expressi sunt ex commentariolo Tusci, sed non suo loco legi uidentur et alio olim pertinuerunt. Plane mirificum illud est, quod postquam, uti oportuit, mense Martio, VII Kal. April., aequinoctium uernum commemorauit 3, 877, quo die illud non quidem Varro r. rust. 1, 28 et Idelerus p. 150, sed tamen Clodius habet, deinde eodem proximi mensis die haec habet inde a u. 901:

Sex ubi quae restant luces Aprilis habebit,
In medio cursu tempora ueris erunt;

Et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres, exoriturque canis.

Verum Arietis occasum hoc die frustra quaeres in astronomorum scriptis, et uer medium nemo unquam contendit diuersum esse ab aequinoctio uerno. Priori mense apud Clodium aequinoctium, Arietem, imbres, omnia inuenies. Finge scriptos illos uersus de extremis Martii diebus, quod per primum profecto licet, nihil erit impedimenti, nisi quod Clodius ἕωθεν ἀνίσχειν Arietem dixit. At id fortasse Ouidius correxit sua experientia, nam Idelerus septimo die ante tunc Romae uesperi occidisse docet. Posthac uero quia mense Martio paulo ante eum diem Arietis in alia fabula mentio fuisset, illinc remoti sunt suffecto illo, quod hodie legimus, disticho 877, 78. Quis in Aprilem transtulerit, num post Nasonis mortem alius, nescimus, sed illum etiam clausulam *exoriturque canis* se dignissimam addidisse crediderim. Sunt etiam alii uersus, quos non eo loco, quo leguntur, positurus fuisse Ouidius uidetur. Nam 3, 399 alter ex Piscibus *tertia nocte* occidere dicitur. Vt nunc est, tertia nox a Kalendis Mart. intelligitur. At mirum, nisi de tertia a Nonis scripti fuerunt. Tunc enim Clodius: τῇ πρὸ ζ' εἰδῶν — καὶ ὄρθρου ὁ ἰχθὺς ἀπὸ τοῦ νότου ἄρχεται κρύπτεσθαι, ubi aeque male in Hasii interpretatione est *piscis a tergore*, quam tertio die post *νότου* contra codicem, expulso νώτου, inter Lydi uerba adeo receptum. Australis enim intelligendus est piscis apud Ouidium, contra atque Idelerus arbitratus est. Dein 5, 723 quod de a. d. XI Kl' Iun. traditur, frustra quaeras apud Clodium: at fac *noctem* illam *sequentem* ad Idus pertinere, disces ab illo occasum matutinum esse intelligendum. Habes de omnibus siderum notis apud Ouidium quod existimo.

§. 3.

Quoniam demonstratum est, argumentum carminis Ouidiani e quot et qualibus partibus, et unde concinnatum esset, proxima quaestio erit de pertractatione lemmatum, de ipsius poetae in hac re eruditione, de doctrinae subsidiis et adiumentis, quibus usus est. Dicetur primo loco de fastorum et temporum, de quibus supra etiam occoeptum est, scientia.

Anni Romani priscam rationem credibile est ueteres annalium scriptores tradidisse, antiquiores etiam illis, qui a Macrobio sat. 1, 13, p. 253 Gron. in ea re nominantur, saeculi fere ab V. C. septimi. Fieri igitur potuisse existimo, ut C. Licinius Macer ea sententia,

quae profertur a Censorino c. 20, p. 105 Hauerc., aliorum secutus sit iudicium per manus traditum et uetustius temporibus Iunii Gracchani et M. Fuluii Nobilioris cos. anno V. C. 565, qui antiquissimi sunt eorum, qui super anno Romano nominatim laudantur. M. Iunius utrum de ea re data opera ac singulari libro exposuerit, an in commentariorum libris, quos Varro de l. l. 6, 95 commemorauit, exploratum non est. Fragmenta eius huius generis sunt apud Varronem de l. l. 6, 33; Macr. 1, 13, p. 253; Censor. 20, p. 105; 22, p. 119, quae ab aliis sunt annotata: reliqua ex alius argumenti libris eius multo, quam adhuc factum est, diligentius e Cicerone, Festo, Gellio conquisita dabit propediem amicus quidam noster, cuius in prouinciam inuolare huius loci non est. Fuluius autem Nobilior cum fastorum tabulam, uel tabulas a se confectas in aede Herculis Musarum posuerit teste Macr. 1, 12, p. 244, tum etiam libros de eodem argumento composuisse uidetur, qui quanta auctoritate statim fuerint, docet locus Coelii Antipatri a Charisio adhibitus 1, p. 112 P.: *Publicatos quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliori scriptos retulisse*, quae uerba nescio an ex usu sermonis latini uix de alia re interpretari liceat, ac de homine aliquo in re controuersa publice ad Fuluii scripta prouocante. Ex commentario aliquo huiusmodi luculentam partem Laurentius Lydus transtulit in librum suum de ostentis, cap. 16. Proximus, qui certa aetate de anni temporibus scripsit, est M. Terentius Varro, ut puto, in libris antiquitatum humanarum: quorum cum unus testibus Gell. 3, 2, Macr. 1, 3, p. 195 *de diebus* fuerit, interfuerit iis etiam ille, quem *de saeculis* inscriptum tradit Seruius ad Aen. 8, 526: medium igitur inter illos aliquem probabile est *de annis* fuisse, ita enim consueuit M. Terentius. Restant duo grammatici, quorum definiri oportet aetatem, L. Cincius et Cornelius Labeo. Lucii Cincii duo saltem plane diuersi commemorantur, annalium scriptor notissimus cognomine Alimentus tempore belli Punici secundi et negotiator quidam, ut uidetur, Romanus in Ciceronis epp. ad Att. 1, 7 et aliquoties praeterea. Vix igitur magis necesse est eum Lucium Cincium, qui a Festo p. 218 Muell. nominari utique uidetur, fuisse annalium auctorem, quam fuisse argentarium: uaria, quae sub Cincii nomine apud Festum allegantur, scripta eiusdem esse hominis conuenit, nisi manifesto dissimilia habuerunt argumenta; neque enim in ipsis Aeliorum nominibus indiscriminatim, uti uideri possit obiter legenti, positis errari passus est Verrius, quemadmodum demonstrabitur. Cum igitur grammatica pleraque sint, quae Cincii extant apud Festum, cumque id genus, quod multi iudicarunt et nemo non uidet, non optime Cincii

Alimenti aeuo, uitae, loco conueniat, non existimauerim eatenus tuendam esse Niebuhrii summi uiri sententiam pronunciatam in h. R. 2, p. 10, ut cum Bernhardyo u. dss. hist. litt. R. p. 256 ann. quem librum *Cincii de uerbis priscis* Festus laudat, dicamus fuisse *de uerbis priscis Cincii*. Festi Cincium esse eundem, cuius *librum de fastis* Macrobius sat. 1, 12, p. 244 commemorat, non fortasse necesse est, licebit tamen coniectare: aeque enim commode fastos a grammatico, quam ab historico scribi potuisse exemplis doceri potest. Id si conceditur, uideor mihi accuratius L. Cincii grammatici aetatem indagaturus, quam hucusque factum est. Primum enim uixit post Iunium Gracchanum et Fuluium Nobiliorem. Nam quos Cincius in libro fastorum imperite opinari de mense Aprili scripsit secundum Macrobii locum ind., Varro de l. l. 6, 33 docet illos fuisse. Deinde uixit non modo ante Verrium Flaccum, sed etiam, ut infra intelliges, ante Ouidium. Tum non uixit post Varronem, si uel minimum fidei est in Macrobio, qui paulo post *consentire Cincio Varronem* dixit, uti nec ante Aelium Stilonem, si modo Verrius Flaccus quoque et Festus, quoties id fieri potuit, temporis ordinem in nominandis scriptoribus secuti sunt: ubicunque consentiunt et plerumque cum dissentiunt Aelius antecedit Cincium. Fuerit igitur fortasse Cincius paulo ante Varronem Aelio magistro usus. Etiam monendum est, cum a Laurentio Lydo de mensibus 4, 92, p. 290 Rö. Cincii, qui Ῥωμαῖος σοφιςής appellatur 4, 44, p. 216, liber περὶ τῶν ἑορτῶν nuncupatur, non id esse librum *de fastis*, sed *de feriis*: quare auctor fuerim apud Macrobium 1, 16, p. 267 in illis uerbis: *quia Titius de feriis scribens*, uti reponatur *Cincius*. Ea nomina permutata sunt apud Io. Sarisberiensem 8, 7, uel potius apud Macrobium 2, 9 fin., ubi uide Meursium. Vetus ed. Macrobii Ven. 1492 habet sat. 1, 12, p. 248, l. 2: *ut Cigius arbitratur*. Charisius 1, p. 107 P. *Varronem et Tullium et Cintium* coniungit. Consentius p. 2031 P. *Cinum* allegat. Postremo non dubito, quin quae Macrobius Sat. 3, 2, p. 386 de uoce *uitulari*, Festus p. 98, 22 Vrs. de *rica*, p. 205, 2 Muell. de *offendicibus* sub Titii nomine proferunt, sint ex L. Cincii libris de uerbis priscis, non ex C. Titii Sex. f. Sex. n. tribuni plebis a. V. C. 597 orationibus. — Admodum lubrica est quaestio de Cornelio Labeone, quem Macrobius sat. 1, 16, p. 268; 1, 18, p. 291; 3, 4, p. 391 scripsisse testatur libros de fastis, de oraculo Apollinis Clarii et aliquid de Penatibus, sed id fortasse in libris, qui appellati sunt *de dis animalibus*, uid. Seru. ad Aen. 3, 168. Libros de fastis Macrobius 1, 12 aliquoties ad partes uocat, quos etiam manifesto Lydus de mensibus 4, 1, p. 141; 4, 20,

p. 172 Rö. usurpauit, quanquam Labeonem tantum nominat: quod cum is etiam in libro de ostentis fecerit, ubi c. 3 et 42 Labeo Tarchontis libros interpretatus et de fulminibus commentatus esse dicitur, hac in re Fulgentius in expos. serm. ant. p. 769 Stau. fraudis absoluitur, qui similia Labeonis commemorat, et possit cogitari de Cornelio Labeone, non Antistio, uti Hasius censet. Caeterum ad utrum pertineant quae ex Labeone profert Augustinus de ciu. d. 2, 11; 14; 3, 25; 8, 13; 9, 19, in medio relinquo. De aetate Cornelii quaeritur. Possit in mentem uenire, diuersum non esse ab Antistio, transiisse hunc aliquando in gentem Corneliam et transtulisse in eam cognomen Antistiorum. Id quin ita rite fieri potuerit, uix dubito et (Q?) Antistii Labeonis aetas notissima est ex Gellio. Verum eius suspicionis causa nulla foret, nisi haec, quod quae ex Seruio annotaui, non sunt aliena ab Antistii *commentariis iuris pontificii*, siue *pontificalis*, deinde quod Macrobius 3, 9, p. 408 manifesto Antistii commentariorum librum octauum et sexagesimum solo cognomine usus allegat. Verum eius modi homines ut Festus et Macrobius ita tantum, si unum exscripserunt, ad communem accurationis normam exiguntur. Alia ratione usus Vaassenius animadu. p. 327 propter ea, quae apud Macrobium p. 268 leguntur, Cornelium Labeonem scripsisse ante legem Hortensiam de nundinis existimauit, quam legem anno V. C. 684 esse assignandam ibidem demonstratum iuit. Id si ita foret, cogitaret fortasse quis de Cornelio commentariorum scriptore, ter a Varrone de l. l. nuncupato, qui ab alio importuno cognomine 5, 148 liberari possit, si ita legatur: *neo quod is*, *Cornelius stilo secutus*. Sed Macrobius l. ind. non dicit ullos ex nominatis a se legem Hortensiam ignorasse, sed tueri se potuisse patrocinio uetustatis, et Niebuhrius h. R. 2, p. 243 iudicio Pighii ann. 1, p. 409 de lege lata a. V. C. 466 accessit. Aliud etiam argumentum de aetate Corn. Labeonis peti posset a Festo p. 134 Muell., ubi quod de Maii mensis ueriloquio postremum ponitur: *an quod ipsi* (ipi solent habere codd.) *deae in multis Latinis ciuitatibus sacrificia fiebant* . . , siue Muellerum sequaris, siue malis: *quod Opi deae*, totum illud Cornelii Labeonis apud Macr. 1, 12 p. 245 sententiam continere uidetur. Tamen si uel Verrius Flaccus eius libris uti potuit, Ouidium potuisse uix sequitur, usum esse 5, 81 — 106 non constat.

Ouidius de historia anni Romani 3, 99 — 154 uulgarem doctorum suae aetatis et posterioris opinionem sequitur, qualem exponit Macrob. 1, 12 et 13, et cuius uetustissimos auctores Censorinus 1, 20, p. 105 Iunium, Fuluium et Varronem prodit. Vixerunt hi ea

aetate, qua subtilior temporis administratio et olim administrati notitia uix ulla fuit: quapropter in indagando coniectura rem gessisse et a uero aberrasse uidentur, a quo Licin. Macer fortassis abfuit propius. De anno pristino duodecimestri Iosephi Scaligeri, de decimestri Niebuhrii praeclarae extant disputationes: utriusque anni rationum coniunctionem, quicquid monuit Niebuhrius h. R. 1, p. 313, nullam primitus affuisse puto, sed factam aliquando postquam gentes, quarum peculiaris unaquaeque fuit, coaluerunt, expositam fortassis in iure Papiriano, uid. Dion. Hal. 3, 36 fin. Eius uero conciliationis in testimonium coniicio sex mensium nomina ex anno Latinorum, altera sex ex anno, cuiuscunque gentis fuit, antequam cyclicus fieret, fuisse usurpata. Iam uero illi scriptores a Censorino nominati, qui notitiam de anno decimestri imperfectam haberent, uestigia exigua illa a Niebuhrio p. 315 annotata deprehenderent, nomine Decembris inducti undecunque argumenta maximam partem dissimilia conquisiuerunt, unde efficerent, ut Martius primus anni decimestris mensis fuisset. Ea argumenta iisdem paene uerbis proferunt Ouidius 3, 135—148 et Macrobius 1, 12, p. 242, 243, credo, ex Varrone, cuius cum uerbis de l. l. 9, 86 conferes Ouid. uers. 125. Niebuhrius cum p. 313 neget annum decimestrem solum in usu fuisse, quod non neganerim, quo iure p. 315 Martium proximum Decembri fuisse statuat, non intelligo: totum illud de additis Ianuario et Februario mensibus commenticium existimo. Si de illis argumentis quaeris, facile est dedocere: laurea curiarum et flaminum ignisque Vestae spectant ad perfectam superiori mense februationem: noui magistratus ad Regifugium: uectigalia ad magistratus: notum, ut annare et perennare commode liceret, consueta erat formula aliorum quoque sacrorum, uid. Ou. 4, 775; 1, 87: mercedes Quinquatribus soluendae et coenae seruorum per se non sunt idoneae ad probandum. Consimilem, ut opinor, ob causam uisum est in anno duodecimestri Februarium aliquando ultimum mensem esse debuisse, quam opinionem posuerunt Ouidius 2, 47 sq. et Paulus Diaconus p. 85, 13 Muell. Ouidio in eo loco magnam iniuriam fecit Idelerus enchir. chron. 2, p. 53, quasi ignorasset, ut Varro loquitur, *non minus in fornicibus propter sinistram dextram stare, quam propter sinistram dextram:* scilicet *tempora* uers. 54 sunt dies prid. Kl' Febr. et Kal. Mart., *spatium* uers. 53 est menstruum. Apud Paulum codex a me usurpatus habet: *quia tum extremo m. a.* Praeter haec uerba totum id lemma Verrium olim a Varrone sumpsisse fidem facit Censorinus 1, 22, p. 121. Donec liquido ex bonis codd. docebitur ista uerba ex glossemate irrepsisse, omnia sua Oui-

dium a Varrone accepisse existimabo, etiam illud de decemuiris consueti ordinis auctoribus. Nam Varro, si modo ex illis de intercalationis origine indiciis a Macrobio 1, 13, p. 253, 254 commemoratis nullum ignorauit, cum Fuluium Nobiliorem refelleret, doceretque intercalatum iam anno V. C. 281 L. Pinario Mamercino, P. Furio coss., simul Sempronium Tuditanum et Cassium Heminam redarguit, qui decemuiros legibus scribendis auctores prodiderant: facile igitur erat suspicari hos aliud quid ab intercalatione non alienum innouasse. Scripsit fortasse Varro ab his primum intercalatum esse *inter mensem Februarium, qui tunc esset extremus, et inter Kal. Martias, quae fuerant primae.* Haec enim uerba ex eius epistolicis quaestionibus excerpta seruauit Seruius ad Virg. ge. 1, 43, sed leuiter corrupta ita: *quae tum erant primae.* Verum id nisi eo, quo tentaui, uel alio modo emendatur, Varronem credamus oportet annum Numae a Martio ad Februarium decurrentem et Ianuarium mensem undecimum sibi finxisse, cui rei, ut Philarg. ad Virg. ge. 3, 304 omittam, casu quodam conuenit locus de l. l. 6, 34, qui tamen nec coniecturae nostrae obstat: sui enim temporis ordinem usurpat. Sed cuiuscunque sententiam Ouidius in libro secundo expressit, aliquando eam deseruit. Nam in libro primo, quem solum ab eo retractatum demonstrabo, uers. 44 omnes codices praeter leuis momenti interpolatos quosdam habent: *praeposuitque duos.* Huius quoque mutatae sententiae si auctor quaerendus est, dabo Hyginum, cuius commentarios in Virgilium (Gell. 1, 21) paulo ante editos coniicio, quam ab Ouidio *uatum studiosus nouorum* appellaretur; trist. 3, 14, 7. Ex his commentariis inter multa, quae excerpsit, Macr. 1, 7, p. 217 hoc profert, Saturno et Iano duos continuos menses dicatos esse.

Transeo ad mensium nomina. De Ianuario nulla unquam fuit dubitatio: de Iano quae Ouidius persequitur, alibi explicabuntur. De Februarii nomine duplicem causam Ouidius habet, februationem aut Lupercaliorum, uers. 31, aut Feraliorum, uers. 33. Altera est Varronis, uid. de l. l. 6, 34 et Censorin. c. 22, p. 121, cuius illa uerba: *februum autem non idem usquequaque dicitur, nam aliter in aliis sacris februatur,* respondent Ouidianis uers. 21—28. Altera est Fuluii et Iunii, uid. Varr. l. ind. et Macrob. 1, 13 p. 250: *lustrari autem eo mense ciuitatem necesse erat, quo instituit, ut iusta diis manibus soluerentur.* De Martio mense sententiae duae leuiter discrepantes ab Ouidio auxilio opinionis istius de anno Romuli conciliantur 3, 97, 98: altera, uerss. 73—77 comprehensa, erat Fuluii et Iunii, uid. Censor. 22, p. 119; altera Varronis, ex quo quae Censorinus l. l. p. 120 et sine dubio Verrius Flaccus in fastigio tabulae

Praenestinae protulerunt, ita differunt ab Ouidianis uers. 87 — 96, ut Ouidius ad illustranda ipsa Varronis uerba, quae u. 85 sq. posuisse uidetur, praeter populos foederis olim Latini etiam Sabinos et Aequos et alteris utris affines Pelignos, Hernicos, Faliscos nominet. Similiter in Aprili rem poeta gessit. Eius mensis appellationem Fuluius et Iunius ab Aphrodite repetiuerant, teste Varrone l. l. 6, 33: ipse autem Varro ab aperiendo, Macrob. 1, 12, p. 244, Censor. l. ind. Vtramque originationem Verrius in capite tabulae Praen. perscripsit. Vetustiorem opinionem Ouidius persequitur 4, u. 27 — 60, ac deinde exornat Varronianis, uti mox intelliges, argumentis: Varronianum ueriloquium improbat et impugnat inde a uersu 87, sed postquam multa edisseruit, nec a repetitionibus sibi temperauit u. 117 — 124, eleganti colore ipsos Varronianae sententiae articulos pro sua interpretatur. Nam ad Venerem accommodat, quod Varro teste Verrio et Macrobio dixerat *aperiri fruges*, uersu 128; *flores*, u. 127; *terram*, u. 126; *maria*, uu. 131, 132; *caelum*, u. 129. De Maio mense quamquam ingens auctorum controuersia fuit, prout dicit Macrobius p. 244 et exponit p. 245, nullos tamen praeter quos et alias sequi poeta uidetur. Nam quod primo loco nomen deducit a Maiestate, potest id quidem fecisse admonitus a Pisone illo, qui teste Macr. p. 245 Maiam, quae aliis esset, docuerat uocari Maiestam, si modo is Piso satis est antiquus: uix enim L. Calpurnium Pisonem Frugi intellexerim, sed eum, quem Arnobius 3, 38 inter Aelium et Granium, Plutarchus Caium et ἄνδρα ἱςορικόν, Mar. c. 45, Plinius h. n. 13, 13 § 87 L. Pisonem *censorium*, (nisi malueris *Caesoninum*, quod Calpurniorum frequens est cognomen,) et scriptorem commentariorum nuncupant: potest tamen illud etiam ipse poeta commentus esse. Sequitur apud eum inde a u. 57 Fuluii Nobilioris iudicium, Macr. p. 244, quod ipse Varro de l. l. 6, 33 perscripsit. Hic tamen alibi, paene dubito nunc num in libris antiquitatum, qui editi fuerunt ante libros Ciceroni inscriptos, reprehendit id inuentum et de Maia Mercurii matre commentatus est, Censorin. p. 120, quae Festus p. 134, 30 et Ouidius inde a u. 81 reddunt. Pleniorem tamen et abstrusiorem, quam defugit Ouidius, Varronis ex theologia naturali utriusque numinis definitionem Lydus de mensibus 4, 52 seruauit. De Iunio prima est Varronis sententia earum, quas multa declamatione, lepide illusa ab Arnobio 4, 16, exponere incipit Ouidius 6, 21, teste Censorino p. 120: Macrobius p. 248 Cincium auctorem scribit: eandem ex Verrio Flacco seruauit Paulus Diaconus p. 103 Muell. De Aricinorum et Praenestinorum mense Iunonio solum Cincium annotasse constat: quaeritur igitur,

utrum indidem, an ex Varrone sumpserit, quae praeter illos Ouidius u. 49 de Sabinorum et Faliscorum Iunone Curiti, uid. Dionys. Hal. 2, 50 et Tertull. adu. gentes c. 23, u. 60 de Iunone Lanuuinorum, de qua uid. laudatos a Weicherto poett. rell. p. 206, u. 61 de Tiburtinorum Iunone Curuli, de qua Seru. ad Aen. 1, 17, u. 60 de Iunone Laurentinorum commemorat. Potuisset addere Perusinam, Dio Cass. 48, 14, Gabinam, Seru. ad Aen. 7, 682, Veientinam. De Samia Iunone, u. 48, Varro aliquando egerat, uide Lactant. 1, 17 et Augustin. de c. d. 6, 7. Non grauabor hoc loco Ouidii uu. 45, 46 explicare et a correctione, cuius alicui in mentem uenire possit, uindicare: praesenti tempore utitur, quia anno V. C. 710 ac deinde a. 726 coloniae denuo Carthaginem deductae sunt, Iunonis sine dubio auspiciis, uid. Dion. Cass. 43, 50; 52, 43. Altera Iunii nominis originatio Fuluii fuit, Macr. p. 244, 245, quae apud Ouidium est u. 83—88. Quae praecedunt inde a uersu 65, sunt Ouidii. Tertio loco quod ueriloquium ex ore Concordiae profertur u. 91—96, nescimus, unde sit: potest igitur et hoc ipse commentus esse poeta, ab historico aliquo admonitus, quemadmodum Tuditanum in eadem re commemorat Macrobius 1, 16, p. 268.

Plurimum enim in carmine exornando ab historicis ueteribus profecit Ouidius, cuius rei exempla, eundem ordinem secuturus, quo supra ex chronicis, historicis, astronomicis, sacrificalibus conflatum carminis argumentum dixi, hoc loco enotabo. Temperandum est hac parte ab ineleganti et speculatoria rerum uulgarium dispunctione. Vulgaria enim sunt, quae Ouidius 3, 11—54; 2, 381—418; 3, 59—72; 4, 810—858; 5, 149—152; 2, 479—508; 2, 687—850 de urbis et reipublicae Romanae incunabulis executus est: piget haec ad Dionysium et Liuium exigere, piget unum uel alterum ex annalium scriptoribus locum apponere, quos inuenire poteris apud Nonium s. u. *Picumnus*, cfr. 3, 37: Macr. 1, 10, cfr. 3, 55: Diomedem 1, p. 379 P., cfr. 3, 61: Seruium ad Aen. 5, 755, cfr. 4, 825: Dionys. Hal. 2, 13, cfr. 4, 837: August. de c. d. 3, 6; 15, cfr. 4, 843, 493: Macr. 2, 16, cfr. 2, 715. Tantum non omnes euoluere potuisset poeta, et praeterea Varronem *in eo libro, quo initia urbis Romae* enarrauit teste Quintil. inst. 1, 6, 12. Istarum recularum certe ualde euiluerat annona; quae habere aliquid dignitatis solent, donec hominum ingenia quae uolunt et quibus assueuerunt honorant, non quae iubentur. Paene exploratum est plerasque illas fabulas ab Ennio tractatas fuisse, uide eius fragmenta ab E. Spangenbergio disposita lib. 1, u. 40—123, 156—181, 3, u. 22—29. Cui quamquam uersum, quem posuit 2, 487, surripuit Ouidius, mi-

nime tamen Virgiliano more aemulatus est, sed aut leuigata et urbana et familiari utitur elocutione, aut declamatoria, uelut in Regifugio, quod argumentum cum iam olim tragoediis celebratum fuerit, uid. Niebuhrium h. Ro. 1, p. 578, not., post Caesaris necem denuo increbuit, uid. Weichert. de Cass. Parm. p. 273, Ouidii uero aetate declamari coepit in rhetorum scholis, uid. Bonnell. de mut. sub pr. Caess. eloq. conditione p. 27, 28. Colorem eiusmodi in hac re proferre censeo Augustinum de c. d. 1, 19: *mirabile dictu, duo fuerunt et adulterium unus commisit.*

Sed ut ad grauiora ueniamus, ab Ennio desumpta mihi uidentur, quae Ouidius de Hercule in Italia commorante habet 1, 540—584; 5, 643—660, nec credo perperam iudicasse de fragmentis quibusdam Hesselium p. 27—31. Proximus, quo plurimum usus uidetur, est M. Porcius Cato. Nam quae de Termino narrat 2, 665—672, fieri potest, ut apud plures ueteres legerit. Sed tamen cum alii, inprimis Varro, ut puto, in libro, *ubi Capitolina iura pandebat*, teste Augustino de c. d. 4, 23, narrauisse uideantur de Marte, Iuuentute et Termino, Catonem scimus in Originum libro primo Ouidianis simillima tradidisse, uid. Festum p. 12 Vrs. l. 30, s. u. *Nequitum*. Catonem ergo fortasse sequitur Seruius ad Aen. 9, 448: Lactantius 1, 20 Ouidium, apud quem *noua Capitolia* u. 665 interpretaberis ex Varrone de l. l. aut 5, 41, aut 5, 158. Quae de Sabinis raptis narrat Ouidius 3, 205—228 eundem in modum, quo etiam Plutarchus Rom. c. 19, Seru. ad Aen. 8, 635 et tantum non Festus p. 100, 30 Vrs., mirum nisi a M. Catone sumpta sunt. Solum enim hunc testimonio L. Valerii tribuni plebis apud Liu. 32, 5 scimus in Originibus tradidisse, *Capitolio a Sabinis capto cum medio in foro signis collatis dimicaretur, intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum esse.* Scilicet alii longe diuersa tradiderant, ut Cn. Gellius in annalibus, quem sequi Dionysium 2, 45, 46 liquido cognoscitur ex iis, quae seruauerunt Charisius 1, 39 P. et Gellius n. Att. 13, 22; ut ille, quem sequitur Augustinus c. d. 3, 13, quoniam de Fabio Pictore et Valerio Antiati et Sempr. Tuditano nihil disertius tradunt Plut. Rom. 14 et Macrob. 1, 16. Quae de Consualibus et Matronalibus annexuit Ouidius, num indidem sint, non dixerim, quamquam Seruius ubi de Matronalibus agit, ad Aen. 8, 638, testatur Catonem, quas poeta u. 230 *Oebalides* nominat, a Sabo Lacedaemonio deduxisse. De Consualibus a Romulo auctore Marte institutis conuenit Ouidio u. 197 sqq. cum eo, quisquis est, quem reddit Augustinus de c. d. 2, 17: *ubi Mars filium suum pugnantem iuuaret, ut coniugiorum negatorum armis ulcisceretur in-*

iuriam, et eo modo ad feminas, quas uoluerat, perueniret. De die isto Consualium, u. 200, perincertum est, utrum fastos Maffeanos sequatur Ouidius, an Fabium Pictorem. Is enim secundum Plutarchum Rom. 14 in. *τετάρτῳ μηνὶ μετὰ τὴν κτίσιν* Sabinas raptas tradidit, ac Nonis Iuliis Tertull. de spect. c. 5 Consualia fuisse docet. Versu superiori 199 displicet mihi codd. scriptura: *para;* recte enim Seruius ad Aen. 10, 245 annotauit de molestia in inferenda deinceps diuerso modo secunda persona. Coniicio: *parat,* cum c et t sint simillimae. De asylo Ouidiana 3, 430—34 ex Catone desumpta existimo leui indicio, propter uerba inde prolata a Gellio 18, 12: *eodem conuenae plures accessitauere*: eo *res eorum auxit. Eorum* non Romuli et Remi intelligo, sed ita, uti Plutarchus dixit Rom. c 9: *ἱερόν τι φύξιμον κατασκευάσαντες — ἐδέχοντο.* Aliter alios eam rem enarrasse cognosces ex August. c. d. 1, 34, coll. mythogr. Vat. p. 24 Mai. Quod Dionysius 2, 15 ait: *ὅτῳ δὲ ἄρα θεῶν ἢ δαιμόνων* etc., spectat ad discrimen eius narrationis, quam sequitur Ouidius, et Calpurnium Pisonem apud Seru. ad Aen. 2, 761 de deo Lycori, quod innuere etiam uidetur Gellius 5, 12. Certior res est de Catone in narratiuncula de Mezentio et Vinalibus 4, 879—898. Scripserat ille tria bella propter Lauiniae matrimonium fuisse Latinis et Rutulis, Seru. ad Aen. 6, 760: primo Latinum occisum esse in arce Laurolauinii, id. ad 9, 745: Turnum fugisse et mox Mezentii opera implorata, cfr. Macrob. 3, 5, cecidisse in secundo, eodem uero etiam Aeneam raptum esse, Seru. ad 1, 267; 4, 620: postremo in Ascanium et Mezentium migrasse bella, ab Ascanio Mezentium occisum, id. ibid. Hinc neque uersu 879, si recte eum perpendas, discedit Ouidius, neque u. 895 Aeneas Mezentii interfector est intelligendus; duo bella eodem anno commissa dicuntur u. 897. De uoto ipso Aeneae quandoquidem Catonis uerba habemus apud Macrob. 3, 5, p. 395, patet ea aliter intellecta ab Ouidio, quam a Verrio Flacco, quem probabile est et ipsum Catonem sequi in tabula Praenestina et apud Festum p. 265, 30 Muell. Cfr. de *uindemia* Seru. ad ge. 2, 6. Vtramque tamen interpretationem peraeque illa uerba admittunt, et praeterea tertiam de uindemiis nunquam non et olim apud Latinos Ioui sacris, uid. Varr. de l. l. 6, 16. Longe aliter illam rem alios olim auctores tradidisse cognosces non e fictitio illo auctore de origine gentis Romanae, sed ex Festo p. 194, 15, Dionysio Hal. 1, 64, 65, Liuio 1, 3. Idoneum exemplum accuratae historiarum lectionis sunt uersus Ouidiani 3, 287—344, quos multa cum utilitate conferes cum narratiuncula, quam Arnobius 5, 1 ex *secundo Antiatis libro*, ipsis, ut

apparet, eius uerbis tradit. Quae praecedunt apud Ouidium de religiosis Numae institutis, peti sine dubio a multis poterant: ex Cassii Heminae annalibus aliquid eius modi commemorat Plinius nat. h. 18, 2 §. 7. Eorum autem, quae de ancili sequuntur, auctorem ignoro, nec a quoquam, nisi a Plutarcho Num. 13, similia tradi memini. Valerii Antiatis annales quoniam ab Ouidio et Arnobio lecti sunt, non illicita est coniectura, illius esse narrationem de Matris Magnae e Phrygia arcessitu, quae extat apud Ouidium 4, 255—348, apud Arnobium ex *historiis* 7, c. 46 Or. cfr. 2, 73. Scimus enim ex Liuio 36, 36 Antiatem de ea re et ludis scenicis idcirco institutis scripsisse; quibus in ludis fabulas ab Ouidio interpositas actas plerasque omnes fuisse et ipse u. 326, et Arnobius 4, 35; 5, 42; 7, 33 testatur. Historiam de sacrificio Fauni interrupto 2, 359—372 relatam inuenies apud Plutarchum Rom. 21 auctore Acilio Glabrione, peruetusto historico. Quae sequuntur apud Ouidium ad uersum usque 380, et quae similia habentur apud Paulum Diaconum p. 87, 18 M., Festum p. 66, 10—17 Vrs., indidem fortasse fluxerunt: fuerunt certe, qui iam Romuli aetate tria Lupercorum agmina traderent, uelut Aelius Tubero apud Dionysium Hal. 1, 80. Apud Ouidium sane Iulii Luperci, quos nominari oportebat, nullam ob aliam causam omittuntur, quam quod liber imperfectus est, uti posthac intelliges: qua re excusanda illic cum alia sunt, tum molesta iteratio uerbi *dabant* u. 364 et 366. Codices alterum abiici distichon non patiuntur. Leuigaui tamen interim incommoditatem, feci ex negligenti oratione figuratam, grauiter interpungendo post prius *dabant*, leuius post alterum: cfr. 4, 549: *Noctis erat medium: — sustulit*; 5, 535: *Creuerat —: sumpsit.* Quae Ouidius 4, 63 sq. persequitur, ualde conueniunt cum iis, quae Dionysius affert e τοῖς συγγράψασι τὰς Ῥωμαϊκὰς ἀρχαιολογίας lib. 1, cc. 31, 34, 46, et summatim repetit c. 88. Eodem illa modo, quo apud Ouidium, extitisse apud Varronem docet Lydus de magg. l. 1, c. 5, p. 18. Interposuisse poetam nonnulla ex Catone, cuius Originum secundus et tertius liber continebat, *unde quaeque ciuitas orta esset in Italia*, ex Hygino de urbibus Italiae, ex Cornelio Sisenna et Sallustio, uid. Seru. ad Aen. 1, 242, unde plurima Virgilius libb. 7 et 11 Aeneidos sumpsit, apparet. Sunt quaedam, quae non adeo conuenirent apud Ouidium et alios, nisi ex communi origine repeterentur, quae tamen ignoratur. Ita historiam de tibicinibus Tiburtinis 6, 657—690 inuenies apud Plutarchum quaest. Rom. c. 55, non utique ex Ouidio, ut puto. De regum Albanorum stemmate apud Ou. 4, 37—54, Dionysium 1, 70, 71, Liuium 1, 3, Ouidii metam. 14, 609—22 se-

uerum est Niebuhrii iudicium hist. Ro. 1, p. 226, quod, ut par est, tamen reuereor. Neque enim multum illi obstat, quod Seruius ad ecl. 6, 3 tradit Virgilium gesta regum Albanorum coepta omisisse, nominum asperitate deterritum, aut quod Propertius 4, 2, 3 Lac. *Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum*, et paulo post Ennium commemorat: et uerissime alibi iudicauit de fide auctoris de gente populi Rom., quo nihil fraudulentius esse potest. Non ausim omnia, quae Ouidius, uetustissimus eorum, qui restant in hac re, auctorum, tradit, referre aut ad Ennium, a quo tamen uu. 31—37 Ouidius mutuatus est teste Philargyrio ad Virg. ge. 3, 35: aut ad Catonem, quamquam eum nominat Seruius ad Aen. 6, 760, qui et peculiaria profert, et in numero regum, omisso Aenea Siluio, consentit cum Ouidio paulo post ad u. 767: aut ad Cassium Heminam, quem sequitur priore loco in alia re Seruius testante Gellio 17, 21. Quos *alios* Seruius indicat ad 8, 71, minime necesse est, sint Liuio, uel Alexandro Polyhistore uetustiores: significatur fortasse ipse Ouidius, quem certe sequitur Lactantius 1, 11 more suo. Caeterum quibus in nominibus et quo ordine differant reliqui testes ab Ouidio, aut ille a se ipso, non opus est annotare. Si inspexeris, miraberis potissimum pro Remulo Ouidiano Alladae nomen apud Dionysium et admoneberis in eadem re Aeolidae Salmonei. Postremo de Iano fabulam 1, 265—274 narrat, quam attigerat etiam met. 14, 776 sq., utrobique historiae de Tarpeia annexam. Hinc quid colligi possit ad sacelli Iani situm definiendum, infra exponetur. Fabulam ab Ouidio indidem desumptam existimo, unde enotauit Macrobius 1, 9 fin., inter cuius uerba haec: *quae sub radicibus collis Viminalis erat* Bunsenius u. cl. in descr. Vrbis 1, p. 145, Nibbyi secutus opinionem, ab aliena manu profecta censet. Si quis Calpurnium Pisonem in annalibus illam rem tradidisse existimare uelit, non crediderim obstare, quod Varrone de l. l. 5, 165 teste is ipse Piso Numam claudendi Iani primum auctorem fecit, aut quod Dionysius 2, 39 longe diuersum ab Ouidiano iudicium eius de Tarpeia commemorat. Fieri enim potuisse posthac docebo, ut Ianum cum Tarpeia primus Ouidius coniunxerit, quamquam leue eius rei uestigium est in detruncato Festi lemmate: *Tarpeiae effig.* p. 363 sinistr. l. 16, 17 Muell. Quoniam de Fabiorum historia supra p. LXIII sententiam dixi, de Seruio Tullio uero aliisque infra dicturus sum, restat, ut fatear fabulae de obsidione Capitolina et Ioue Pistore 6, 349—394 nihil aliunde mihi innotuisse: Lactantius enim 1, 20 ex Ouidio profecit, Augustinus de c. d. 2, 22 et Seruius ad Aen. 8, 652 parum diserta, aut diuersa tradunt.

Transeo ad fabularum astronomicarum auctores, quos secutus esse uideatur Ouidius. Hac in re non est propositi mei telam egregie institutam per Odofredum Muellerum uirum perillustrem in prolegg. mythol. p. 191—205 ab Alexandrinorum initiis per grammaticorum Romanorum tempora ad eos usque auctores perducere, qui potissimi de eo argumento restant, Pseudo-Hyginum et interpretem Arateorum Claudii Germanici: quin ne de illis quidem huius est loci quaerere uel disputare uerbosius. De Hygino in Eratosthenicis p. 129 sqq. a Bernhardyo, u. cl., iudicatum est doctissime. Coniecturae, C. Iulii Hygini scripta retexta esse a sequioris aeui grammaticis, fortasse accedit, non detrahitur aliquid probabilitatis ex inuento ab Ang. Maio satis dissimili, sub eodem tamen nomine fabularum syntagmate, class. auct. e codd. Vat. to. 3, uid. praef. p. VI, VII: tamen mirum est fieri nusquam Hygini librorum mentionem, unde illa farrago confieri potuerit. Nisi forte ex genealogiarum libris unus fuit de familiis Troianis, uid. astron. poet. c. 12 p. 445 Stau., Seru. ad Aen. 5, 389. De interprete latino Arati nescio, an nemo adhuc inquisiuerit praeter Danielem Pareum Phil. f., cuius pereruditus commentarius ab ipsius manu scriptus seruatur in bibl. reg. Berol. inter mss. Diez. 4. 133. Hic Isidori Hispalensis illud opusculum esse censuit, propter scribendi genus potissimum: de quo difficile est iudicare, cum apertum sit Aldum, qui primus id *commentum*, ut ait, *nuper in Sicilia repertum* anno 1499 forma maxima una cum Firmico, Manilio, Arato, aliis edidit, multa mutasse, expleuisse, leuigasse. Vtor enim apographo eius libelli prout extat in codice Parisiensi olim Puteaneo, qui saeculi noni dicitur esse in catal. bibl. reg. to. 3 part. 4 p. 420, no. 7886: praeter ibi indicata continet etiam Arati et eius scholiorum uersionem latinam ignoto auctore, de qua re Heinsius in sylloge epp. 4, p. 354; in fine disp. Munckeri de Hyg. aet. et stilo sermo eius male intellectus redditur: ipse enim codicis partem priorem transcripsit. Ex eo codice cum appareat istunc librum peius etiam, quam Hyginianos, uexatum esse et luxatum a semibarbaris hominibus, nescio tamen, cur Lactantii testimonium spernendum sit, qui 1, 11, 64, quo in loco neque in Buenemanni, neque in Sparkii editione quicquam diuersae scripturae annotatur, *Caesarem in Arato* rem tradere dicit, quae apud interpretem, qui uocatur, Germanici hodie extat. Nouit ergo Lactantius hunc interpretem, nec diuersum ab ipso Germanico existimauit esse: nec credo huic sententiae quicquam obstare. Potuit, nisi fallor, iuuenili aetate cum grammaticae operam daret Germanicus et ligata, et soluta oratione Aratum interpretari, quandoquidem constat ex

principio libelli, de quo agimus, ad graeca Arati uerba eum spectare. Argumentum igitur illud de fabulis astronomicis tribus fortasse auctoribus aequalibus fere traditum habemus, quorum num Ouidius ab amico quid mutuatus sit, pro re nata ignorandum est, nec ualde scire attinet. Arati eiusque interpretum lectione nihil tunc uidetur fuisse frequentius: quem post Ciceronem, Cinnam, P. Varronem ipse Ouidius uertit.

Si de Graecis reiiciamus paulisper quaestionem, Romanorum ante Ouidium unus potissimum res eiusmodi insigni doctrina exposuerat, P. Nigidius Figulus. M. Terent. Varro et Q. Aelius Tubero num de fabulis astronomorum scripserint, ualde est incertum: posterioris nomen latet apud interpretem latinum Arati p. 53 Buhl., ubi pro: *appellatur tyberone* corrigendum est *appellatur regia Tuberoni* ex Plin. n. h. 18, 64. Nigidii fragmenta collegit I. Rutgersius in uar. lectt., astronomica inde a pag. 275. Ibi quod primum ponitur ex Seruio ad Aen. 11, 715: *Nigidius de erra . . . Nam et Ligures* etc., posset referri ad librum de cometis, quem allegat Lydus de ostent. c. 10, absque Gellii testimonio 3, 10 de erraticis stellis erronibus a Nigidio dictis esset. Reliquis e Seruio de sphaera graecanica et barbarica enotatis addes pauca uerba e codice Guelferbytano Seru. ad ge. 1, 218 prolata p. 204 ed. Lion. Quae e sphaera utraque interpres latinus Arati seruauit, differunt ab editis nonnunquam in codice Parisino. Fabulae Scorpii p. 44 Buhl. et Orionis p. 77 coniunguntur priori loco: mons Chius appellatur *Chilippium, Celcinium:* repones *Pelinnaeum*, uid. Dionys. perieg. u. 535 et Bernh. p. 671. Rex Bistoniorum *Nisaeus* nominatur. In Virgine et Geminis insanabilis prope est barbaries codicis. De Leone p. 52 B. codex ita: *Nigius refert hunc leonem nutritum apud lunam iussu iunonis ad herculis exitium dimissumque caelo a iunone in terram arcadiam* [l. *Argolicam*] *in regionem nemeae, in qua speluncam esse, ubi hic leo uictus memoratur, quia mihi dymon nomine fuerit,* omissis proximis uerbis: *quam quidam Aphriso dicunt*, quae fortasse irrepserunt ex Hyg. fab. 30. Pareus de Luna nutrice multa docta annotauerat et emendauerat: *memoratur, quae Bembina n. f. sub monte quem quidam Apesanta dicunt*, ex Strab. 8, 6, p. 210 Tauchn., fragm. Panyasidis apud Gaisf. poet. gr. min. t. 3, p. 270, n. 8. ed. Lips. Pausan. 2, 15. *quidam Amphitreton* Wessel. ad Diod. 4, 11. In Tauro p. 55 B. *ludentem in templo ascolapi ludentem* codex habet. Venit in mentem *Ascalonitidis Veneris*. In Ariete post ea, quae in uulgari editione p. 61 B. sub Nigidii nomine proferuntur, codex addit: *Caetera ut superius scripta sunt refert.* Scripta uero

sunt initio lemmatis longe a uulgatis recedentia, sed inutilia praeter haec postrema: *Phrixum autem perlatum Colchos eius arietis immolasse pellemque eius auream ioui sacrasse. ideo eum parere ut heraoides quod deposito uellere aureo in caelum sit receptus.* In Piscibus p. 62 B. Rutgersii correctionem sancit codex. In Aquario p. 68 B. omittit interpolata a Siculo, quem Aldus sequitur, librario uerba haec: *in monte Aetna, qui est altissimus in Sicilia.* Videtur etiam amplificari Nigidii testimonium, cum ita pergatur: *Ab antiquis quidem dici aristheum apollinis filium.* In Capricorno narratio uberior codicis Par. emendari propemodum potest: *Nigidius de capricorno sic refert, immortali honore donatum quod* [leg. *quo*] *in tempore phico in monte Tauro speluncam haberet et Aegyptum incoleret. immortales conhibuisse dum possint* [leg. *consilium habuisse num possent*] *ei obsistere. cum eis consilium panderet* [l. *Pan daret*], *si neque terras relinquere uellent, neque phitonis immanitati resistere possint* [l. *possent*], *inconsulte* [?] *figuras immutarent in quamuis uellent, seu bestias seu uolucrem piscem pecudem* [uid. Ald.], *dum tempus ad ulciscendum se ostenderet. namque terras relinquere non dari potestatem immortalium* [leg. *-libus*], *configere* [l. *considere*] *autem cum sceleribus eius indignum deorum potestatis. sed ratione impios poeni splendore diuini consilii* [l. *poenas pendere diuinis cons.*]. *Itaque inmortales mutatis figuris ignotis* [l. *-ti*] *tiphonis ante oculos crebro uersabantur, unde adhuc multas bestias pro diis obseruant coluntque Aegyptii. Eo typhon conuenit et neminem deorum ibi uidet aduersari sibimet, uacuam terram cognouit dominantibus. Arbitratus deos se ueritos fuisse propter metum dominabatur et inperitus* [l. *inparatus ad*] *fortunae uarietatem et periculi instantis magnitudinem. Nam post XVIII dies, ut dicitur, consilium* [l. *-lio*] *deum repentino ab his discerptus. ob id factum hodieque quae* [del.] *in Aegypto hos dies XVIII festos perpetuos quodannis instituerunt. In quibus diebus si* [quid] *nascitur, amplius quam eos dies non uiuit. Phyton interficitur in templo Aegypti Memphi, ubi mos fuit solio regio decorari reges, qui regna ineunt. ibi enim sacris initiantur primum ut dicitur satis religiose tonicatum* [?] *tauro quem apim appellant iugum portare quem deum maximum Aegyptii existimant. Vt cumque unum* [?] *perducentes ut labore periti existimentur humanae necessitatis ut* [l. *ne*] *crudelius quae sub eis sunt amputantur* [*arbitrentur*?]. *Deducuntur a sacerdote Eisidis in locum qui notatur adytos et iureiurando adiguntur neque mensem neque diem intercalandum iurarent quem in* [??] *festum diem immutaturos, sed CCCLXV peracturos, sicut institutum ita ab antiquis. deinde aliter*

illius iurandum [l. *aliud illis ius iurandum*] *in ponis* [l. *imponunt*] *statim* [l. *statum*] *per terram aquamque custodiendum comparandum* [l. *confirmandum*]. *qui tum demum diademate inposito potiuntur Aegyptiorum regno. sed ut illo reuertamur unde digressi sumus, igitur dii immortales postquam typhonem sed ideo* [haec dele] *poena affecerunt quamque* [*quia? cuius?*] *consilio sine turba tumultuque interfecerunt sancta* [l. *Pana*] *astrorum memoria decorauerunt et ei nomen Aegyptii pana* [l. *Aegipana*] *inposuerunt, quod cum caeteris ei* [l. *-ri se*] *in bestias conuertissent Pan se in capram transfigurasset. oppidumque* — reliqua sunt apud Aldum et Buhlium. In Sagittario p. 72 B. praeter uerba *procul abditum rep. pl. ad ped. ferientem* non discedit scriptus liber ab edito. Prognosticorum interpretatio, unde duo Nigidii fragmenta excerpsit Rutgersius p. 282, quorum secundum paulo corruptius extat in editione principe Aldina, tota abest ab apographo Heinsiano codicis Parisini. Pergendum est ad fabulas ipsas ab Ouidio traditas.

Primus est Delphin 2, 79 sq. Ibi quae fabula leuiter indicatur u. 81, eam exponit Hyginus poet. astr. 2, 17 secundum Eratosthenem, uid. Bernhardyi Eratosthenica p. 160, n. 38. Interpres latinus Arati apud Ald. et Buhl. p. 74 eandem ad Artemidorum refert; codex Parisinus habet: *Artemmidorus in libris quos de amore fecit*, et praeterea in ipsa fabula quaedam paruo momento diuersa. De Artemidoris compluribus agitur ab interpretibus Suidae sect. 1, p. 756 Bernh. nec ualde aliter a Meursio bibl. gr. 1, p. 1156 sq. ed. Lami. Praeterea adeundus est potissimum Iacobsius u. cl. in catalogo poet. epigr. anth. uol. 13, p. 863. Altera fabula de Arione non eget explicatione: Herodotum lectum esse ab Ouidio uel illa 2, 663, 664 argumento sunt. Quis eam fabulam ad nouem illas stellas accommodauerit, uereor, ne ignorandum sit: apud Hyginum certe ualde exiliter narratur, et potest, ut multa, ex Ouidio interpolata esse. Apud latinum Arati interpretem p. 76 B. inepto loco commemoratur, in codice Par. deest. Doctiora et paulum diuersa ex astronomorum scriptis seruauit Seruius ad ecl. 8, 55. — Sequitur Callisto et Arctophylax 2, 153 sq. Ad Hesiodum altera parte fabula refertur ab Hygino p. a. 2, 1, comment. Germ. p. 38 B. Is est ὁ τὴν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένην ποιήσας ἀςρονομίαν, Athen. 11, 491 C, in quem Callimachi epigr. 28 scriptum est. De Iunone mutationis auctore interpolator comm. Germ. p. 39 Ouidium antestatur: eadem tamen res traditur ab Hygino geneal. f. 177, unde cognoscitur Ouidium in uu. 191, 192 secutum esse Creticorum poetam, de quibus uide Munckeri annotationem. Arctophylacis fabulam cum docta templi

Iouis Lycei mentione ab Ouidio omissa ab eodem Hesiodo solus scholiasta graecus Arati p. 54, 27 Bekk. repetit. Bootae appellatio 3, 405 est ab Arato Phaen. u. 92. — Narratiunculam de Coruo, Angue, Cratere 2, 241 inuenies apud Hyginum 40, p. 492, schol. Ar. graec. p. 90, 4 Bekk., comment. German. p. 88 B. Differt multum codex Parisiensis in hunc modum: *Hoc signum commune est, quod est factum arcishonoratus* [leg. *fictum ἄκυρον. oratus*] *est autem coruus ab Apolline sacrificio* [l. *-um*] *facto* [l. *facturo*] *de his respondenda* [l. *deis reddendam aquam*] *adferre de lacu quodam, quod fuit castum antequam uinum ostenderetur. Qui cum uidisset et* [del.] *ad fontem ficus grossos arbores habentes uolans consedit in eis donec maturae fierent. Post paucos dies peractos agros et* [l. *peracto sacro*] *ille ficus comedit. cum sensisset se peccasse eripit ex eo fontem aquam* [l. *-te anguem*]. *attulit cum ipso cratere dicens excidisse quod fuerit in fontem aqua* [l. *anguis*]. *re cognita Apollo coruo inter homines* [l. *in certo mense*] *ad paucum tempus dedit sitim ut Aristoteles dicit in eo libro qui de bestiis scribitur.* Auctor fabulae uetustior potest latere in primo mendo, quod attrectaui secundum Ideleri monitum de astron. Ou. p. 169. — Quae de utroque Pisce 2, 459 exponuntur, sunt a Diogene, uel Diogneto Erythraeo, ignoto mihi scriptore (uid. Voss. de hist. graec. p. 357 ed. sec.), teste Hygino p. a. 2, 30 p. 482. Cfr. schol. Ar. p. 72, 3 Bekk. Comm. Germ. p. 84 B. non huc facit, uti nec cod. Par., quamuis longe discedens ab editis. — Libro tertio de Ampelo fabulam u. 407 sq. fortasse commentus est ipse poeta, nusquam certe traditur; de Pegaso u. 449 sq. nihil opus est quaerere. Fabula de corona Ariadnae 3, 459 sq. illa est, quae incerto auctore ab Hygino p. a. 2, 5, p. 432 primo loco et secundo a schol. Ar. p. 58, 39 B. profertur: indicatur etiam in comm. Germ. p. 42 B. et apud Seru. ad Aen. 9, 125. Ad explicandos uero Ouidii uersus 510—13 spectant haec uerba Dan. Parei in schedis eius: ‚*Solebant nimirum οὐ μόνον τὸν ςέφανον, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν Ἀριάδνην καταςερίζειν* (haec frustra apud Hipparchum et Theonem quaesiui). *Catullus* (66, 60): *Ariadneis aurea temporibus Fixa corona foret. Propertius* (4, 16, 7 Iac.): *Te quoque enim non esse rudem testatur in astris*
Lyncibus in caelum uecta Ariadna tuis.'

Nondum poenitet eorum, quae olim ad trist. 2, 413 annotata sunt. — Milui fabula 3, 795 sq. iterum nescio unde sit. De Ariete 3, 853 sq. exponitur secundum Hesiodum teste comment. Germ. manu scripto et edito p. 60 B., Eratosthenem, teste schol. Arati p. 70, 18 B. et comm. Germ. Paris., Pherecydem teste comm. Germ. edito.

Pherecydes est Atheniensis, inter cuius fragmenta de hac fabula disputatur a Sturzio lib. 10, n. 40, p. 170 sq. ed. prioris. De Pliadibus 4, 169 sq. nihil est apud Ouidium, quin ex Alexandro proferatur ab Hygino p. a. 2, 21 p. 470 et seqq. Quae p. 470 et 472 leguntur sunt etiam aliis uerbis in comm. Germ. Paris. Quae de Electra insunt uu. 177, 178 lecta sunt in ἐπικηδείῳ Arati εἰς Θεόπροπον secundum schol. Ven. Iliad. σ, 486, εἰς Θεόπρομον secundum ed. Aldinam 1499 et Bekkerianam scholiorum Arati p. 74, 38. Alexandrum credo Cornelium Polyhistorem, qui ἀριϑμοῦ κρείττω scripsit teste Suida. Vide Vossium hist. graec. p. 145. De Sterope diuersa traduntur apud Arnob. 4, 76 et quos annotat Orell. 2, p. 237. — De ipso Tauro bis agit Ouidius 4, 716 sq. et 5, 603 sq. De re omni quae scitu opus sunt, suppeditat comment. Germ. Parisiensis, si leniter emendatur. Is postquam de Europa quae edita p. 55 B. leguntur docuit, ita pergit: *Haec nigidius. erat ostendens* [l. *Eratosthenes*] *dicit bouem* [l. *Ionem*] *esse quae fuit cum* [Ioue]. *priores partes parent, relicum corpus non apparet. spectat autem orientem ob id* [quod] *ab ioue honorata* [est]. — Capellam poeta 5, 113 *Olenium* uidetur appellasse secundum Aratum Phaen. u. 164. De Ioue in Creta educato ab Amalthea et aut Themide aut Melissa potest legisse uel in Didymi Χαλκεντέρου, aequalis fere sibi grammatici, libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς, quam in hac re antestatur Lactantius 1, 22, uel apud Musaeum, Atheniensem, uid. Munckerum ad Hyg. p. a. 2, 13, et Fr. Passouium in editione Musaei recentioris, pagellis 47, 64—74. Hic etiam nominatur iu comm. Germ. Paris. loco passim emendando: *In hoc signo et capra est, quae Iouem nutriuit itemque haedi eius filii, ut Musaeus refert. datur Iouem infantem nutriendum Themidi et Amaltheae. Themis Amalthea eum tradidit* [del.]. *haec fuit domina caprae quae ex ea Iouem nutriuit. Esse autem hanc capellam solis* [l. *Oleni?*] *filium, cuius aspectus tam atrox esse dicitur, ut Titanes eam timerent rogarentque matrem terram ut eam abderet. Terra autem in antro clausam Amaltheae tradidit custodiendam. Ibique Iouem infantem cum* [l. *Curetes et*] *curematheae* [l. *Corybantes*] *educasse.* Hoedorum quoque mentionem quam fecit poeta u. 117, factam inuenit apud eosdem auctores, uel Parmeniscum, quem refert Hyginus p. a. 2, 13, p. 448: uide de hoc Vossium de hist. graec. p. 397 et Schweighaeuserum in ind. ad Athen. p. 160. — Quos diuersos auctores Ouidius de Hyadibus 5, 167—182 referat, non ignoramus. Pherecydis iudicium continetur uersu 167, quod copiosius edito comm. Germ. p. 56 persequitur Parisinus, fere ad Hygini p. a. 2, 21 p. 469 similitudinem, nisi

quod nomina corrupta sunt, inprimis postremum: *tenis*, quod dolendum est propter Ouidii locum 6, 711, ubi ad Pherecydeam sententiam rediit. De hac uide Sturzium fragm. 16, p. 114 ed. pr. Superiori in loco quae restant a Musaeo petita sunt, teste comm. Germ. scripto et edito p. 56, et plerisque Hygini codd. p. a. p. 470, et cod. Guelf. Seruii ad ge. 1, 138. De matre discordia est inter libros Hygini: in comment. Germ. edito uidetur in *et Hya* Ouidianum nomen latere; manu scriptus uitiose: *M. ita refert. haec tibi ex oceano procreauit filias duodecim.* — Quae de Chirone Ouidius habet 5, 380—414, a comm. Germ. p. 87 Buhl. ad Antisthenem referuntur, historicum fortasse a Diogene Laertio lib. 6, p. 377 ed. Casaub. commemoratum, cfr. Vossius de hist. gr. p. 325. Ea fabula excogitata mihi uidetur, uel ad astronomiam conuersa, ne uetus illa deserenda esset sententia, qua Sagittarii imago quindecim stellis expressa teste Hygino p. a. 3, 26, p. 528, comm. Germ. p. 73, habita est pro Centauro aliquo, uid. Hyg. p. a. 2, p. 479, comm. Germ. p. 72. Quippe negauerant quidam Centauro rem esse cum sagittis, testantibus iisdem ibidem. His responsum est illum arcum Herculis manu tenere, sagittam eiusdem ad pedes habere deformatam, prout est in comm. Germ.: *iaculum ad pedes Sagittarii inter astra collocatum.* Iidem elegantiores astronomi Centaurum proprie dictum, uiginti trium minimum stellarum imaginem, qui inde ab Hermippo Smyrnaeo (uid. Lozynski, Hermippi fragm. Bonnae 1831, p. 132,) Chiron dictus fuerat, propter Arae uicinitatem Pholum, aruspicii peritum, nuncupauerunt. Ea subtilitas mirum non est, quod errores peperit. Fuerunt, qui fabulam de hospitio Herculis Sagittario aptam transferrent ad Pholum: ut uidetur, Lucanus Phars. 6, 387; certe Seruius ad Aen. 8, 294. Ouidium uero, manifestum est, cum a Clodio Tusco sub Chironis nomine Centauri, qui bestiolam tenet, non sagittas, ortum et recte quidem, docente Idelero p. 165, traditum accepisset, exhibuisse fabulam et stellarum numerum, u. 414, Sagittarii. — Fabulam Orionis 5, 495—536 fere eodem modo, quo Hyginus p. a. 2, 34, p. 486 habet comm. Germ. Parisinus: *Aristomachus dicit canbrisa* [l. *causam, Hyriea*] *quendam Thebis uoto petisse ut filium haberet. penes quem Iouis et Mercurius et Neptunus in* [l. *cum*] *hospitio deuenirent.* [l. *deuerterent,*] *inparauerunt ei, hostiam deiceret* etc. Paulo aliter editus p. 76 B. et Seruius ad Aen. 1, 535. Fuisse dicuntur, qui de Aristonico, egregio grammatico, cogitauerint, de quo uide egregios grammaticos Lehrsium de Arist. stud. Hom. p. 3 et Muetzellium de Hes. theog. p. 288 sq. Quae sequuntur inde a uersu 537 discedunt leuiter a Nigidianis in comm.

Germ. p. 77 B., in Hyginum p. a. 2, 26, p. 478 illata uidentur ex Ouidio. Auctor fabulae de Geminis 5, 697—720 ea parte, qua notissima non est, uidetur mihi Patrocles Thurius, uid. Arnob. 4, 25, Clemens Alex. cohort. ad gent. p. 26, 11 Pott., quo usus Eratosthenes uidetur in geographicis, uid. Strab. 2, p. 107 sq. Tauchn. Comm. Germ. manu scr. haec habet, quae neque alibi deprehendo, neque emendare possum: *Sunt qui dicunt Herculem tesbium* [l. *et Theseum*] *qui ēē genitorum memoria populum possidere id quod duo maxime dicuntur artissimi sodalitate parique industria atque egregia uirtute decoratis apia quae caeteris inmortalibus restantibus. Namque Hercules duodecim atlis perfectisque ab euristeo sunt inperata propter Iunonis Iouisque certationem mortali memoria contentionis animantibus et putandae causa partem caeteris hominibus auxiliandae gratia egregios memorandosque labores perpessus eximia nobilitate praeter caeteros est peruulgatus. eorumque alter est* [iouis] *alter neptuni filius. quorum non abest propinquitas.* — Canem, quem 4, 939 *Icarium* dixerat, *Erigoneïum* uocat poeta 5, 723 et alio loco fabulam eius se exposuisse affirmat: quod cum nusquam fecerit, imperfectum hac quoque parte carmen esse cognoscitur. De ea re eruditissimum fuit carmen Eratosthenis, cuius fragmenta illustrata uide in Bernhardyi Eratosthen. p. 150—158. Ascribo quaedam ex iis, quae in comm. Germ. Paris. differunt ab edito et Hygino: — *canis leni uestigio eam accensam ad patris corpus perduxit. quae eius corpus sepelit. Ipsaque se in hymeto monte contulit ibique sibi laqueo mortem adsciuit. Tum dicitur Liber ab Ioue petisse propter quod Icarius pater Erigonis fuisset syderum signis nobilitaretur. Ad ea quae uirgines Athenienses quotannis diem festum instituerunt Aras* [l. *Αἰώρας*] *quos nos Latine* [oscilla] *dicimus ideo quia illa pendente qui iacturi* [l. *-tem a uento iactari*] *conspexerunt, quod est apud graecos φέρεσθαι* [l. *αἰωρεῖσθαι*]. — De Serpentario Ouidius agit 6, 735—62. Stamen fabulae a Pindaro et Pherecyde institutum, uid. interpp. Pyth. 3, 55 et Mueller. prol. mythol. p. 94, pertexuisse uidetur Eratosthenes in Mercurio, Hyg. p. a. 2, 14, p. 453: cfr. Arnob. 1, 41; 4, 24; Seru. ad Aen. 7, 761. Quae apud Hyginum eadem pagina sequuntur de Glauco, manifesto ex Ouidii uersibus 750—53 male intellectis irrepserunt, non, quod Heinsius credidisse uidetur, Ouidii distichon ex Hygino. Apud hunc enim satis inepta ista est narratiuncula, apud poetam uero omnia perspicua, si in uersibus lenissime ita emendatis:

Tunc, cum obseruatas anguis *descendit ad* umbras,
Vsus et auxilio est augur *ab angue dato*

tenueris *augurem* esse Polyidum, uid. Hyg. geneal. f. 136, *umbras* cadaner, ut in metam. 8, 496: *gelidaeque iacebitis umbrae:* cfr. de *manibus* Seru. ad Aen. 3, 63. *Obseruabat* mortuum augur, dum inclusus cum eo de suscitando meditari cogitur. Atque hactenus de re astronomica ab Ouidio exornata.

Venio nunc ad antiquitates sacras ab Ouidio traditas, quae neque exigua pars carminis est, et plerorumque iudicio lectu dignissima, neque tamen aut explicata satis, aut facilis ad explicandum. De ea re praeter paucula quaedam inter historica supra a nobis occupata omnia reliqua sunt: non igitur ante hoc argumentum dimittemus, quam hac et proxima § fundamento quasi quaestionis acto singula quaeque commemorauerimus certe. Nihil enim praeter hoc praestare audeo. Non dubito, quin harum rerum intelligentes et probaturi sint, et expectaturi exordium sumi de eo, num Ouidius Verrii Flacci libris de significatione uerborum usus sit. Eorum librorum quanta fuerit doctrinae copia, testantur lacerae et ustulatae Festi reliquiae: uix de ulla re frustra ab Ouidio consulti fuissent, si modo editi sunt dum Ouidius carmen adornat, quod fecit ab anno V. C. 755 fere ad mortem usque anno 770. De aetate Verrii piget ex libris nonnullorum opiniones transcribere, quos de eiusmodi rebus uix serio inquisiuisse apparet. Satis esto Muelleri u. ill. iudicium poni. Scripsit praef. ad Fest. p. xxix compositos esse libros de sign. uerb. post annum V. C. 735, et addit Verrium Varronis gnauum cultorem et ipsum a Varrone cultum fuisse, scilicet secundum Macrob. sat. 1, 15, p. 262 Gr.: *Sed Verrium Flaccum iuris pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro* etc. Voluit ergo intelligi admodum mature Verrium scripsisse, cuius auctoritate usus sit M. Ter. Varro, qui natus est teste Hieronymo circa annum V. C. 638, obiit anno 727. Obiisse igitur Verrius minimum et ipse nonagenarius, nec multo post annum 767 uidetur, nec edidisse quicquam post Ouidium. Putauerim tamen haec non firmiori niti fundamento, quam ea, quae Fogginius disseruit de duobus lemmatis in tabulis Praenestinis praef. p. xi, quorum si forte de altero, quo Tiberius Pont. Max. factus traditur, uera narrat, tamen de altero, quo res anno V. C. 774 gesta indicatur, ne ei assentiamur, ipse effecit, cum bis radio imitandum curauit. Manifestum enim est titulum VIII Kl' Mai. ascribi non potuisse antequam ista suspecta exarata essent superiori die. Lineola, de qua Fogginius disputat, eadem sine suspicione inuenitur XVI Kl' Mai., uel certe XIX Kl' Febr. Accedit alterum argumentum de posteriori Verrii aetate ex Festo p. 173, 23 et 24 ed. Vrs., ubi Opalia biduo celebrari dicuntur, quod

institutum esse oportet a Tiberio, uti supra dixi, p. xx, cum Caligula quintum Saturnalibus diem adiecisse dicatur a Dione. Id uero Festi esse additamentum ita supplendum: *quorum alter et tertius*..., certe non euincitur ex alio loco p. 64, 34 Vrs., ubi Saturnalia triduo agi dicuntur, quae apud Verrium uerba Varronis fuisse uidentur, cuius nomen more suo suppressit Festus. Sunt praeterea alia, quae sub Tiberio scripsisse Verrium indicare uideantur: illud, quod a Festo p. 4, 7 Vrs. Mutini Titini sacellum mansisse *ab V. C. ad principatum Augusti Caesaris* dicitur, si haec Verrii ipsa uerba fuerunt: illud, quod p. 153, 25 legitur, *ubi nunc est aedes Concordiae*, quae dedicata est a. V. C. 762 Dolabella et Silano coss.: illud, quod ex Festo p. 205, 26 Muell. collato Gellio 6, 6 et ex Paulo Diac. p. 33, 10 coll. Gell. 16, 6 cognosci uidetur Verrium Hygini libris de Virgilio, quos quando editos putem supra aliquando dixi, usum fuisse: illud, quod Ateii Capitonis semel de iure publico, septies de pontificio sententia profertur a Festo. Hunc hominem scimus uixisse sub Tiberio, uid. Tacit. ann. 3, 75, scimus scripsisse de iure humano atque diuino coniectaneorum libros ducentos undesexaginta, Gell. 14, 7 et 8. Eorum librorum non est admodum uerisimile primos septem, uel octo fuisse de iure pontificio, reliquos ducentos quinquaginta fere de iure publico et priuato: ipsum corpus aequali librorum aut deinceps, aut sub Tiberio, Gell. 2, 24, editorum numero de utroque argumento egisse conuenit, aliquot libri appendicis loco fuisse uidentur, uide Gell. ll. indd. Si ergo ad Varronis exemplum priores libros de iure humano Ateius scripsit teste Gell. 4, 14, quid sequatur de eorum librorum aetate, quibus Verrius potissimum usus est, intelligis. Verum haec licebit pro incertis habeantur omnia, si modo illud, quod Muellerus u. ill. de Verrio a Varrone exculto, quod unicum est receptae de Verrii aetate opinionis retinaculum, pro certo nemo posthac habebit. Nimirum nisi me fallit coniectura in Macrobii illo loco corrigendum est ita: *Sed Valerium Flaccum iuris pontif. per.* Is est *L. Valerius C. f. P. n. Flaccus flamen Martialis*, qui in fastis Capitolinis consul anni V. C. 622 refertur, uide Pighii annal. 2, p. xv et 3, p. 13. Eum multo commodius, quam Verrium nominari potuisse a Varrone docet ipse hic in lib. de l. l. 6, 21 eius auctoritate sub *Flacci* nomine usus. Donec igitur de Verrii aetate luculentiora testimonia aliunde eruentur, id, quod quaerimus, ex collatis inter se Festo et Ouidio inuestigandum est. Eo in negotio non pigebit a leuissimis quibusque ordiri. Ou. 1, 56: *Idibus alba Ioui grandior agna cadit.* Paul. Diac. p. 104, 17: *Idulis ouis dicebatur quae omnibus Idibus Ioui*

mactabatur. — Ou. 1, 237: *Inde diu genti mansit Saturnia nomen.* Fest. p. 322, 24: *Saturnia Italia et mons, qui nunc est Capitolinus, Saturnius appellabatur* —. — Ou. 1, 276: *cum strue ferta suis;* ita enim legendum esse existimo, quamquam mutaui nihil. Paul. p. 85, 9: *Fertum* (ita cod. Berol., quem contuli; *firctum, ferctum* al.) *genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quae qui afferebant struferctarii appellabantur.* Idem p. 295, 1: *Strufertarios* (*Scurfertarios* cod. Ber.) *dicebant, qui quaedam sacrificia ad arbores fulgoritas* (cod. Ber.) *faciebant, a ferto* (*ferro* c. B.) *scilicet* (del. c. B.), *quodam sacrificii genere* (*gratia* c. B.). — Ou. 1, 322: *Semper agatne, rogat.* Fest. p. 351, 10: *arietem, qui pro se agatur, caedatur.* — Ou. 1, 347: *Hic qui nunc aperit percussi uiscera tauri.* Paul. p. 50, 6: *Clunaclum cultrum sanguinarium dictum, uel quia clunes hostiarum diuidit, uel quia ad clunes dependet.* — Ou. 1, 609: *augusta uocantur Templa* etc. Paul. p. 1, 15: *Augustus locus sanctus ab auium gestu*, uid. Muell. annot. — Ou. 2, 201: *Carmentis portae dextra est uia proxima Iano* etc. Fest. p. 285, 5: *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi et in aede Iani, quae est extra eam* etc. Cfr. 334, 2. — Ou. 2, 235: *Herculeae gentis.* Paul. p. 87, 7: *quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fouea concubuit.* — Ou. 375: *Fabios*, 377: *Quinctilios.* Paul. p. 87, 18: *Fauiani et Quintiliani appellabantur Luperci a Fauio et Quintilio praepositis suis.* — Ou. 2, 475: *Siue quod hasta curis priscis est dicta Sabinis*, 478: *Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.* Paul. p. 49, 10: *Curis est Sabine hasta. unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, est dictus . . . Quidam* [*uero* c. B.] *eum dictum putant a Curibus, quae fuit urbs opulentissima Sabinorum.* Suspicor tamen hic nonnihil ex Ouidio in Paulum irrepsisse, ut alibi. — Ou. 2, 535: *Tegula porrectis* (ita enim codd.) *satis est uelata coronis.* Fest. p. 218, 28: [*Porricitur autem in mensis ar*]*isque quod consecran*[*dum est deo*]. — Ou. 2, 558: *Comat uirgineas hasta recurua manus.* Paul. p. 62, 16: *Caelibari hasta caput nubentis comebatur* etc. — Ou. 3, 521: *Qui tamen eiecta si forte tenebitur unda, Caelius accipiat pulueruIentus equos.* Paul. p. 131, 13: *Martialis campus in Caelio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si* (*sed* c. B.) *quando aquae Tiberis campum Martium occupassent.* — Ou. 3, 845: *quod habet legem, capitis quae pendere poenas Ex illo iubeat furta reperta loco.* Paul. p. 66, 1: *Capitalis lucus, ubi si quid uiolatum est, caput uiolatoris expiatur.* — Ou. 4, 364: *Amnis it insana nomine Gallus aqua. Qui bibit inde furit.* Eadem plane Paulus p. 95,

13: credo tamen ex Ouidio interpolatum, ut etiam p. 63, 11, 12 haec uerba: *quod et camillum dicebant*, quae Muellero quoque displicent, ex Ou. 4, 779, et p. 103, 14 *Iunonale* nomen ex 6, 63. — Ou. 4, 761 sq. *Nec Dryadas, nec nos uideamus labra Dianae, nec Faunum.* Fest. p. 193, 5: *Cincius quom qui deo deeque obstiterit, id est qui uiderit, quod uideri nefas esset.* Paul. p. 187, 11: *Oblucuuiasse* (oblucimasse c. B.) *dicebant antiqui mente errasse, quasi in luco deorum alicui occurrisse.* — Ou. ibid. u. 763: *Pelle procul morbos* etc. Fest. p. 210, 22: *quom dicitur: Auertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem.* — Ou. 4, 780: *Lac niueum potes purpureamque sapam.* Paul. p. 56, 12: *Burranica potio appellatur lacte mixtum sapa, a rufo colore, quem burrum uocant.* — Ou. 4, 843: *rutro Celer occupat ausum.* Paul. p. 55, 2: *a Celere, interfectore Remi.* — Ou. 4, 936: *Turpiaque obscenae, uidimus, exta canis* etc. Fest. p. 285, 31 sin.: *Rutilae canes, id est non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae saeuitiae causa sideris caniculae.* Cfr. Paul. p. 45, 7 sq. — Ou. 5, 229: *Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes.* Paul. p. 97, 8: *(Gradiuus Mars) ut alii dicunt, quia gramine sit ortus, quod* (del. c. B.) *interpretantur, quia corona* etc. — Ou. 6, 139, 141: *Est illis strigibus nomen — seu carmine fiunt, Naeniaque in uolucres Marsa figurat anus.* Fest. p. 314, 33 sin.: *Stri[gem, ut ait Verri]us Graeci syrnia ap[pellant . . . .] quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas uolaticas etiam uocant.* — Ou. 6, 206: *Est ibi non paruae parua columna notae* et sqq. Paul. p. 33, 7: *— ante cuius templum erat columella, quae bellica uocabatur, super quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur.* Haec omnia non ita sunt comparata, ut Ouidius quae Verrianis similia habet, ab illo habuisse debeat, cum quaedam apud uetustiores Verrio scriptores extitisse ipse Festus et Paulus annotauerint. De rebus priscis, sacris praesertim, et de uerborum significatione scripserunt plurimi. De utroque argumento Santra et Veranius. Santrae *antiquitatum libri* allegantur ab interpp. Maii ad Virg. Aen. 2, 171: liber eius tertius *de antiquitate uerborum* ab iisdem ad 5, 95. Apud Gellium 6, 15 cum aequalibus Aelio Stilone et Cincio componi uidetur: quam opinionem confirmat Hieronymus, is ipse, qui Suetonii libris de ill. gramm. excerptis Eusebium ditauit: Santram inter Varronem et Nepotem nominat praef. de script. eccles. c. 1. Huius loci indicium Ad. Lozynskio acceptum refero. Veranius *pontificales quaestiones* scripsit teste Macrob. sat. 3, 5, p. 394, aliquot libris, si forte alter Macrobii locus 3, 6, p. 398 ita corrigendus sit: *Sed Veranius ponti-*

ficalium eo libro, quem fecit de supplicationibus, ubi uulgo: *pontificalis in eo*; incertus sum fueritne inter hos libros ille *de uerbis pontificalibus*, quem allegat Macr. 2, 16, p. 377, et num recte ab Vrsino suppletum dicam Festum p. 158, 3 sin.: *Veranius in libro [quem inscripsit priscarum uo]cum.* Attamen commentatum eum praeterea esse de uerbis priscis Q. Fabii Pictoris docet Macrob. 3, 2, p. 384. Vixit Veranius intra annos V. C. 664 et 767, uti cognoscitur e Festo p. 289, 24 sin. Scripserunt *de iure pontificio commentarios* Antistius Labeo libris minimum sexaginta octo, Macr. 3, 10, p. 408, Ateius Capito septem, Fest. p. 154, 31 dext.; C. Trebatius Testa *de religionibus* libros nouem aut plures, Macrob. 3, 7 fin.; M. Valerius Messala de Iano ea, quae Macr. 1, 9, p. 227 et Io. Lydus de mens. p. 144 Rö. seruarunt, num in libris *de auspiciis*, Gell. 13, 15, quos de *explanatione auguriorum* nuncupat Festus p. 161, 29 sin. et fortasse p. 253, 23 dext., an in aliis, nescio; Pomponius nescio quis de dea Murcia teste Augustino de c. d. 4, 16, fortasse idem grammaticus, quem Fest. p. 318, 1 sin. nominat; Lepidus *de sacerdotibus* teste Io. Lydo de magistr. 1, 17; Cornelius Epicadus de Argeis, Macr. 1, 11, p. 240; P. Nigidius Figulus *de diis* libros minimum undeuiginti, Macr. 3, 4, p. 391, *de extis* unum, Gell. 16, 6; Macr. 6, 9, p. 569, *augurii priuati* aliquot, Gell. 6, 6. Idem Nigidius num in *commentariis grammaticis* tam multa ex iure pontificio explicuerit, quam reliqui, qui abhinc enumerabuntur, dubitari possit. Eorum tamen in libro undetricesimo rem docuit, quam si Gellii locus 10, 5 non extaret, suspicaretur quis Ouidium 5, 281 petiuisse a Verrio, uid. Paul. p. 119, 2. Cornificii ea, quae Festus seruauit, quin sint ex eius *etymorum* libris, quos Macrobius passim, et tertium quidem sat. 1, 9, p. 226 allegat, uix est dubium: utrobique enim persimilia inuenta proferuntur, quae nec ab argumento Ouidii, nec ab ipsa eius argutia et facilitate longe absunt. Allegatur etiam eiusdem, si modo idem est, *liber primus de coenis deorum* apud Priscianum 6, p. 711 P. Ac quaeri possit, num cognomine fuerit Longus, quem fabulae cuiusdam auctorem scripsit Seruius ad Aen. 3, 332. Versus, quos Macrobius 6, 4 et 5 profert, certe sunt Cornificii Galli, de quo uide Weichertum, uirum egregium, poet. lat. rell. p. 165 sq. et nos in prolus. ad Ibin p. 363—65. Macrobii similem negligentiam supra deprehendimus in Labeonibus non discernendis. L. Cincii libros duos *de uerbis priscis* usurpatos a Verrio Festus testatur: de aetate eius supra est dictum. Sinnius Capito, Ouidii et Clodii Tusci aequalis, apud Festum laudatur tum in grammaticis, tum in rebus sacris, tum praesertim in uetustorum prouerbiorum expositione. An-

tonium Gniphonem, quem Cicero audiuit, scripsisse de significatione uocabulorum iuris sacri maxime intelligitur ex Macrob. 3, 12, p. 412. Ateii philologi *glossemata*, quorum primus liber citatur apud Fest. p. 181, 17 sin., attigisse res sacras docet Festus p. 313, 14 sin. Cloatii sex loci qui apud Festum extant, de hoc genere sunt omnes, nec admodum similes illis, qui sub nomine Cloatii Veri enotati sunt a Macrobio et Gellio. De aliis scriptoribus coniectandi finis nullus foret. Eorum tamen, qui indicati sunt, cum plerique a Festo commemorentur, necesse est qui Verrium excribi ab Ouidio potuisse existimat, potuisse illos quoque fateatur: quorum uel unus suffecit ad paucula illa subministranda. Certe suffecit is, quem nondum nominauimus, M. Terentius Varro, in cuius libris constat perscripta fuisse nonnulla eiusdem notae cum supra positis Verrio et Ouidio communia, quae annotanda sunt antequam ad grauiora pergatur. Ou. 4, 445: *uegrandia farra colonis Quae male creuerunt; uescaque parua uocant.* — *cur non ego Vediouis aedem Aedem non magni suspicer esse Iouis?* Paul. p. 379, 4: *Vesculi male curati et graciles homines. Ve enim syllabam rei paruae praeponebant, unde Veiouem paruum Iouem et uegrandem fabam minutam dicebant.* Ita uulgo legitur. At in codice Berol. (ms. lat. oct. n. 10) postrema ita: *unde Varro ioue paruum Iouem et* caet. Is codex, pro cuius scripturis in ed. Lindem. eius editi libri scripturae annotari uidentur, cuius margini quaedam ex codice Niebuhrius ascripserat, uix enim tertia quaeque recte notatur, nec mihi uidetur esse saeculo decimo quinto uetustior, et uere aestimatus est a Muellero uiro perillustri. Quare fateor non multum esse tribuendum insperato illi testimonio, quo doceamur, quem intelligat Festus p. 372, 13 dext. mentione facta *aliorum*, qui uegrande male grande, uel paruum dixerint. Suspicor uero non tantum Paulum Berolinensem, sed etiam Monacensem et Guelferbytanum et omnes interpolatos esse isto in loco ex Ouidio. Sed rem ab Ouidio 5, 280, 281 indicatam: *Aut pecus — hinc ipsa pecunia dicta est* habet Festus p. 213, 18: *Peculatus est nunc quidem qualecunque publicum furtum, sed inductum est a pecore, ut pecunia quoque ipsa*, cfr. p. 237, 13 sin. Paul. p. 23, 8; 75, 11. Quae Varronis sunt, uid. Gell. 11, 1 et ipsum de l. l. 5, 92. — Ou. 4, 791: *An quod in his uitae causa est, haec perdidit exul, His noua fit coniunx.* Paul. p. 2, 15: *Aqua et igni tam interdici solet damnatis, quam accipiuntur nuptae.* Varro de l. l. 5, 61: *Igitur duplex causa nascendi ignis et aqua; ideo ea nuptiis in limine adhibentur quod coniungit.* — Quae apud Ouidium sunt 2, 519 non necesse est sint a Verrio potius, uid. Plin. n. h. 18, 7, coll. Paul. p. 3, 10, quam a

Cassio Hemina, Plin. ib. 2: quae tamen sequuntur de fornacibus u. 525, fuerunt apud Varronem de uita P. R., uid. Nonium p. 531, 32; uti et ipsa de stultorum feriis expositio u. 531, Fest. p. 254, 3 dext.; p. 126, 12 dext., Varr. de l. l. 6, 13. Illud quoque proximum utrobique de colle Quirinali a Quirino dicto, Ou. u. 511, Fest. p. 254, 14, Varro habet 5, 51. — De Februario mense Paul. p. 85, 13 et de Martio Fest. p. 150, 17 et de Maio Fest. p. 134, 27, et de Iunio Paul. p. 103, 14 supra est dictum p. LXXIX, LXXX: iam confer de Feralibus Ou. 2, 569, Paul. p. 85, 11, Varron. de l. l. 6, 13, Macr. 1, 4, p. 200. — De Ianuale libo, Ou. 1, 127, et de fabarum usu Lemuralibus Varronis locos indicauit Muellerus ad Paul. p. 104, 18; 87, 13; etiam de Portuno ad Paul. p. 56, 5: conferes Ou. 6, 545, 46; Paul. p. 243, 1. In fine prioris Pauli loci non dubito, quin legendum sit *portuum*. Cod. Berol. ita: *ex graeco descendit κλείω et κλείς, cuius rei tutelam Portunum esse putabant, qui clauum* caet. — De Mamurii Veturii historia apud Ou. 3, 383 sqq. et Paul. p. 131, 7 sqq. iudicabis ut libet, modo ne ancilis descriptionem u. 377 a Varroniana de l. l. 6, 43 differre putes: disertim enim Plutarchus Num. 13 γραμμῆς ἑλικοειδοῦς κεραίας quoque καμπὰς habuisse testatur. — His hucusque expositis paulo grauius est quod Ouidius 6, 603 uerbis *carpento patrios initura penates* conspirat cum Verrio apud Paulum p. 332, 9: *carpento superuecta sit properans in possessionem domus paternae*, cfr. Festus p. 182, 21 sin., discedit a Liuio 1, 49: *partemque sanguinis — cruento uehiculo — tulisse ad penates suos uirique sui.* Quemadmodum tamen Ouidius uersu 601, coll. 3, 245 secutus est Varronem de l. l. 5, 49, dabitur infra inter fragmenta libri rerum diu. VII unum, quod huc pertineat. Maxime uero memorabilia haec duo sunt. Ou. 6, 266:

formae causa probanda subest.
Vesta eadem est et Terra: subest uigil ignis utrique:
Significant sedem terra focusque suam.

(Quem uersum nondum ab ullo explicatum esse uideo. Ita enim argumentatur poeta. *Foco* pro Vestae nomine utitur, secundum graeci nominis significatum, uid. u. 301—4, unde rectissime Leontius Maii p. 169 ed. Ro.: *Ouidius etiam in libro fastorum ab antiquis eam focum innuit nominatam.* Quia ergo Latini dixerunt *sedem*, Tibull. 2, 4, 53, pro *foco* patrio, Ou. tr. 5, 11, 18, et pro *terra* patria, tr. 1, 1 extr., inde concluditur *Terram* et *Vestalem focum*, quem dixit August. de c. d. 2, 29 non esse diuersos. Similis ratiocinatio est de Cybele h. e. terra et Corybantibus, quibus *significetur omnes pro terra sua debere pugnare* apud Seruium ad Aen. 3, 113 et

mythogr. Vatic. p. 16 Mai. Sedem *suam* significat propriam cuiusque, ex singulari usu loquendi Ouidiano, uide fast. 4, 459: *Vt uitulo mugit* sua *mater ab ubere rapto*, trist. 3, 1, 66: *Quos* suus *optaret non genuisse parens*: deinde significat quod consuetum et conueniens est, fast. 2, 789: *poscunt* sua *tempora somnum.*)

Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa
Aëre subiecto tam graue pendet onus.
Ipsa uolubilitas libratum sustinet orbem — —

u. 281: *Par facies templi.*

Festus p. 262, 26 dext.: *Rotundam aedem Vestae Numa Pompilius rex Romanorum consecrasse uidetur, quod eandem esse terram, qua uita hominum sustentaretur, crediderit: eamque pilae forma esse, ut sui simili templo dea coleretur.* Verum haec ipsa placita esse Verrio Flacco antiquiora nullo negotio euincitur his Dionysii Hal. uerbis 2, 66: Ἑςία δὲ ἀνακεῖσθαι τὸ πῦρ νομίζουσιν ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς καὶ τὸν μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον caet. Verrium usum esse libris Dionysii, quem allegare uidetur p. 270, 1 sin., Niebuhrius iudicauit hist. Ro. 1, p. 237 ann.; quare non perspicio, cur Muellerus u. cl. ubi de edito a Verrio opere disputat, substiterit in anno V. C. 735, cum Dionysius suum ediderit a. 747. Caeterum peculiare est Ouidio, quod ratio redditur uu. 273—76 cur terra sit pila, cum mundi media sit. Id argumentum uerbosius persequitur Lactantius 3, 24, neque tamen, ut puto, ex solo Ouidio, quamuis *uolubilitatem* etiam appellet. Crediderim hoc quoque esse Varronis, qui etiam de l. l. 7, 17 et *pilam*, et *mundi mediam* terram nuncupat. — Alterum non parui momenti est quod apud Ouidium 1, 103 Ianus de se effatur:

Me Chaos antiqui, nam sum rēs prisca, uocabant.

Paulus p. 52, 11: *Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque in profundum. ex quo et* χάσκειν (χαίνειν c. B.) *Graeci et nos hiare dicimus. Vnde Ianus detracta aspiratione nominatur ideo (nominatur,* lacuna, *eo* c. B.) *quod fuerit omnium primus: cui primo* (om. c. B.) *supplicabant uelut parenti et a quo rerum omnium factum putabant initium.* Annotauit Muellerus: *Haec de Iano doctrina Verrio peculiaris fuisse uidetur*, hoc est, ut ego interpretor, Ouidium usum esse Verrio. Non auderem tanto uiro refragari, quod mihi uisus sim talia artificia apud Ouidium pernouisse, uide de *Lara, Lala* 2, 599, de *Chloride Flora* 5, 195, de *Carna Cranaë* 6, 107. Testis tamen est Io. Lydus de mensibus p. 75 Schow. illud de Iano inuentum esse Ouidii: quem hominem uetustiorum grammaticorum in bonos scriptores commenta-

rios legisse apparet, nam de magistr. 3, 8 Aemilium quendam historiarum Sallustii et de mens. 3, 46 Polemonem nescio quem Lucani interpretem ad partes uocauit. Quare quae apud Paulum leguntur aut ipsius Pauli esse, aut certe Verrii non esse putauerim. An credibile est eum a chao repetiuisse Ianum initiatorem, qui *inchoandi* uerbum teste Diomede 1, p. 361 P. negauerit uenire a *chao* contra Varronem, qui manifesto affirmauit, uid. de l. l. 5, 19, 20, ut illius esse uideantur quae consueta negligentia pro Verrianis excerpsit Paulus p. 107, 8. Scilicet bifrons, ut ipse Ianus, ista est originatio: explicatur Ianus de initio rerum mundique partium concordia; uetus ista Etruscorum de Iano fuit opinio, uid. Lyd. de mens. p. 56, 57 Sch.: deinde ad graecam incompositorum eorum elementorum appellationem, quae est ab hiando, ipsum nomen refertur. Satis erit, si auctorem dabo, qui utrumque illud protulit, incertum, quo, uel numquo nexu, quandoquidem beati Augustini interfuit, ut eius sententiae in speciem quam absurdissimam detorquerentur. Hic igitur de c. d. 7, 7 et 8 Varronem Ianum *mundum esse* et *duas facies ante et retro habere, quod* h i a t u s n o s t e r *cum os aperimus mundo similis uideatur*, docuisse narrat. Quantulum desit ad sententiam Ouidianam, intelligis. Hactenus de iis, quae apud Ouidium et Verrii expilatores similia extant. Ex his multa satis dissimilia futura, aut nos eorum alios, quam Verrium, auctores deprehensuros fuisse, si hic Festi et Pauli manus expertus non fuisset, certissimum est. Mitto alios locos plurimos, qui huc non pertinent, ubi ab his sententiae Verrio supponuntur, de quibus Verrius iudicauerat: uide sis Muellerum ad Paul. p. 2, 9; 35, 11, alibi. Verum ille locus Festi p. 178, 6 sin. egregie ex Pauli uerbis (inter quae *posteri* etiam c. B. omittit) suppletus a Muellero, cuius haec sunt postrema: *atri hi di*]*es esse iudica-*|| *ti sunt, quod quotiescunque Romani du*]*ces belli ge-*|| *rendi causa his diebus supplicauere, mal*]*e remp. ges-*|| *sere*, si solus superesset, nemo, opinor, dubitaret expressum ab Ouidio affirmare 1, 57 sq.: — *proximus ater erit.*

Omen ab euentu est, illis nam Roma diebus
Damna sub aduerso tristia Marte tulit.

Atqui ipsa Verrii uerba ex quarto libro de uerborum significatione seruata sunt a Gellio 5, 17: *quoties belli gerendi gratia res diuina postridie Kalendas, Nonas, Idus a magistratu po. Ro. facta esset, eius belli proximo deinceps proelio rem publicam male gestam esse.* Quae si Ouidius legit, negligenter scripsit: accuratiores enim Verrius auctores de hac re secutus est, quam fuerunt Cn. Gellius et Cass. Hemina a Macrobio allegati sat. 1, 16 in hunc modum: *Q. Sul-*

picium trib. mil. ad Alliam aduersum Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quinctiles: item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum. Manifestum est haec ita intelligi potuisse, uti ab Ouidio factum et a Plutarcho quaest. Ro. c. 25: *πότερον, ὡς οἱ πλεῖϛοι νομίζουσιν, καὶ Λίβιος* (certe non 6, 1) *ἱϛορεῖ, μετὰ τὰς Κυϊντιλίας εἰδοῦς — ἐξάγοντες οἱ χιλίαρχοι τὸ ϛράτευμα περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν ὑπὸ Κελτῶν μάχῃ* —, cui opinioni hic posthac opponit diem Alliensem tamen uulgo non haberi postr. Idus. Hoc igitur annumerabis supra disputatis de ueterum historicorum lectione. Sunt praeterea alia et uaria, quae apud Verrium aliter atque apud Ouidium extitisse appareat: non leuia eiusmodi dico, qualia sunt *hostiae* et *fori boarii* explicationes apud Paulum p. 102, 8; 30, 5, Ou. 1, 336; 582: non illa, quae partim similia, partim dissimilia sunt, uelut apud Paul. p. 10, 5, coll. Ou. 1, 319 — 331: non de historico genere quae interdum lectissima habuit, uelut de Ser. Tullii natalibus, uid. Fest. p. 174, 16 dext., de M. Iunio Bruto quod sagaciter ex Paulo p. 31, 15 assecutus est Muellerus, quae tamen iure suo auersari potuit poeta. Quamquam illud, quod apud Festum p. 372, 1 sin. de Matronalium, ut puto, origine traditur, non erat alienum ab Ouidii instituto 3, 243. Dissentiunt aperte Ouidius et Verrius, cum ille 3, 95 Pelignos Sabinorum gentem appellat astipulante Niebuhrio hist. Ro. 1, p. 111, hic ex Illyrico ortos affirmauit, Paul. p. 222, 10: cum Verrius palatii incola scripsit piscatorios ludos fieri trans Tiberim, uid. Fest. p. 213, 1 sin. et p. 238, 24 dext., Ouidius uero 6, 237 in campo Martio: cum grammaticus Quinquatrus Mineruae sacras censuit esse propter aedem in Auentino dedicatam, Fest. p. 257, 7 sin., poeta in Coelio monte 3, 835. Sententia Verrii de earum feriarum nomine, quam eodem loco Festus tradit, fuit etiam Varronis de l. l. 6, 14, quam deseruit Ouidius 3, 810 populari scilicet in carmine. Duo sunt satis grauia et memorabilia, in quibus manifesto a Verrio discedit poeta et Varronem sequitur: primum si conferas haec Varr. de l. l. 5, 158: *Cliuos Publicius ab aedilibus plebei Publicis, qui eum publice aedificarunt*; Ouid. 5, 287:

Plebis ad aediles perducta licentia talis
Publicios —;

Fest. p. 239, 28 dext.: *Publicius cliuus appellatur, quem duo fratres L. M. Publici Malleoli aediles cur. — munierunt.* Adeundus est Niebuhrius hist. Ro. 3, p. 47. Deinde conferantur quae de sacro Argeorum tradunt Ouidius 5, 621 — 662, Festus p. 334, 16 sin. —

19 dext. Nouit poeta Sinnii Capitonis sententiam, quam ipse Verrius probauit, nouit praeterea tres alias, quas Verrius commemorauit, sed sequitur uu. 639—660 Varronianam, propositam, ut opinor, in antiqq. rer. humanarum uel diuinarum, repetitam ut multa de l. l. 5, 45: *Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argiuo uenere Romam et in Saturnia subsederunt.* Eadem sententia fuit Cornelii Epicadi, docente Macrobio sat. 1, 12, p. 240, 241. Festi lemma in hunc modum supplendum esse existimo inde a uersu decimo: *Vestales uirgines. Varro dici]t, morante in Italia || Hercule quod qui ibi ei]us comitum habitaue- || rint Graii uoluerint eti]am haberi atq; Arga- || ei sepulcra manda]uerint arui, quorum pro- || curatorum memori]am redintegrari eo ge- || nere sacrificii. Santr]a legatum quendam Arga- || eum dicit in negot]iis Romae mortuum esse. is ut || redhiberi posse]t institutum esse a sacerdotibus, ut || effigies s]cirpea ex omnibus curiis quia publicae || rei causa internu]ntiauisset,* caet. Superiora de sententia Manilii, quam Ouidius uu. 625—632 expressit, rectius sunt restituta ex Dionysio Hal. 1, 19 et 38, nisi forte propius accedendum est ad Ouidii uerba u. 627: *duo corpora gentes*, siue legendum est: *quot corpora gentes.* Verum cum omnia quaecunque Dionysius Manilium tradidisse scribit, apud Macrobium sat. 1, 7, p. 219 sq. proferantur ex Varrone, inde cognosci reor L. Manilii isto testimonio, quod bilem mouit Niebuhrio h. R. 1, p. 13, ipsum Varronem usum esse, uti fortasse de l. l. 5, 31. Verrius igitur non exiguum Varronis locum integrum transcripsisse uidetur. Atque id suspicor non hic tantum ab eo factum, sed saepissime, eiusque suspicionis unum argumentum proferam. Verrii aetate cum Aelii quinque, uel sex scriptis inclaruissent, uide elegantem et prisco Batauorum splendore dignam I. A. C. uan Heusdii disquisitionem de L. Aelio Stilone Trai. 1839, p. 61, ubi addere potueris de Sex. Aelio Gell. 4, 1, Vaassen. animadu. p. 223, de Q. Aelio Tuberone Icto Gell. 1, 22; 14, 7, 8, qui, nisi fallor, diuersus fuit ab historico apud eundem 7, 9, Dion. Hal. 1, 7, Seru. ad Aen. 4, 390, Charis. 2, p. 81 aliisque commemorato, de Aelio Gallo recentiori Vaassen. l. ind., hi, inquam, cum eodem fuerint gentili nomine, necesse est cauerit Verrius Flaccus, ne confunderentur. Quod eum ita fecisse existimo, ut aut Aelii Stilonis nomen perscripserit plenius, quod plerumque fit in grammaticis apud Festum, factumque est rectissime a Muellero in supplemento p. 217, 13 dext. secundum Varr. de l. l. 5, 25, faciendumque uidetur p. 355, 27 dext.: *Tumulum L.] Aelius*, vel: *Stilo] Aelius*, quemadmodum Aurelius Opilius qui est p. 141, 30 sin. et esse uidetur p. 257, 28 dext., ple-

rumque Opilius Aurelius nominatur: aut si Aelium nuncuparet, ascripsit Verrius titulum operis, uti p. 141, 28, uel certe significauit, uti manifesto factum p. 352, 5, 6 sin., ubi perperam suppletur: *ut nota*]*uit Aelius in XII. signi-||ficationum uerborum*, pro eo, quod ex p. 290, 25 dext. facile deprehenditur: .... (h. e. nescio quod lemmatis uerbum) *nota*]*uit Aelius in XII significare* ..... (h. e. nescio quid). Addendum igitur hoc Aelii Stilonis fragmentis ab Heusdio collectis, cum minime constet Aelium Gallum duodecim libros scripsisse, nec is, ut mihi persuasi firmiter, unquam apud Festum nominetur Aelius. Ita enim uelim existimari, ubicunque apud Festum et Paulum Aelius simpliciter extat, esse eum locum desumptum non ex libro aliquo Aelii Stilonis, sed ex scriptis discipulorum eius, Varronis potissimum et Cincii, quin fortasse Varronis solius, quem ex libris de l. l., ex Gellio 1, 18, ex lib. de re rust. 3, 12 sermones retulisse constat Aelii, uti familiariter simul et honorifice eum appellat, quod nescio an alii, praesertim Verrio, qui uix uidere potuit Stilonem, non licuerit. Haec si probabilis est coniectura, nouum negligentiae Festi documentum habemus, qui Verrii et eorum quos is allegauit, uel refutauit, auctoritates perturbauit. Inprimis Varronis nomen saepissime intercidisse cognosci potest ex Muelleri commentariis: addi poterunt pauca haec, quae omissa uideo, Varroniana: apud Gell. 18, 19; 2, 10; 15, 30 coll. Paul. p. 111, 11; 88, 4, Fest. p. 206, 30 dext., Gell. 2, 11, coll. Fulgent. de prisc. serm. 5 et Fest. p. 190, 21 dext., Censorin. c. 17, p. 84 coll. Fest. p. 329, 1 dext. Quae cum ita sint, nescio an ex eo, quod Ouidius Verrii libros usurpauerit, argumentum de aetate Verrii peti nequeat, cum ab hoc tot in rebus ad Varronem remittamur. Ouidium adiisse Varronis scripta aliquot in superioribus saepe est commonstratum: annotabo hoc loco unum et alterum eius uersum, quo librorum de lingua latina admonebar. Ou. 1, 225: *Laudamus ueteres, sed nostris utimur annis*; Varro 5, 9: *quom poeticis multis uerbis magis delecter, quam utar, antiquis magis utar, quam delecter.* Ou. 2, 699: *ut secum tueatur bella precantur*; Varr. 7, 12: *ut cum dicimus bellum tueor.* Ou. 3, 125: *ad usque decem numero crescente uenitur, Principium spatiis sumitur inde nouis*; Varr. 9, 86: *regula est numerus nouenarius, quod ab uno ad nouem cum peruenimus, rursus redimus ad unum.* Ou. 3, 128—132; Varr. 5, 89. Ou. 3, 245: *excubias ubi rex Romanus agebat, Qui nunc Esquilius n. e. h.*; Varr. 5, 49: *Exquiliae. Alii has scripsere ab excubiis regis dictas.* Ou. 6, 301: *At focus a flammis et quod fouet omnia dictus*; Seruius ad Aen. 11, 211: *An quod focum dicat ubicumque*

ignis est et fouetur, unde et Varro focum dici uult. Hoc aeque recte in libro quinto de l. l., atque in quinto rerum diuinarum scribi potuit: ex quinto de l. l. est etiam alterum fragmentum, quod latuit editores, seruatum a Lydo de magistr. 2, 13. Pertinent haec ad examinandam Muelleri sententiam de librorum de l. l. editione, repetitam nuper in praef. Festi p. xxx. Haec quoque cum ita sint, nescio an conducibile sit existimare de rebus sacris Ouidium inprimis consuluisse Varronis libros rerum diuinarum, ac de ea re inquirere diligentius. Atque ea quaestio qualemcunque euentum est habitura, scito rem ita esse comparatam, ut ulterius progredi cum fructu non liceat sitque in ea acquiescendum. Colligenda itaque Varronis eorum librorum fragmenta sunt eo consilio, ut si possit, inde explicetur Ouidius, si non potest, explicetur eo loco, ubi Varro de rebus iisdem egit. Collecta postremo extant in ed. Varr. Durdracena anni 1619, ubi quae occupata sunt, hoc signo * notaui. Auctiora promiserant olim Ludouicus Carrio, nuper L. H. Krahnerus: uellem, edidissent; res enim est, etiam si peculiari consilio, uti dixi, perficitur, difficilis et prope inuidiosa.

§. 4.

M. TERENTII VARRONIS ANTIQQ. RERVM DIVINARVM LIBER PRIMVS.

* Fragm. 1. Acron ad Hor. epp. 1, 10, 49, p. 414 ed. Basil. Fabric. 1555: *Vacuna —. Sed Varro in primo rer. diuin. Victoriam ait et ea maxime hi gaudent, qui sapientia uincunt.* Commentator Cruquii p. 547 ed. 1579: *Sed Varro primo rerum diuinarum Mineruam dicit, quod ea maxime hi gaudent, qui sapientiae uacant.*

* 2. Augustinus de c. d. 6, 4: *Varronis igitur — haec ratio est: Sicut prior est, inquit, pictor, quam tabula picta, prior faber, quam aedificium, ita priores sunt ciuitates, quam ea, quae a ciuitatibus sunt instituta. — Nam ut ipse dicit, si omnis esset natura deorum, de qua scriberet, scribendi ordine rebus humanis praeponenda esset.*

3. August. 6, 3: *In diuinis identidem rebus eadem ab illo diuisionis forma seruata est, quantum attinet ad ea, quae diis exhibenda sunt. Exhibentur enim ab hominibus in locis et temporibus sacra. Haec quatuor, quae dixi, libris complexus est ternis: nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris, etiam hic qui exhibeant, ubi ex-*

hibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. Sed quia oportebat dicere et maxime id expectabatur, quibus exhibeant, de ipsis quoque diis tres conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut diximus, sedecim, quia et istorum exordio unum singularem, qui prius de omnibus loqueretur, apposuit; quo absoluto consequenter ex illa quinquepartita distributione tres praecedentes, qui ad homines pertinent, ita subdiuisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, tertius de quindecimuiris sacrorum: secundos tres ad loca pertinentes ita, ut in uno eorum de sacellis, altero de sacris aedibus diceret, tertio de locis religiosis. Tres porro, qui istos sequuntur, ad tempora pertinent, id est ad dies festos, ita, ut unum faceret de feriis, alterum de ludis circensibus, de scenicis tertium. Quartorum trium ad sacra pertinentium uni dedit consecrationes, alteri sacra priuata, ultimo publica. Hanc uelut pompam obsequiorum [leg. *exequiarum*] *in tribus, qui restant, dii ipsi sequuntur extremi, quibus iste uniuersus cultus impensus est; in primo dii certi, in secundo incerti, in tertio cuncti* [leg. *cunctis*] *nouissimo dii praecipui atque selecti.*

* 4. August. 4, 27: *Relatum est in litteris doctissimum pontificem Scaeuolam disputasse tria genera tradita deorum, unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus ciuitatis.* Idem 6, 5: *tria genera theologiae dicit* (Varro) *esse, id est rationis, quae de diis explicatur, eorumque unum μυθικὸν appellari, alterum φυσικόν, tertium ciuile. — Deinde ait: μυθικὸν appellant, quo maxime utuntur poetae, φυσικόν, quo philosophi, ciuile, quo populi.*

5. August. 6, 5: *Primum, inquit, quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. In hoc enim est ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus: in hoc ut dii furati sint, ut adulterauerint, ut seruierint homini: denique in hoc omnia diis adtribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemptissimum hominem cadere possunt.* Cfr. 4, 27.

6. August. 6, 5: *Secundum genus est, inquit, quod demonstraui, de quo multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est, dii qui sint, ubi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an a sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quae facilius intra*

parietes in schola, quam extra in foro ferre possunt aures.

7. August. 7, 6: *Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali theologia praeloquens deum se arbitrari esse animam mundi, quem Graeci uocant κόσμον, et hunc ipsum mundum esse deum. Sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. — adiungit mundum diuidi in duas partes, caelum et terram, et caelum bifariam in aethera et aëra, terram uero in aquam et humum. E quibus summum esse aethera, secundum aëra, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes quatuor partes animarum esse plenas, in aethere et aëre immortalium, in aqua et terra mortalium; a summo autem circuitu caeli usque ad circulum lunae aethereas animas esse astra ac stellas eosque caelestes deos non modo intelligi esse, sed etiam uideri; inter lunae uero gyrum et nimborum ac uentorum cacumina aëreas esse animas, sed eas animo, non oculis uideri et uocari heroas et lares et genios.*

8. Seru. ad Aen. 6, 703: — *in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς —. De qua re etiam Varro in primo diuinarum plenissime tractauit.*

9. August. 4, 31: *Quid ipse Varro — nonne ita confitetur, non se illa iudicio suo sequi, quae ciuitatem Romanam instituisse commemorat, ut si eam ciuitatem nouam constitueret, ex naturae potius formula deos nominaque deorum se fuisse dedicaturum non dubitet confiteri?*

10. August. 7, 5: *Primum eas interpretationes sic Varro commendat, ut dicat antiquos simulacra deorum et insignia ornatusque confinxisse, quae cum oculis animaduertissent hi, qui adissent doctrinae mysteria, possent animam mundi ac partes eius, id est deos ueros animo uidere: quorum qui simulacra specie hominis fecerunt hoc uideri secutos, quod mortalium animus, qui est in corpore humano, simillimus est immortalis animi.*

11. August. 4, 9: — *quod ipsi etiam Varroni ita displicet, ut — nequaquam tamen dicere et scribere dubitaret, quod hi qui populis instituerunt simulacra et metum dempserunt, et errorem addiderunt.*

12. Arnob. 7, 1: — *Varronis uestri sententia — Quia, inquit, dii ueri neque desiderant ea, neque deposcunt: ex aere autem facti, testa, gypso, uel marmore multo minus haec curant; carent enim sensu, neque ulla contrahitur si ea non feceris, culpa, neque ulla, si feceris, gratia.*

13. August. 4, 31: *Sed iam quoniam in uetere populo esset accepta ab antiquis, nominum et cognominum historiam tenere ut tradita est debere se dicit et ad eum finem illam scribere et perscrutari, ut potius eos magis colere, quam despicere uulgus uelit.*

14. August. 6, 5: *Tertium genus est, inquit, quod in urbibus ciues, maxime sacerdotes nosse atque administrare debent, in quo est, quos deos publice colere et quae sacra et sacrificia facere quemque par sit.*

15. August. 6, 6: *Ait enim ea, quae scribunt poetae, minus esse, quam ut populi sequi debeant: quae autem philosophi, plus, quam ut ea uulgum scrutari expediat. Quae sic abhorrent, inquit, ut tamen ex utroque genere ad ciuiles rationes assumpta sint non pauca. Quare quae sunt communia cum poetis una cum ciuilibus scribemus.*

16. August. 4, 22: — *pro ingenti beneficio* (cfr. 6,2 fin. de Metello) *Varro iactat praestare se ciuibus suis, quia non solum commemorat deos, quos coli oporteat a Romanis, uerum etiam dicit quid ad quemque pertineat. Quomodo nihil prodest, inquit, homines alicuius medici nomen formamque nosse et quid sit medicus ignorare, ita dicit* etc. — *Ex eo enim poterimus, inquit, scire, quem cuiusque rei causa deum aduocare atque inuocare debeamus, ne faciamus ut mimi solent et optemus a Libero aquam, a Lymphis uinum.* Cfr. Aug. 6, 1 med.

Notantur praeterea in ed. Durd. tria ex Nonio, quibus addi possit aliud p. 197 Merc., quorum sensum et cohaerentiam non assequor; itaque quod et posthaec faciam, omisi. Istaec mea ita disposui, ut quam minime haerendum et commorandum esset in iis, quae ad Ouidium nihil conferunt. Itaque priora tria interpretor de rebus extrariis in hoc opere. Fragmentum tertium, quod credibile est sub fiuem libri locum habuisse, de reliquorum librorum ordine monebat, quem eundem saepe secutus uidetur M. Terentius. Vide locum ex Menippea satira apud Gell. 13, 11: — *ex rebus quatuor — si belli homunculi collecti sunt, si electus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus:* quemadmodum in eo genere multa dialectice se dixisse affirmat apud Cic. acad. initio. Vel uide de l. l. 7, 5: *primum de locis; dein de his, quae in locis sunt; tertio de temporibus; tum quae cum temporibus sunt coniuncta.* Fragm. secundum excusat, quod contra morem consuetum libros de antiqq. rerum humanarum scripserit ante hos, de quibus agimus. Nam de illis quaerere supersedeo, nec habeo dicere num utrique eodem tempore, an deinceps publicati fuerint. De rerum diuinarum librorum

editione cognoscendum est. Missi sunt ad C. Caesarem pontificem maximum testibus August. 7, 35, Lactant. 1, 6. Quando id factum sit, fortasse (nosti enim cum de fragmentis disputatur iam dudum sollertissimorum hominum exemplo ludere licere) in ipso prooemio indicium fragmenti primi uerbis Varro posuit: *Verum uideri quod dicatur de Vacuna et Victoria, nam nisi Caesar uicisset, neque se habiturum fuisse quod per otium scriberet, neque Caesarem quod scriptum sibique inscriptum legeret.* Res certe ita se habuit, nec puto ante annum fere V. C. 707 libros de iure sacro Caesari dedicari potuisse. Esto Varronem nunquam non uel inter negotia otium sibi fecisse, qui inter munera tribunatus, aedilitatis, IIIuiratus, XXuiratus, qui inter bellum piraticum, qui ipso illo maxime sollicito tempore, quod fuit inter res infeliciter a se Gadibus et in Hispania gestas et pugnam Pharsalicam, quo tempore minime societatem Pompeianorum abiurauit, docente I. G. Schneidero de uita et scriptis Varronis p. 222, tamen in pristina bonarum litterarum consuetudine permansit teste Cicerone epp. 9, 1, quod intellexerim, Varronem post biennii interuallum perrexisse in eodem antiquitatum argumento et animum tunc applicasse ad sacras. Verum Caesarem ex quo Cicerone et Antonio coss. nefaria largitione contra legem Corneliam annos natus triginta sex necdum praetorius pontifex max. factus est, Romae fuit donec anno proximo praeturam gessit, ac deinde cum consul fuit anno V. C. 694, tum cum bellum ciuile mouit. Non igitur credibile est Varronem ueteris iuris obseruantissimum pontifici maximo libros in prouinciam misisse, quem Roma abesse fas non erat: Plut. Ti. Gracch. c. 21: *ὑπεξῆλθε τῆς Ἰταλίας ὁ Νασικᾶς, καίπερ ἐνδεδεμένος ταῖς μεγίςαις ἱερουργίαις· ἦν γὰρ ὁ μέγιςος καὶ πρῶτος τῶν ἱερέων.* Cum primum Romae Caesar affuit, quaeritur, num Varro ibi, an in Asia cum Pompeio fuerit. Anno 694 Varro ex lege Caesaris XXuir agris in Campania diuidendis fuisse creditur: certius est eum sub finem superioris anni satiram *Τρικαράνου* nomine in IIIuiros scripsisse, Appian. b. c. 2, 9. Inde ab anno 704 arma tulit Varro contra Caesarem pro Pompeio. Grauius est quod ante pugnam Pharsalicam Caesarem quicquam pro pontifice egisse minime constat: omina pessima et prodigia, quibus inde ab eius pontificatus initio pleni sunt historicorum libri, pons sublicius diffractus, leges Clodii irreligiosae et uiolata ab eodem sacra Bonae deae in domo pontificis max., nundinae Kl' Ian., alia plurima neque expiata sunt ab eo, et partim eius culpa inciderunt. Dedicationes aedium sacrarum non memini eius referri ante pugnam Pharsalicam, uid. App. b. c. 2, 90. Aram unam extruxit

ad tropaea Pompeii, Dio 41, 24, sed templa spoliauit ubique terrarum plurima, Dio 41, 39; 42, 34, 48; 43, 47, 49; Appian. b. c. 2, 41; Suet. Caes. 54. Ad annum igitur 705 usque mitti hi libri ad Caesarem poterant magna cum utilitate, si legere modo uoluisset, ut quid pontificem deceret, disceret: metuendum scilicet erat, ne eum qui se iuberet assurgere uetustis ceremoniis ut illum C. Trebatium, Suet. c. 78, minus familiari uultu respiceret. Varro uero mittendorum librorum, siue scripti iam fuerunt, siue scribere tunc coepit, non ante consilium capere potuit, quam cum Caesare in gratiam rediisset, quod factum esse uidetur sub finem anni 707, siquidem euentum habuerunt quae Cicero epp. 9, 6 et 7 suasit, quarum posteriorem manifestum est loqui non de Caesaris aduentu post bellum Africanum, sed ex Ponto. Nimirum non est necesse editum hoc corpus fuisse ante adaucta a Caesare sacerdotum collegia anno V. C. 707, teste Dione Cassio 42, 51, quia quartum legisti librum fuisse de XVuiris, iique dicendi fuerint XVIuiri, uide Muell. ad Varr. de l. l. 7, 88: ipse Dio uetus nomen seruatum indicat cum scribit 44, 15: ἱερέων τῶν πεντεκαίδεκα καλουμένων. Fatendum potius est, ab ea re, qua primum pontificem max. Caesar se exhibuit, confirmari potuisse in proposito Varronem. Num quid de editionis tempore colligi possit ex eo, quod ludos nullos Varro commemorauit praeter scenicos et circenses, cum sciamus in amphitheatro primos factos esse ab ipso Caesare anno 708, Dio 43, 22 et interpp., ipse nescio. Illud quoque, quod apud Seru. ad Aen. 8, 698 legitur: *Varro indignatur Alexandrinos deos Romae coli*, primum perincertum est, num ad hos libros pertineat, deinde potest referri ad gliscentem eam peruersitatem inter annos 695, quo primum expulsa sunt ista numina teste Tertull. adu. gent. c. 6, et 706, quo iterum teste Dione 42, 26, et 711, quo reducta esse docet Dio 47, 15. Satis igitur esto hos libros rerum diuinarum scriptos esse ante libros de l. l., quod patet ex 6, 13 et 18, et biennio ante academicas Ciceronis quaestiones prodiisse. Ibi enim 1, 2 fin. in antiquitatum *prooemiis* philosophiae se operam dedisse ipse Varro ait, hoc est in libris singularibus utrique corpori praepositis: deinde supra § 2 paulo diutius, quam consueuerint, musae Varronis siluisse dicuntur, idque quamdiu fuerit, docet epistola Ciceronis ad Atticum 13, 12.

Fragmenta apud Augustinum indicata non est dissimulandum dubitationibus haud raro esse obnoxia. Velut illud, quod nono loco transcripsi, ipse Augustinus 6, 4, ubi de primo potissimum libro Varronis disceptat, *alibi positum* fuisse narrat, et quod tertium de-

cimum feci, confertur cum sententia Varronis, quam *alio loco de religionibus loquens* dixerit. Quaeri potest, num ii loci diuersi huius ipsius libri fuerint, an totius corporis, quemadmodum manifesto 6, 6, quae dicuntur ab Augustino: *Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum* caet., pertinent ad librum quartum decimum, uel sextum decimum, et in postremo libro iterum Varronem physica disseruisse certum est ex Aug. 7, 17; an denique ad aliud opus, forsitan *librum de cultu deorum*, quem ipse Augustinus aliquoties nominat, uide quae notantur in ed. Durdr. p. 50, 51. Tamen hanc ipsam appellationem fuisse inditam primo huic rerum diuinarum libro coniectura foret, cui non multum obstat apud Augustinum, et patrocinantur multa ab aliis de eiusmodi titulorum licentia obseruata, ut illi quoque fortasse loci transcribendi fuissent. Potuissent certe minuta multa alia ex Augustino colligi, quae ad summam et tenorem disputationis cognoscendum minus faciunt.

Huius disputationis primaria pars non dubito, quin illa fuerit, ubi de naturali deorum interpretatione Seruio teste *plenissime*, ut autem ipse dixisse uidetur *paucissima*, uid. August. 7, 5, praelocutus est. Hanc ab ipso indicari existimo, cum apud Ciceronem in antiquitatum prooemiis multa a se philosophice dicta affirmat. Hanc denique causam fuisse existimo, cur Cicero ab eo Antiochi philosophiam probari existimauerit, huiusque partes in academicis ei tuendas dederit. Stoicus caeteroquin fuit Varro, nisi ubi cynicum secutus est, praesertim cum libros de l. l. scriberet, uide Mueller. praef. p. v, vi; sed *uidebatur* Ciceroni, nec iniuria, ad academiam inclinare, quia Seruio teste stoicorum placitis admiscuit Platonica. Quemadmodum in fragmento 7 primum comma est stoicum, explicatio, quae sequitur, simillima Platonicis in epinomide p. 981, ubi de duplici genere corporum a numine diuino non eodem modo afflatorum disputat. Et tamen mera stoica illa sunt, quae Augustinus 7, 23 ex libro ultimo rer. diu. excerpsit; confer plane gemina haec apud Diog. Laert. lib. 7, p. 522 ed. Cas. 1616: *εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ, καθάπερ ἐφ᾽ ἡμῶν τῆς ψυχῆς, ἀλλ᾽ ἤδη δι᾽ ὧν μὲν μᾶλλον, δι᾽ ὧν δὲ ἧττον. δι᾽ ὧν μὲν γὰρ ὡς ἕξις κεχώρηκεν, ὡς διὰ τῶν ὀςῶν καὶ τῶν νεύρων, δι᾽ ὧν δὲ ὡς νοῦς διὰ τοῦ ἡγεμονικοῦ. καὶ ὅλον τὸν κόσμον ζῶον ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικόν, ἔχειν ἡγεμονικὸν τὸν αἰθέρα* —. Quid intersit inter utraque discriminis, licebit animaduertere in re, quae ab Ouidio non est aliena. Is ubi dixit 3, 111:

Libera currebant et inobseruata per annum
Sidera; constabat sed tamen esse deos,

meminisse uidetur eorum, qui cum disputârent *omnia sidera partes Iouis esse et omnia uiuere atque rationales animas habere et ideo sine controuersia deos esse*, ut legitur apud Augustinum 4, 11, religionem subuerterunt. De ea re Plato sententiam dixit epin. l. l. ita: νομίσαι δὲ δὴ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι ζώων γένη. ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄςρων γεγονέναι, σώματος μὲν τυχὸν καλλίςου, ψυχῆς δὲ εὐδαιμονεςάτης τε καὶ ἀρίςης, sed interpretatus est p. 983, b: θεὸν δὴ φημὶ τὸν αἴτιον ἔσεσθαι, καὶ οὔποθ' ἑτέρως εἶναι δυνατόν. ἔμψυχον μὲν γὰρ οὔποτε γένοιτ' ἂν ἑτέρως πλὴν διὰ θεόν. Verum stoici, qui ipsum ignem aethereum ἡγεμονικὸν dicerent, quibusque οὐρανὸς esset ἡ ἐσχάτη περιφέρεια, ἐν ᾗ πᾶν ἵδρυται τὸ θεῖον, Diog. Laert. p. 522, unde excogitata est κοσμογονία, quam eodem modo apud Diogenem p. 524 et Ouidium 5, 11—16 deprehendes, ipsa sidera, *quae ex mobilissima purissimaque aetheris parte* gignerentur, *neque ulla praeterea admixta natura* essent, necesse erat longe diuerso modo *in deorum numero* haberent, uid. Cic. de nat. deor. 2, cap. 15. Quod si Varro, ut in loco ind. Augustini est, *peruenire* tantum in astra uim aetheream dixit, usus est Platonico in sententia stoicorum temperamento: sed dubito, an eo uerbo rem perturbauerit Augustinus.

LIBER SECVNDVS.

Fragm. 1. Multa ex hoc libro excerpsit Dionysius Halicarnassensis, qui cum 2, 21, 22, 63 fin. 64, 70, 72, 73 de sacerdotum collegiis a Romulo et Numa constitutis exposuerit, professus est c. 21: λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων ἐν ἀρχαιολογίαις ἔγραψεν, ἀνὴρ τῶν κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἀκμασάντων πολυπειρότατος.

* 2. Seru. ad Aen. 1, 382: *Varro in secundo rerum diuinarum dicit: Ex quo de Troia est egressus Aeneas, Veneris eum per diem cotidie stellam uidisse, donec ad agrum Laurentem ueniret, in quo eam non uidit ulterius, qua re et terras cognouit esse fatales.*

* 3. Seru. ad Aen. 3, 256: *Varro in secundo Diuinarum dixit: oraculum hoc a Dodonaeo Ioue apud Epirum acceperunt.*

* 4. Gell. noct. Att. 10, 15: *Verba M. Varronis ex secundo rerum diuinarum super flamine Diali haec sunt: Is solus album habet galerum, uel quod maximus est, uel quod Ioui immolata hostia alba fieri oporteat.*

? 5. Seru. ad Aen. 8, 285: *Salii Martis et Herculis, quoniam Chaldaei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur.*

Ou. 1, 333: *Vtque ea non certa est, ita rex placare sacrorum*
Numina lanigerae coniuge debet ouis.

Rex sacrificulus qui sit, docebunt Festus p. 318, 29 sin., Dion. Hal. 4, 74 fin., 5, 1, Plutarch. quaest. Ro. c. 63. Ad eius muneris originem respicit Varro de l. l. 6, 12, qui locus optime poetam illustrat, sed metuo, ut satis intelligi possit ita scriptus et interductus, quemadmodum Muellerus uoluisse uidetur: *Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone eo, quod interrogatur a principe ciuitatis,' et princeps gregis immolatur.* Regem sacrorum dici principem ciuitatis, nisi acumen insit, ferri uix potest. Legerim: *ab agoge, eo, quod interrogatur.* Lusus non est frigidior, quam cum superiori pagina aestas ab *αἴθεσθαι*, aeuum ab *ἀεὶ ὄν* repetitur. — 1, 587: *Idibus in magni castus Iouis aede sacerdos*
Semimaris flammis uiscera libat ouis.

Num de oue Iduli haec intelligenda sint, non satis scio: conuenit locus, uid. Varr. de l. l. 5, 47: *qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem*, coll. Fest. p. 290, 33 dext., 293, 4 sin.: conuenit persona, uid. Macrob. 1, 15, p. 262: *et omnibus Idibus Ioui immolatur a flamine:* disconuenire uidetur sacrum, uid. Ou. 1, 56, ubi quod dicitur magis cum fragm. 4 supra posito, quam cum hoc loco quadrat. *Flamen* apud Macrobium et Ou. 2, 21 est Dialis, cuius maxima fuit dignatio, Fest. p. 154, 26 dext., cuius etiam domus *Flaminia* dicebatur, uid. Muell. ad Paul. p. 89, 10. Cessauit id flaminium Varronis aetate, uid. Dio 54, 36, de quo tamen in fr. 4 et de l. l. 6, 16 tanquam in usu fuerit, loquentem habes: scimus ex Tac. ann. 3, 58 eius munia pontifices obiisse. Ouidii aetate quia restitutum fuit ab Augusto pont. max., una cum lupercali sacro, ut puto, quod inde pendebat teste Ou. 2, 280 secundum codd.:

Flamen ad haec prisco more Dialis erit,

inde igitur fit, quod poeta 2, 27 et 6, 226 *Flaminicam*, quam etiam Macrobius et Festus et Paulus aliquoties appellant, uidisse se, uel audiuisse narrat. Posteriori loco quae caerimoniae commemorantur, eas inuenies in Masurii Sabini uerbis apud Gell. 10, 15: quibus uerbis ne illud obstare credas, quod cum flamen Dialis nodum in se nullum habuerit, teste Paulo p. 82, 19, flaminica *cincta* dicatur ab Ouidio 3, 397, adibis Paulum p. 65, 3: quod de *ferro* dicitur 6, 230, id nunquam licuisse dicunt Seru. ad Aen. 1, 448, Lyd. de mens. 1, 9, p. 34 Rö.: *ὥςε τοὺς ἱερεῖς χαλκαῖς ψαλίσιν, ἀλλ' οὐ σιδηραῖς ἀποκείρεσθαι,* cfr. Macr. 5, 19, p. 510. — Curionatum et curionium sacrum Ouidius 2, 525 commemorat, de qua re uid. Dionys. Hal. 2, 64, Paul. Diac. p. 49, 4, 9; 62, 11. Vtrum id quod in foro,

u. 527, actum dicit poeta, re uera eius aetate fieri consueuerit, an id ex Varrone desumpserit, qui de rebus priscis peraeque ac de quotidianis locutus uidetur, nescio: dea Fornax nusquam, quod sciam, nisi a Lactantio secundum Ouidium nominatur, quamobrem cogitabam num Stata Mater esset, de qua Festus p. 317, 2 sin. — De *lictore*, flaminio sine dubio, 2, 23 commemorato conferes Paulum Diac. p. 82, 8; 93, 9. De genere sacri alibi dicetur. — 4, 910 Quirinalis flamen sacrificat Robigo, Sabinorum puto deo, ut plerique *dii certi* Varronis sunt: quare Nomentum non sine causa fortasse commemoratur u. 905. Quaerendum esse puto, cuius regionis fuerit ager Turax, Semurius, Lutirius, Solinius a Larentia populo relictus teste Catone apud Macr. 1, 10, p. 230, cum propterea ab eodem flamine Quirinali sacrificari consueuerit, uid. Gell. 6, 7. — De Vestalibus et Saliis propter 3, 11, 387 nihil attinet Gell. 1, 12; 6, 7, Dionys. 2, 67—69, uel Foggin. p. 20 sq., 30 sq., Lyd. 4, 2, uel Hartungi et Ambroschii libros allegare. Vnum restat, quo commode hanc annotationem claudam. Seruius ad Aen. 11, 339 ita habet: *Nam futile uas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestae, quia aqua ad sacra Vestae hausta in terra non ponitur; quod si fiat piaculum est. Vnde excogitatum est uas, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur.* Cfr. Paul. p. 89, 4 et Leont. p. 169 Mai. Hinc licebit *fictilem urnam* apud Ou. u. 13 non necessaria sed non futili coniectura tentare. Adeundus est etiam Paulus p. 16, 6.

LIBER TERTIVS.

* Fragm. 1. Nonius Marc. p. 334: *Varro diuinarum rerum lib. 3: Lucius Scipio cum aurum factum haberet in cista uiminea, fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum colliquisset.*

2. Seru. ad Aen. 1, 42: *Sed cum Varro diuinarum* 5 [leg. 3] *quatuor diis fulmina assignet —.*

3. Seru. ad Aen. 3, 359: *Varro autem quatuor genera diuinationum dicit, terram, aërem, aquam, ignem: geomantis, aëromantis, pyromantis, hydromantis.* Cfr. Leontius p. 257 sq.

? * 4. Macrob. sat. 1, 16, p. 266: — *sicut Varro in augurum libris* [*libro?*] *scribit in* [leg. *inesse* cfr. Gell. 13, 14, Seru. ad Aen. 3, 537; 8, 95, alios] *haec uerba: Viros uocare feriis non oportet: si uocarit piaculum esto.*

5. Fest. p. 290, 5 sin: *nam* [*consules in comitiis nunc*] *in per-*

petum auguribus praesentibus ut]untur, ut ait [Varro, olim uero tantum in auspi]cio — —. Cfr. Varro de l. l. 6, 95.

6. Festus p. 261, 26 dext.: *Quinque genera signorum obseruant augures publici [ex caelo, ex auibus, ex tripudiis] ex quadripedibus, ex [diris, ut est apud Varronem.]*

7. Velius Longus de orthogr. p. 2233 P.: *Varro — arispex, ab aruiga, quae esset hostia.*

Mirifica sunt illa Ambroschii u. d., *Stud. u. And.* p. 49, ann. 45: *Auch führt Gell. a. a. O. aus Varro's zweitem Buche der ant. r. d. eine auf den Flamen Dialis bezügliche Vorschrift an. Dort nämlich hatte Varro nach August. 6, 3 über die Augures geschrieben, und da im Inhaltsverzeichnisse der Varronischen Schrift bei Aug. der Flamines nicht Erwähnung geschieht, so scheint es, dass er dieselben unter den Augures behandelt.* Scilicet idem Augustinus 7, 1 dixit *theologiam ciuilem* a Varrone *sedecim uoluminibus* explicatam esse.

De auspiciis apud Ouidium multa sunt, quibus illustrandis pauca, sed propria ascribam. Versum 1, 73 cum uu. 165—170 conciliandi nulla quidem est difficultas; confer ad hos Lyd. de mens. p. 58 Sch.: *οἰωνοῦ δὲ χάριν οἱ ἄρχοντες ἐπὶ τῶν βημάτων ἐγίγνοντο* caet., inprimis ad u. 169 narratiunculam de Norbano consule a. V. C. 772 apud Dion. 57, 18. Ad uu. 178—182 cfr. Paul. p. 121, 15, sed uota publica a. d. III Non. fieri solita disces ex Dione 59, 24, Lydo de mens. 4, 10, p. 160 Rö. Ad uu. 185—188 uid. Lyd. l. l., de *stipe* u. 189 Morcell. de stil. inscr. 1, p. 39, Heinecc. antiqq. 2, 7, 10. — Loco Ouidii 2, 499 quemadmodum ex integerrimis quibusque codd. exprimendum curaui:

Cum subito motu sepes tremuere sinistrae

nullum fere est ad interpretationem praesidium, nisi in loco Festi p. 245, 11 dext. ab Augustino eleganter sane, sed audacter refecto ita: *Propter]uia app[ellantur auspicia, quae se propter uiam] ostent[ant.]*

LIBER QVARTVS.

* Fragm. 1. Charis. 1, p. 77 P.: *Antistita Varro diuinarum quarto.* Cfr. Gell. 13, 20.

2. Seru. ad Aen. 3, 444: *In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere testatur Varro.*

3. Id. ib. 445: *Nam Sibylla appellatiuum est nomen, adeo ut Varro quot Sibyllae fuerint, scripserit.* Cfr. August. 18, 23.

4. Id. ad 6, 36: *Multae autem fuerunt, ut supra diximus, quas omnes Varro commemorat in libris rerum diuinarum et requirit, a qua sint fata Romana conscripta. — Ducitur tamen Varro ut Erythraeam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant apud Erythram insulam, ipsa inuenta sunt carmina.*

5. Id. ib. 74: *ut Varro dicit: In foliis palmae interdum notis, interdum scribebant sermonibus.*

*6. Nonius p. 222: *Varro rer. diuin. lib. 4: Ibi cum amissam capram desiderarent animaduertissentque quendam specum tenebricosum —.*

*7. Lactantius 1, 6: *M. Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem, neque apud Latinos uixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Caesarem scripsit pontif. max., cum de XV uiris loqueretur; Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllae —* uide caetera, satis luculenta, quae nolo transcribere. Cfr. eundem 3, 15 et Lydum de mens. 4, 34 cum annotatione Rötheri.

8. Dionys. Hal. 4, 62: *Οὗτοι διέμειναν οἱ χρησμοὶ μεχρὶ τοῦ Μαρσικοῦ κληθέντος πολέμου — —. οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσι συμφόρητοι τῶν τόπων, οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δ' ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποςαλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν, οἱ δ' ἐξ ἄλλων πόλεων καὶ παρ' ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες· ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροςιχίσι· λέγω δὲ ἃ Τερέντιος Οὐάῤῥων εἴρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ.*

Ouidiana huc pertinent 4, 257 sq., de quibus supra p. LXXXIV dictum est, et 4, 875, de quo infra ad lib. VI dicetur.

LIBER QVINTVS.

Fragm. 1. Varro apud August. 7, 28: *quoniam ut in primo libro dixi de locis, duo sunt principia deorum animaduersa, de caelo et terra, a quo dii partim dicuntur caelestes, partim terrestres.*

2. Seru. ad ecl. 5, 66: *Varro diis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari affirmat.*

* 3. Macrob. sat. 3, 2, p. 385: *Inde Varro diuinarum libro quinto dicit aras primum asas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri: ansis autem teneri solere uasa quis dubitet? commutatione ergo litterarum aras dici coeptas, ut Valesios et Fu-*

sios dictos prius nunc Valerios et Furios dici. Cfr. Ou. trist. 5, 2, 44. Velius Longus de orthogr. p. 2230 P. de *harena.*

Seru. ad Aen. 4, 219: *ueteres asas dicebant, postea immutata littera s in r, aras dixerunt, sicut Valesios Valer., Fus. Fur., quod Varro libro quinto rerum diuinarum plenius narrat. Necesse enim erat aras a sacrificantibus teneri, quod si non fieret, diis sacrificatio grata non esset.*

4. Macrob. sat. 1, 9, p. 227: *unde et Varro libro quinto rerum diuinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.*

5. Seru. ad Aen. 3, 134: *Sane Varro rerum diuinarum refert inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Ioui, Iunoni, Mineruae, nec minus in plurimis urbibus oppidisque, et id tam publice quam priuatim solere fieri, focum autem dictum a foui ut colinam ab eo, quod ibi ignis colatur, nec licere uel priuata, uel publica sacra sine foco fieri.*

6. Seru. ad Aen. 8, 363: *Varro enim diuinarum lib. IV* [leg. *V*] *Victorem Herculem putat dictum quod omne genus animalium decies uicerit.* Eadem Macrob. sat. 3, 6, p. 397, nisi quod molestam uocem *decies* omittit.

Sacella, hoc est, ut C. Trebatius apud Gellium 6, 12 definiuit, loci parui deo sacrati cum aris commemorantur apud Ouidium 1, 257, 258, 275; ibid. 581; ibid. 629; ibid. 709; 2, 670, 681; 3, 837; 5, 130; 6, 350; ibid. 791, de quibus ordine exponetur.

De I a n i sacello Sachsii et Caninae opiniones uide in eorum libris, descr. urb. Ro. 1, p. 98; de foro Ro. p. 22. Niebuhrii iudicium hoc fuit, hist. Ro. 1, p. 324: Iani templum situm fuisse medio loco inter Quirinalem et Palatinum montem propter uiam sacram. Eius sententiae argumenta uidetur secutus esse haecce. Varro portam Ianualem, hoc est eum ianum, prope quem Ouidio teste 1, 257 Iani sacellum fuit, in uetustissimi Palatii circuitu fuisse narrat de l. l. 5, 165. Idem ibidem § 156 Lautolas prope Ianum commemorat, quas cum Paulus Diac. p. 118, 5 *extra Vrbem* ponat, intellexisse Verrium Flaccum urbem Romuli recte perspexit Muellerus. Deinde easdem Lautolas sub Carinis fuisse testatur Seruius ad Aen. 8, 361, ubi inter alias super *lautarum Carinarum* appellatione opiniones hanc tradit: *Alii quod Romani Sabinis instantibus fugientes eruptione aquae feruentis et ipsi liberati et hostes ab insequendo repressi .... quia calida aqua lauandis uulneribus apta fuit, locus Lautulus appellatus est.* Eam interpretationem primum per se minime suspectam, aut optimo quouis uetere grammatico indignam ha-

beo, deinde sperni posse nego cum pariter attingat tria de Iano et Lautolis testimonia magni pretii, apud Paulum l. ind., apud Augustinum de c. d. 3, 13: — *clausisque portis se tuebantur, quibus* *dolo apertis admissisque hostibus intra moenia*, apud Macrob. sat. 1, 9 extr. Esto hunc Macrobium cum eam portam Ianualem *sub radicibus collis Viminalis* fuisse dicat, minus accurate loqui; incredibile enim est uetus Romuli pomoerium eo usque pertigisse: illud tamen aptissime eius uerbis admonemur, si necesse sit Niebuhrii iudicium de Iano in uia, quae fuerit inter Quirinalem et Palatinum montem, sito deserere, non nisi orientem uersus esse decedendum. Carinas enim esse montis Esquilini partem amphitheatro Flauio proximam non est ignotum, uid. Varr. de l. l. 5, 47, 48, Seru. loc. ind., Bunsen descr. Vrb. 1, p. 138, Ambrosch Stud. p. 128. De minore Velabro, quod non longe a Lautolis fuisse testatur Varro 5, 156, minus explorata adhuc res est: ualde enim ambigue Bunsen uir perillustris descr. Vrb. 1, p. 133: *Hier* (h. e. *beim Seuerusbogen*, p. 135) *war das wahrscheinlich bis nach der Subura sich hinziehende kleine Velabrum.* Istoc enim de Carinis et Subura, quae sub iis fuit, Varr. 5, 48, conuenit iis, quae annotauimus, illud de Capitolio unde colligatur, mox intelliges, utrumque simul uereor ut esse potuerit. Manifestum est Niebuhrium noluisse ideo, quia Ouidius u. 263 Capitolium ac deinde u. 265 portam Ianualem commemorauit, sacellum Iani prope Mamertinum carcerem sub Capitolio collocare, nec cur noluerit obscurum, quod palatium non ad Saturnium olim montem pertinuit, sed portam Saturniam, siue Pandanam *oppidi Saturnii*, non *arcis*, uti Bunsen descr. 1, p. 145 interpretatur, Varro scripsit 5, 42. Idque cum prudentissime mihi uideatur fecisse Niebuhrius, Bunsen u. perill. quasi errorem eius excusare, uel potius urbane dissimulare uoluisse uidetur. Hic enim de intellectu Ouidii certus, Seruii loco spreto, uel praeterito certe crisin orditur a loco Procopii pridem note bell. Goth. 1, 25, ubi de Iano: *ἔχει δὲ τὸν νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου, ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία φᾶτα.* Interpretatur igitur uir celeberrimus *ἀγορὰν* locum sub carcere Mamertino, extra forum Romanum et Augustum, annal. dell' instit. archeol. 1836, p. 268: quae disseruntur ad eam rem tuendam coniectura nituntur. Deinde *βουλευτήριον* Nibbyum secutus intelligit *secretarium senatus*, quod fuisse aliquando sub Capitolio uetus titulus in aede diui Adriani repertus docere sane uidetur: quia tamen non optime latinum illud ad graecum collineat, additur, *secretarium senatus* etiam *senatum* appellatum uideri, id nomen fortasse inde a Domitiani aetate inualuisse, aedificiumque in

notitia Vrbis eo nomine relatum eodem in loco situm esse potuisse. *Tria fata* explicantur de rostris Flauiis, sine ullo argumento, quantum intelligo, cum apud Anastasium in uita Honorii et in uita Adriani Sacram Viam significet ea appellatio. Indigent ergo ista eo, quod ita affirmatur: *Il résulte clairement de tout le recit d'Ouide, lorsqu'on l'applique à la localité, que ce temple de Ianus n'etait dans son origine que la porte de l'arx du Capitole. C'est précisement ce que Niebuhr a rendu probable par des inductions historiques.* Vtor Niebuhrii editione anni 1830, ubi longe diuersa leguntur: si quod forte aliud eius scriptum ista uerba innuunt, sustineo iudicium. Apud Ouidium cum u. 266 codices habeant *oppositas seras*, apparet portam indicari, non qua eruperint Sabini, sed qua irrupturi fuerint, prout etiam est met. 14, 780 sqq. Fecit igitur poeta quod poetae licebat, praeteritis his, quae Dionysius 2, 41 tradit: Ὁ δὲ Τάτιος καὶ οἱ Σαβῖνοι φρουρίου γενόμενοι καρτεροῦ κύριοι καὶ πλεῖςα τῶν Ῥωμαίων ἀποσκευῆς ἀμοχθὶ παρειληφότες ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς ἤδη τὸν πόλεμον διέφερον, festinauit ad rem narrandam, quam praeteriit Dionysius, sed cum aliis comprehendit uerbis sequentibus: μέγιςαι δὲ ἐκ παρατάξεως ὅλαις ταῖς δυνάμεσι, πρὸς ἀλλήλας μάχαι διτταὶ καὶ φόνος ἑκατέρων πολύς. Versus 263, 264, quorum in posteriori codd. scripturam, quam exhibeo, uelim perpendi ab archaeologis, utramque ex annalibus excerptam historiam in sermone garruli seniliter dei connectere uidentur: uersu 265 si paulo longius iter indicatur, aptius id est, quam si omnia, ut putari uideo, in monte Capitolino transiguntur. Nihil igitur apud Ouidium est, nisi forte uere asseuerant elegantes homines a grammaticis et editoribus omnium minime intelligi ueteres scriptores, nihil est, inquam, quo cogamur testimonia de Iani sacelli loco supra indicata insuper habere; id unum restat, ut de *duobus foris*, u. 258, doceatur, in quorum confinio id positum fuisse conuenit. Alterum si Romanum fuit, alterum sub Carinis fuerit necesse est, quod credo promiscue *forum piscatorium* et *macellum* dictum, uide de postrema appellatione Varr. de l. l. 5, 146, 147, Paul. Diac. p. 48, 15 cum annot. Muell. Hoc nomine Paulus Diac. p. 125, 7, illo Liuius 40, 51 id extructum narrant anno V. C. 573 a M. Aemilio Lepido et M. Fuluio Nobiliore censoribus. Locus definitur non longe a Sacra uia, Varr. de l. l. 5, 152, nec multo longius a foro, quam fuerunt lautomiae et Atrium Regium, Liu. 26, 27. Ipsae adeo lautomiae, si Bunsenii disputationem ann. t. 8, p. 227 sequi uelis, non longissime a foro piscatorio afuerint: sed alia suadet Varr. de l. l. 5, 151, prout etiam edisseruit Bunsenius descr. Vrb. 3, 1, p. 70, 71.

Ara maxima Herculis in foro boario, uti assignificat Ouidius 1, 582, uel potius teste Dionysio 1, 40: *βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον*, superfuit utriusque aetate; ita enim Graeculus dicit: *ὅρκοι τε γὰρ ἐπ' αὐτῷ καὶ συνθῆκαι τοῖς βουλομένοις βεβαίως τι διαπράττεσθαι καὶ δεκατεύσεις χρημάτων γίγνονται συχναὶ κατ' εὐχάς. τῇ μέντοι κατασκευῇ πολὺ τῆς δόξης ἐςὶ καταδεέςερος.* Diuersa igitur fuisse uidetur ab aede Herculis Victoris in foro boario, quae commemoratur apud utrumque fragmenti 6 auctorem post excripta uerba ita pergentem: *Romae autem Victoris Herculis aedes duae sunt, una ad portam Trigeminam, altera in foro boario,* quae uerba si Varronis forent, non recte huic libro fragmentum assignauissem; deinde apud Festum p. 242, 32 dext., ubi *Aemiliana* nuncupari uidetur. Caeterum Aram ipsum sibi Herculem constituisse consentiunt Ouidio Dionysius 1, 40 med. et Festus p. 237, 24 sin., sed iidem docent uu. 579, 580 non ad sacrificium illud, quod Potitiorum et Pinariorum posthac fuit, pertinere. Festus enim uti etiam Macrobius l. ind. aiunt decimas consecrari Herculi illo in loco ex ipsius instituto. Taurus igitur *unus* Ioui immolatus auctor sim ut referatur ad aliud sacellum ab Hercule tunc consecratum, cuius meminit Dionysius c. 39 his uerbis: — *ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς Εὑρεσίου βωμόν, ὅς ἐςὶ τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ Τριδύμῃ πύλῃ· καὶ θύει τῷ θεῷ δάμαλιν ἕνα τῆς εὑρέσεως τῶν βοῶν χαριςήριον. ταύτην ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ τὴν θυσίαν ἡ Ῥωμαίων πόλις συνετέλει, νομίμοις Ἑλληνικοῖς ἅπασιν ἐν αὐτῇ χρωμένη, καθάπερ ἐκεῖνος κατεςήσατο.*

De Carmentae sacello quod indicatur 1, 629, tenuis restat notitia in uerbis Dionysii 1, 32: *καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους, Καρμέντῃ μὲν ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίσι πύλαις* — et Verrii Flacci in tabula prima Praenestina: HERCVLES.DICITVR.INSTITVIS...SI.FIDENAS.EO. DIE.CEPISSIT.

De ara Pacis 1, 709 supra p. XVIII, XXXVIII, XLIII; de Termini in Capitolio sacello 2, 670 p. LXXXII est dictum; de altero eiusdem in uia Laurentina 2, 679, 682 nihil praeter ea, quae apud Dionys. Hal. 2, 74 leges, mihi innotuit. Itaque pergo ad Mineruium, quod eodem loco designatur ab Ouidio 3, 835 sq. et Varrone de l. l. 5, 47, cfr. Bunsen descr. Vrb. 3, 1, p. 479. Inter sacella, siue aediculas referendum esse putaui, quamquam ipsa lege dedicationis (uide de his Muell. ad Fest. p. 157, 27 dext.) exempta ex illis quodammodo fuisse uidetur. Nam, ut est in Digestis lib. 48, tit. 13, IX: *Paulus: sacrilegi capite puniuntur. Sunt autem sacri-*

legi qui publica sacra compilauerunt: at qui priuata sacra, uel aediculas incustoditas temptauerunt, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. Huius uero aediculae lex in eum modum fuit, ut in titulo Gruteriano p. 1076, n. 10: SI. QVIS. FVRAVERIT. PROINDE. OBLIGATVS. ERIT. AC. SI. SACRILEGIVM. COMMISERIT. cfr. Paul. p. 66, 1. *Furta reperta* quae dicit Ouidius u. 846, dubito utrum intelligam de lance et licio, uid. Paul. p. 117, 2, an quod Masurii Sabini sententia furti *faciendi finis est cum perlatum est quo ferri coeperat*, Gell. 11, 18. Certe intelligis non perite aunotasse Burmannum.

Larum Praestitum aram, quam Kl' Mai. dedicatam ait poeta 5, 130, ipsum se addit frustra quaesiuisse u. 143: ne de loco eius sollicitemur. Plutarchus quaest. Ro. c. 51 more suo antiquariorum scripta expilauit, res superesset necne, non curauit. Tempus dedicationis autem poeta u. 131 indicauit, ubi tamen scripturae multa est difficultas. Altera codicum est auctoritas: *Vouerat illa quidem Curius.* A M'. Curio Dentato Lares Praestites commendari certe, quicquid aliis placet, poterant, uti a P. Aemilio Permarini et a Q. Fuluio Flacco fortassis Hostilii: quamquam displicet *uoueri signa* et ipsum *uouere* cum de dedicatione quaeratur. Verum ista scriptura a nullo exploratae fidei libro uetere confirmatur. Optimus et uetustissimus Petauianus paulo ante eum locum desinit, proximi sex saeculorum decimi, undecimi, duodecimi ad unum omnes habent: *Ara erat illa quidem Curibus.* Hoc molestissime dici nec tolerari posse ipsi ueteres interpolatores perspexerunt: hodie quin multis probetur, uix dubito; et ecce dum haec scribo affertur ad me libellus nouus Hertzbergii, cuius plagulas peruoluens p. 43 annotatum uideo isto modo, additur tamen etiam *Curium* dici potuisse pro *Quirite uel Romulo, uel Numa, uel Tatio.* Vtinam non euoluissem! *Curibus* explicandum uidetur ex altero illo 6, 216: *sic uoluere Cures*; aliter Propert. 5, 4, 9. Aram Larum a Tatio dedicatam esse tradit Varro de l. l. 5, 74. Restat igitur exordium uersus coniectura quam potest lenissima sanandum, quod librarios corrupisse eo tempore existimo, quo uncialium litterarum increbuit usus: una tenuissima linea tunc distabat *Ara* et *Cura*: cfr. *Tu mihi cura Phaon, nymphis curaque amorque fui, Cura pii diis sunt.* Caeterum si Varro scribere potuit Sabinos dictos esse ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, Fest. p. 343, 33 dext., potuit parechesi ludere poeta, ut in illo *Venus in uenis.*

De ara Iouis Pistoris 6, 350 supra p. LXXXV fassus sum ignorantiam.

Restat sacellum Larum 6, 791. Ita appellatur a Tacito

ann. 12, 24; in monumento Ancyrano uero tab. 1 dext. init. *aedes Larum in summa sacra uia* inter ea recensetur, quae Augustus *fecisse*, non *refecisse*, aut *perfecisse* se profitetur. Titulus dedicationis superesse uidetur inter inscriptiones Orellianas n. 1668, ubi notantur coss. C. Caluisius Sabinus, L. Passienus Rufus, h. e. annus V. C. 750. Quare quod Hertzbergium in postremis opusculi foliis affirmare uideo Dionysium Hal. 1, 68 loqui de Laribus, id spero eum in prioribus, allatis testimoniis de sacello Larum eo in loco etiam ante editos Dionysii libros posito, confirmasse: ego nullum repperi. Carmen Ouidianum hac parte imperfectum puto, cum tam insigne tamque tractabile principis factum tam exiliter annotetur. Nam praeter diem locus tantum indicatur, in summa sacra uia, ubi cum poma ueniisse constet ex Varrone de re rust. 1, 2, p. 8, 4 Scal., cfr. not. p. 196, de floribus et coronis non est improbabile, quae ad Lares maxime pertinebant, uid. Suet. Oct. 57, Paul. Diac. p. 69, 6.

LIBER SEXTVS.

Fragm. 1. August. 3, 17 fin. *Nam quae tunc uelut ad sedandam pestilentiam diligenter repetita fuerunt atque reparata, nisi postea eodem modo neglecta atque usurpata latitarent, non utique magnae peritiae Varronis tribueretur, quod scribens de aedibus sacris tam multa ignorata commemorat.*

2. Seru. ad Aen. 2, 512: *Varro locum quatuor angulis conclusum aedem docet uocari debere. Idem rerum diuinarum libro sexto intulit, ideo loca sacra ciuitates habere uoluisse, ne per continua aedificia incendia prolaberentur, et ut essent, quo confugerent plerique cum familia sua in periculis.*

*3. Id. ib. u. 225: *Varro autem rerum diuinarum libro XXVII delubrum esse dicit aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem area sit adsumpta deum causa, ut in circo Flaminio Ioui Statori, aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum; ut in quo figunt candelam, candelabrum appellant, sic in quo deum ponant, delubrum.* Eadem Macrobius sat. 3, 4, p. 390, sed ex *libro octauo rerum diuinarum*, et adiicit: *His a Varrone praescriptis intelligere possumus id potissimum ab eo probatum, quod ex sua consuetudine in ultimo posuit.* Cfr. etiam Asconium Pedianum ed. Popmae Col. 1578, p. 5.

4. August. 6, 7: *Quid de Ioue senserunt, qui eius nutricem in Capitolio posuerunt? — — Epulones etiam deos parasitos Iouis ad*

eius mensam qui constituerunt — —. Varro dixit; — nec ubi ludos scenicos exponebat, sed ubi Capitolina iura pandebat. — inferius: *non theatrorum, sed templorum, non fabulosae, sed ciuilis theologiae —.*

* 5. Philargyr. ad ge. 4, 265: *Varro diuinarum lib. VI: Canalis eas dispescit. Templa feminino genere canales dixit.*

* 6. Nonius p. 473: *Varro rerum diuinarum lib. VII* (leg. *VI*): ***Postquam uidit misericordia labasci mentem infirmam populi.*** Gell. 17, 21: *damnatusque capitis saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praeceps datus.*

* 7. Macrob. 1, 8, p. 222: *quamuis Varro libro sexto, qui est de sacris aedibus, scribat aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, T. uero Lartium dictatorem Saturnalibus eam dedicasse.*

8. Plin. nat. hist. 8, 47, § 194: *Lanam in colu et fuso Tanaquilis, quae eadem Caia Caecilia uocata est, in templo Sangi durasse prodente se auctor est M. Varro.*

Ipsis Kl' Ian. Ouidius dedicatam aedem Aesculapii et proximam ei Iouis scripsit. Inter utramque dedicationem centum fere anni fuerunt. Nam Aesculapii aedem paulo post annum V. C. 460 factam tradit Liuius 10 extr. et epit. 11 et idem 34, 53 de anno 560 ita: *in insula Iouis aedem C. Seruilius duumuir dedicauit: uota erat sex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpureone praetore, ab eodem postea consule locata.* Vbi de uota aede narratur apud Liuium 31, 21, codd. ita habent: *aedemque deo Ioui uouit*, uel *aedemque d'o Ioui*; *aedemque Diioui* tentabat Valesius; Sigonius *aedesque duas Ioui.* Suaserim *aedemque Vedioui.* Neque enim multo grauius est ferendum Liuium a se ipso dissentire, quam Ouidium a Verrio Flacco in tabula prima Praenestina, ubi clare legitur ...LAPIO.VEDIOVI.IN.INSVLA. Vitruuius 3, 1 *aedem Iouis* etiam nuncupat, nec scio num codices discrepent: editione Rodii utor. Quod a Sachsio 1, p. 413 Blondus et ab eodem et Nardino 3, p. 351 Marlianus et a Nardino Andr. Fuluius uestigia quaedam templi Aesculapii uidisse dicuntur in inferiore insulae parte, ubi hodie diui Bartolommei aedes, id de priori utroque, Rom. inst. lib. 2 p. 252 ed. Bas. et Vrb. top. 5, 16 p. 246 Gr. falso traditur, tertius ad manus mihi non fuit. Templum Pompeii Festi aetate fortassis euanuerat, uid. Paul. Diac. p. 110, 14 Muell.

Sequitur apud Ouidium III Id. Ian. aedes Iuturnae, de qua multo luculentius Rufo et Victore, qui Ouidium tantum exscripserunt, testimonium inter alia Varronis uerba extat apud Ser-

uium ad Aen. 12, 139. Quod quia ab omnibus topographis insuper habitum uideo, apponam: *Huic Fonti per Aquaminum inopum* (leg. *flaminem minorem*) *sacrificari solet, cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martio fecit* etc. Opinor, Catulus censor anno 689, uid. interpp. ad Dion. 37, 9. Alia quaedam de loco templi inuenies apud Nardinum 3, p. 125 ed. quart.

XVII Kl' Febr. aedes Concordiae dedicata est cum olim, ut puto, anno 388 a M. Furio Camillo, uid. Liu. 6, 42. Plut. Cam. c. 42, tum anno 763 a Tiberio, P. Dolabella C. Silano cos., uti grauis testis Verrius perscripsit in fastis Praenestinis, nec fortasse dissentiente Dione 56, 25, quem qui inspexerit, intelliget id factum segregari a consulatu proximo Lepidi et Tauri. Quoniam de tempore in confesso est, uidendum est de loco. Hunc antiqui et noui templi eundem fuisse et res ipsa flagitat, et uerba Ouidii *prospicies Latiam turbam* collata cum Plutarcheis ἱερὸν εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἄποπτον. Atque Ouidius cum addat de templo Iunonis Monetae, hoc est de monte Capitolino, efficit, ut recte ad partes uocari uideantur loci duo, alter Seruii ad Aen. 2, 116: *Ossa Orestis condita sunt ante templum Saturni, quod est ante cliuum Capitolinum iuxta Concordiae templum* et Dionis Cassii 58, 11: ἡ γερουσία πλησίον τοῦ οἰκήματος (h. e. prope carcerem Mamertinum) ἐν τῷ Ὁμονοείῳ ἀθροισθεῖσα etc. Ita a quatuor partibus circumscriptum templum facile, sed insigni fortunae beneficio agnitum est ab antiquariis. Anno abhinc uigesimo tertio reperta sunt uestigia templi e marmore candido (ita refert Sachs. 1, p. 710, quamquam nihil de ea re in *Kunstbl.* 1818 n. 3 aut apud Nibbyum lego) prout apud Ouidium est, supra arcum Septimii Seueri, non longe a carcere, qui ubi fuerit, haud est obscurum. Adiicit Nibbyus ad Nardin. 2, p. 196 cellam eius templi iam tunc forum uersus spectantem apparuisse. Anno 1833 plura sunt eruta, inprimis scalae a foro assurgentes, uid. annali dell' instituto di corr. arch. 1834 p. 18, Canina descrizione storica del foro R. p. 112. Restabat, ut de templo Saturni errores tollerentur, quod factum est a uiro ill. Bunsen ann. 1834, p. 17. bulletino 1835, p. 74, annal. 1836, p. 221. Hoc postremo loco docemur rem ad Ouidium quae egregie pertinet, Tiberium ueteris templi ambitum dilatasse, ita ut iustum et commodum interuallum inter ipsum et Saturni aedem absumeretur. Possit nunc quaestio institui de eo, num illud uetus Camilli templum perstiterit ad Tiberii usque tempora, uel potius, cum id probabile minime sit, iacueritne Ciceronis et Varronis aetate id templum, an diuersum non fuerit ab Opimiano. Quatuor sunt scriptorum loci satis memorabi-

les, Varronis de l. l. 5, 156: *Senaculum supra graecostasim, ubi aedis Concordiae et basilica Opimia: senaculum uocatum ubi senatus, aut ubi seniores consisterent*, Festi p. 153 Vrs.: *Senacula tria —, unum ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et forum, in quo solebant magistratus cum senioribus deliberare*, Liuii 41, 27: *et porticum ab aede Saturni in Capitolium ad senaculum et supra id curiam*, Augustini de c. d. 3, 25: *Eleganti sane senatusconsulto eo ipso loco, ubi funereus tumultus ille commissus est, ubi tot ciues ordinis cuiusque ceciderunt, aedes Concordiae facta est.* Locus Festi si de eodem senaculo intelligitur ac Varronianus, quae Muelleri uiri ill. sententia est in annotatis ad Festum p. 346, necesse est basilica Opimia et graecostasis et curia Hostilia ab eo loco, quo posita sunt in eleganti tabula Bunseniana commigrent sub ipsum Capitolium, prout Vulcani aream collocat Dion. Hal. 2, 50. Nescio an etiam basilica Porcia locum sit mutatura, siquidem ea in lautumiis et atrio Maenio extructa fuit, Liu. 39, 44, lautomias uero Varro 5, 151 sub Capitolio, partem domus Maenianae ipse uir ill. p. 232 ibidem ponit. Concidet, nisi fallor, maxima pars utriusque fori Romani et Caesaris a uiro perillustri exornati. Ea ruina ita auerruncatur, si Varronis uerba redduntur uti fecit p. 236: *Au dessus de la grécostase il y a le sénaculum où se trouve le temple de la Concorde fait par Opimius et la basilique Opimia*, deinde si Festus, uel etiam Verrius erroris de aede Capitolina et Opimiana insimulatur, Liuii uero locus alio modo eluditur. In tanto discrimine non ausim affirmare Augustini opinionem ex Varronis rerum diuinarum libris fluxisse. Quos quamuis non segniter peruoluisse uideatur, et quamuis re uera seditio Gracchana in Capitolio exarserit, uid. App. 1, 26, potest tamen et ipse Opimianam et Tiberianam aedem confudisse.

C a s t o r u m t e m p l u m in Regillensi pugna ab A. Postumio uotum, biennio post dedicatum narrat Liu. 2, 42. Superfuisse id templum anno V. C. 747 Dionysius Halic. 6, 13 uidetur testari, refectum tamen aliquando fuit a L. Metello, Cic. pro Scauro § 46 et schol. p. 28, 4 Orell.; uid. Nibby del foro Rom. p. 70, Nardin. 2, p. 168. Aliter opinatur Sachs. 1, p. 550. Istud tamen in foro templum mirum, nisi eodem illo anno, quo Dionysius historiam suam edidit, quo Dio 55, 8 πολλὰ τῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ οἰκοδομημάτων κεκαῦσθαι memorat, absumptum est. Nam anno 759 denuo a Tiberio dedicatum traditur a Dione 55, 27, alio die atque pristinum, uti ex Ouidio et Praenestinis fastis cognoscitur; nam Postumianum Dionysio et aliquanto disertius Liuio narrante Id. Quintil. consecratum est. Num alio etiam loco, prope lacum Iuturnae tamen, ex-

tructum tunc fuerit, cum nemo refectum, uel restitutum tantum tradat, supersedeo quaerere; Ouidius quem locum eius nouerit, sciendum est. De quo sane nonnihil dubitationis relinquitur ex monumenti Ancyrani uerbis: *basilicam* (Iuliam) *quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni*. Nam cum Saturni templum et Iulia basilica ubi fuerint, accurate constet, quaeritur, num proxime hanc a latere dextro, an spatio aliquo intermisso, non maiore tamen eo, quam quantum inter basilicam et Saturni aedem intercedit, Castorum templum sit intelligendum: et utrum forum ipsum attigerit, an quia longissima fuit basilica, aliquantum recesserit a foro. De priori isto discrimine conferes quae Bunsen uir. ill. diuersa protulit in bull. 1835 et in ann. 1836; posteriorem in modum discedunt Bunsen et Canina. Prominuisse in forum dicit Ambrosch, Stud. p. 97.

Kl' Febr. templum Iunonis Sospitae dedicatum dicitur non longe ab aede Matris Magnae: fuit ergo in Palatino monte et diuersum ab altero in foro olitorio, de quo uid. Sachsium 1, p. 429. Quamquam intelligo nunc Bunsenium in addendis t. 3, 1, p. 664 coniecturam posuisse speciosam de templo Magnae Matris in foro olitorio.

Fauni templum commemoratur a Vitruuio 3, 1. Tempus, quo locatum et dedicatum est, Liuius tradit 34, 53. Locum in capite insulae clare designat Ouidius. Marlianum lib. 5, c. 16 p. 246 ed. Graeu. eius uestigia quaedam suo tempore cerni potuisse uideo affirmare. Id tamen testimonium iure fortasse neglexerunt topographi.

Templum Iunonis Lucinae quo loco et quando dedicatum fuerit, quaeritur. Locum Esquilias nominant Verrius in fastis Praen. et Ouidius. Si accuratiora desideras, caue Ouidii uersum 245 cum interpolatoribus Italis accipias de domo Seruii Tullii. *Excubiae regis* quas etiam Varro dicit de l. l. 5, 49, illae sunt, quas a Collina ad Esquilinam usque portam Strabone teste l. 5, c. 3, § 7, p. 314 Cor. Seruius Tullius, Plinio n. h. 3, § 67 aliisque Tarquinius Superbus egit, quasque designat Festus p. 117, 10. In Esquilino colle mons Cespius, Varr. § 50, in Cespio monte is locus, ubi hodie aedes Mariae Maioris est, aedem Iunonis hanc habuit ex sententia topographorum, uid. Sachs. 1, p. 476, Nibbyum ad Nard. 2, p. 36: qui quae notat de *pauimento de mosaico bianco e nero a fiorami, che si trovò nell' ristaurare la Basilica* (di Maria Maggiore) *per ordine di Benedetto* XIV, anno 1748, ut addit Fogginus p. 21, miror a nemine dum accommodata esse ad Ouidii uerba 3, 254: *Ferte deae flores, gaudet florentibus herbis.* De tempore non multo

peius uidetur esse prouisum. Verrius in tabula secunda Praenestina: IVNONI.LVCINAE.EXQVILIIS.QVOD.EO.DIE.AEDIS. EI.....TA.EST.PER.MATRONAS.QVAM.VOVERAT.ALBI ......VEL.VXOR.SI.PVERVM.... cfr. Paul. Diac. p. 147, 5 M. Plinius autem n. h. 16, 44, §. 245: *Romae lotos in Lucinae area anno qui fuit sine magistratibus CCCLXIX aede condita.* Ita libri: addendum esse deceunium primus uidit Fogginius p. 22. Probabile est haec cum Ouidianis tam congrua a Varrone profecta esse, uti et illa, quae apud Plinium proxime sequuntur, conferenda cum Ou. 2, 435—452. Versum 3, 205 ad aliam aedem spectare non est quod moueam.

Templi Vediouis Nonis Martiis dedicati locum accurate definiuit Ouidius. Ea loci nota etiam postquam ignorari coepit alterum Vediouis templum in insula esse, a scriptoribus addi solet, sed diuerso modo. *Inter duos lucos* locutione etiam Vitruuius 4, 7 utitur, eamque tralaticiam fuisse Dionysius 2, 15 demonstrat. Gellius 5, 12 obiter dixit *inter arcem et Capitolium.* Varro in fragm. 4 supra posito, quocum cfr. Ou. 3, 443, *in Capitolio* simpliciter. Plinius nat. hist. 16, 40, § 215: *Nonne simulacrum Vediouis in arce e cupressu durat a condita Vrbe DCLImo anno dicatum.* Hic uero reconditius quid latere, neque quicquam profici opinor Fogginii explicatione p. 27, aut Sachsii 1, p. 458. Verrius enim in fastis Praenestinis ita reliquit: *Ved*IOVI.ARCIS.VEDIOVIS.INTER.DVOS. LVCOS. Hoc si componitur cum Ouidii uerbis, quibus uers. 431 quem locum Liuius 1, 8 et Dio 47, 19 postea saeptum uel obstructum uideutur credidisse, iam tunc a Romulo munitum saxeo aggere scripsit, credibile est *arcis Vediouis* appellationem olim in usu fuisse. Non explicauit hanc rem Bunsen descr. Vrb. 3, 1, p. 11 sqq. Ceterum sapienter Ouidius cauit, ne apertis uerbis, uti Dionysius fecit, templi illam dedicationem Nou. Mart. ad Romulum referret. Aram a Tatio consecratam Varro de l. l. 5, 74 a Muellero correctus tradit. Templum quo anno postremum dicatum sit, ignoramus, nisi forte apud Plinium DLX legendum sit, et Liuius quod alii annalium auctores a L. Furio Purpureone templum Vediouis in insula, alii in arce factum tradiderint, illos loco supra indicato, hos 35, 41 secutus fuerit.

De aede Diui Iulii quam Ouidius 3, 704 commemorat, uelim adiri topographos Nardinum 2, p. 169 ed. quart., Nibbyum de foro p. 92, Sachsium 1, p. 623, Caninam de foro p. 102, 103, Bunsen. annal. 8, p. 277, 258, Ambroschium in studiis etc. Dedicatam esse XV Kl' Sept. nouimus ex fastis Antiatinis. Nihil praeterea ha-

beo, quod addam iis, qui scriptorum locos collegerunt: si qua falso adhibita sunt, uelut a Nibbyo fragmentum Capitolinum basilicae Iuliae, facile id ab intelligentibus cognoscitur.

De Lunae in Aueutino monte templo, quod extremo Martio mense dedicatum est, supra p. XLIV dictum est.

De templo Magnae Matris Idaeae eorum, quae Ouidius 4, 347, 348 docet, nihil aliunde notum est. Scipionem Nasicam membranae ueteres *non perstitisse* auctorem templi testantur, quod cum ambiguum sit, nemo tamen, neque Liuius 36, 36, neque Aur. Victor de uir. ill. 44, Nasicam aedis auctorem facit. Mireris etiam de Metello ab Ouidio u. 351 tradi rem, quam posteriori aliquo tempore institutam esse credibile non est; uetustissimus enim, Romae quoque teste Dion. Hal. 2, 19 sub fin., mos fuit τῶν μητραγυρτῶν, a Demosthene iam et comicis Atticis notatus, quamuis certissimum sit nusquam de primo templo id tradi, quod Nardinus 3 p. 190 affirmat: *con doni, che il popolo ui porto, gli fu fatto il tempio proprio.* Quare dubito, utrum Metellus aliquis duumuir cum M. Iunio Bruto aedem anno 563, an post incendium, de quo Iul. Obseq. § 99, anno 643 dedicauerit. Augusti restitutio quando coepta et quando nondum perfecta fuerit, supra p. XLV ex Dionis loco 55, 12 coniecturam posui, quam Sachsio fortasse debeo. Isto in loco τὸ παλάτιον montis appellationem esse usus loquendi Dionis patitur, uid. 53, 16, sed imprimis 46, 33, ubi τὸ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἄγαλμα τὸ ἐν τῷ παλατίῳ ὄν. Sensus num patiatur, non dixerim confidentius. Verum 2, 59 apud Ouidium *Caetera* retulerim ad aedes sacras potissimum montis Palatini restitutas, quas ipse Augustus in mon. Ancyr. tab. 1 dextr. nominat: AEDEM.IVVENTVTIS.AEDEM.MATRIS.MAGNAE.IN.PALATIO.FECI, quippe quae numina u. 66 in statione ante domum eius adesse iubeantur. Vel sic igitur aedes magnae Matris quam *reposuit* Augustus, non longius a palatio afuerit oportet, quam templum Apollinis Palatini, quod *posuit.*

Aedes Fortunae Publicae duas nuncupat Ouidius Non. April. et VIII Kl' Iun. Vtramque in colle Quirinali fuisse docent lemmata iisdem diebus in fastorum fragmentis Praen., Amitern., Esquil., Venus. ascripta. Nec audiendus est Fogginius p. 120, qui idem templum modo uotum, modo dedicatum intelligit. Scilicet uota ad ueteres lapides non pertinent. Altera itaque est quae *Primigenia* nomen habuit, quod nomen cum in lapide Esquilino duabus litteris PR expressum legatur, exposuerunt interpretes Dionis 42, 26 *Populi Romani*, perperam sane, sed non multum abest, quin ita ac-

cepisse Ouidium existimem 5, 729. Dedicata ea aedes est anno V. C. 558 decimo anno, postquam uota est teste Liuio 34, 53. Commemoratur postremum a Liuio 43, 13. Nam a Dione loco indicato Τύχη quidem ἡ δημοσία καλουμένη nominatur, sed neque tertia illa appellatio additur, et debile argumentum peteretur ex eo, quod editiora loca fulmine magis feriuntur, contra uero illud ualidissimum est, nisi iam pridem in obliuionem cessisset ea aedes, notam dedicationis adesse debuisse in fastis Maffeanis. Locum tamen, ubi fuerit, non male ex eo indagauit Sachsius, quod a Plutarcho quaest. Ro. c. 106, de fort. Ro. c. 10 in Capitolio posita dicitur. Id intelligendum uidetur Capitolium uetus prope templum Florae, uid. Varr. l. l. 5, 158, in extrema et remotissima montis Quirinalis ora, uid. Nard. 2, p. 85 sq. Siue igitur extra, siue intra pomoerium fuit, accurate hoc respondet uerbis Verrii Flacci, quibus alteram Fortunae Publicae aedem, mense Aprili dedicatam, ab illa uetustiori, ut puto, distinguit: FORTVNAE . PVBLICAE . CITERIO . . . IN . COLLE. De Fortuna citeriore et breui quae philosophatur Foggínius, lege apud ipsum. Collis citerior Quirinalis est decliuis in *uallem Quirini*, quae dicitur a Iuuenale 2, 133. Ita enim ex membranis Ilfeldensibus potissimum edidi apud Ouidium. Istaec uero Fortunae Publicae aedes a quo et quando dedicata sit, ex toto me latet, nec usquam praeter supra indicatum Dionis locum commemorari eam existimo.

Aedem Iouis Victoris, quam Id. April. dedicatam tradit Ouidius, uotam esse a Q. Fabio Maximo Rulliano anno V. C. 458 narrat Liuius 10, 29; commemorat bis Dio Cassius anno V. C. 712 et 807 lib. 47, 40 et 60, 35. De regione decima P. Victori fides non est habenda.

Atrium Libertatis, quod iisdem Idibus April. inauguratum memoriae prodidit Naso, nescimus, quanto temporis spatio ante annum 542 extructum fuerit. Tunc enim primum commemoratur a Liuio 25, 7; postea instauratum idem tradit 34, 44 his uerbis: *Atrium Libertatis et uilla publica ab iisdem refecta amplificataque.* Alibi, 43, 16, ita: *censores extemplo in Atrium Libertatis escenderunt, et ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario* etc. Postremo 45, 15: *ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in Atrio Libertatis sortirentur* (censores), *in quam omnes qui seruitutem seruissent coniicerent.* Ex his locis liquido apparet id Atrium censui censendo et censoribus inseruiisse eodem fere modo, quo de uilla publica id notum est ex Liuio 4, 22 coll. Varrone de re rust. 3, 2. Itaque quod certo non constat, nec tamen improbabile est, hoc est,

fuisse utrumque aedificium in campo Martio extremo, quem in modum uillam designat Varro loco indicato, ut eo quoque nomine simul notari uideantur apud Liuium. Rursus uero quod exploratum est, Atrium in loco editiori collocatum fuit. Iam uero inter Bellorii Capitolina fragmenta tab. VI unum est, quod dimidiam partem basilicae alicuius cum ipsis his litteris: BASIL , ad caput eius uero aliud quoddam aedificium quadratum cum hoc titulo: LIBERTATIS delineatum ostendit. Appingi consueuit huic marmoris frusto aliud minutum, in quo perscriptum est: EMILI , quo factum est, ut basilica illa Aemilia intelligeretur et proxime eam, in foro Romano scilicet, uel prope, uel post forum, Atrium Libertatis: ita enim supplendam esse inscriptionem plerisque recte ut puto uisum est. Ecce autem exsurgit testis oculatus Ludouicus Canina, qui litterarum modum in uerbis BASIL et EMILI diuersum, in alio uero frusto tab. XVI fissuram marmoris, litterarum magnitudinem, columnarum ordines, omnia eiusmodi deprehendi affirmet, de foro p. 90 sq. 140 sq. 179, ut nisi hominem ualde improbum putare uelis, plane persuadearis depictam in utroque illo fragmento basilicam Vlpiam nos habere. Vir ill. Bunsen nullo uerbo, ne urbanissimo quidem, finxisse quicquam Caninam indicauit. Permirum autem esset, si ignorasset ea, quae de asteriscis appositis mihi innotuerunt per Bunsenium, qui quamquam in tabula sua id signum basilicae apposuit, Gerhardus tamen in fronte libelli della bas. Giul. Ro. 1823 ita delineauit fragmentum, ut pars tantum eius periisse et reficta esse uideatur. Apud Bellorium ed. Rom. 1673 litterarum nullum est discrimen. — Cum ergo basilica Vlpia ubi fuerit, constet, uid. Caninam p. 140, Platner. descr. Vrb. 3, 1, p. 286, Bunsen. annal. 1837 p. 42, necesse est Atrium Libertatis fuerit in extrema parte montis Quirinalis, qua campum Martium spectat. Siue autem supra basilicam situm fuerit, quemadmodum Bunsen. in lapide Capitolino uocem illam reliquam interpretatur, siue Caninam sequeris, qui ita: *si potrebbe credere, che trouandosi il detto atrio nel luogo, oue Traiano stabili di edificare il suo foro —, e percio lo stesso atrio uenendo distrutto, ne auesse Traiano conseruata memoria in una parte della sua basilica*; utcunque uidebitur, proximus est is locus illi turri *delle milizie Tiberiane*, de qua quae traduntur apud Nardinum 2 p. 71 uera iudicat et memorabilia ipse Bunsen. l. ind. p. 40. Quod si haec fidem merentur, apprime conueniunt cum uerbis Taciti hist. 1, 31: *Praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus, ut Germanicos milites e Libertatis Atrio accerserent.* Vnde si ii milites longum et deuium iter habuerunt, uti dicit Suet. Galb. 20, uix uti-

que e foro Romano uenisse putabimus, uti Bunsen. statuere uidetur, qui non nisi unum Atrium Lib. fuisse affirmat ann. 8 p. 253: *Tacite le nomme encore sans aucune indication particuliere —. En admettant même pour un moment, qu'il y eût eu deux, — ce qui rien ne iustifie, et en supposant, que la basilique, qui sur le plan capitolin se voit devant l'A. L., soit celle de Traian, ce qui me paraît impossible à cause de monumens qui entourent la basilique* (quorum alterum, quod sane negotium facessit, ualde diuerso modo a Canina et in postrema Bunsen. tabula delineari uideo); *il faudrait en outre supposer, que par un hazard des plus extraordinaires un edifice appelé atrium lib. se fut trouvé derrière la basilique de Traian, précisément comme du temps de Cicéron l'atr. lib., dont il parle, se trouvait derrière la basilique de Paulus.* Prope forum Augusti uir illustr. ann. 9 p. 21 tale aliquod aedificium fuisse statuit. Sed uideamus de Ciceronis loco, qui est ad Att. 4, 16: *Paullus in medio foro basilicam iam paene texuit iisdem antiquis columnis, illam autem, quam locauit, facit magnificentissimam. Quid quaeris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Caesaris amici (me dico et Oppium, dirumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties HS: cum priuatis non poterat transigi minore pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam: nam in campo Martio Septa tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi, eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur; simul adiungetur huic operi uilla etiam publica. Dices, quid mihi hoc monumentum proderit?* — Ita hunc locum qui totum intuetur, intelliget primo et postremo loco de rebus diuersis agi, quaeri autem, quorsum media referenda sint. Si uno tenore coniunguntur, uti fieri uideo, omnia usque ad *rem gloriosissimam*, locutio mediocriter procedit, ne minuta carpam; minime tamen intelligitur, quid adeo in basilica illa Attici interfuerit, qui a forensi uita abhorrebat: deinde qui aedificium locat, solum antea emerit, oportet: postremo si hoc praepostere Cicero tantum scripserit fortasse, non Paullus fecit, si tamen ad hanc rem numos a Caesare accepit, neque hoc, neque ipsa pecuniae summa conuenit cum ea, quam Appianus bell. ciu. 2, 26 et Plutarchus Caes. 29 tradunt, sed differt integris mille talentis, siue ducenties quadragies sestertio, uide utriusque aetatis testes Cic. pro Rabir. Post. c. 8, § 21, Gell. 5, 2; Gronou. de sestert. p. 69 sqq. Sin hoc dixit Cicero: quoniam Caesari omnia publica *monumenta grata* sint, se quoque in *monumentum*, quod tamen non ad uilem iudiciorum usum, sed ad rempubli-

cam (quas res sibi opponit etiam 4, 15, ubi de Procilio) spectet, pecuniam decreuisse; ita demum salse responderit Atticus *monumentum* marmoreum nihil esse profuturum, ubi *succus et sanguis ciuitatis amissus* sit. Quoniam uero uillam publicam, quae non longe a Capitolio fuit, septis adiunctum iri dicitur, non est mirum, si iis ampliandis *solum* (ita enim, uel *aream*, quia boni codices *eorum* habent pro *foro*, legendum uidetur) usque fere ad montem Quirinalem et Atrium Libertatis coëmendum Senatus decreuit. Quod quominus uel perfectum tunc putetur, non impedient uestigia, si qua extant Septorum post incendium Tito imperatore, uid. Dion. 66, 24, alio loco restitutorum. Hactenus de eo Atrio Libertatis, quod ab Ouidio innui probabile est. Alterum, quod ab Asinio Pollione conditum Suet. Aug. 29 tradit, additum fortassis aedi Libertatis in Auentino ab Augusto restitutae, eo nomine commemorandum est, quod eius respectu Ouidius *coepit* uers. 624 dixisse uidetur. Parum dilucide de eo annotauit Thorbeckius de Asin. Poll. p. 39—41.

Aedis Bonae deae dedicatio Kl. Mai. et auctores indicantur ab Ouidio. Commemoratur etiam in Clodii facinore a schol. Iuuenal. 6, 337 et Liuii epit. lib. 103. De Liuia admodum incerta res est: neque enim illud τεμένισμα esse puto, quod apud Dionem 55, 8 Liuium appellatur. Neque in monumento Ancyrano de eius restitutione uino Augusto traditur, neque post eius mortem si facta fuisset, de ea re Ouidium scribere potuisse existimo. De loco utiliter disputauit Bunsen descr. Vrb. 3, 1, p. 407—409. Nihil habeo quod addam.

Martis Vltoris templum dedicatum IIII Id. Mai. testantur Ouidius et fasti Maffeani: annus erat ab V. C. 752, uti supra dictum est, p. XV. Votum fuerat bello Philippensi teste Suet. Aug. 29. Aedificari non est coeptum ante annum 734, narrante Dione 54, 8, frustra eius fidem eleuante Sachsio 2, p. 94. Eum Dionis locum primus emendauit Massonus in uita Ouidii p. 109, quam emendationem cum plerique docti homines probauerint, uid. annot. Sturz. t. 2, p. 104 sq., improbauit Bunsen. descr. Vrb. 3, 1, p. 40. Locus et ipsa forma templi perspicue secundum luculenta, quae supersunt, uestigia definitur a Canina p. 107 seq., Bunsen. ann. 9, p. 20 seq. Descriptio tamen Ouidiana 3, 553—569 interprete hic illic adhuc indiget. *Gigantea tropaea* uers. 555 fortasse referenda sunt ad imaginem in fastigii fronte insculptam. Proximi uersus commode illustrantur Suetonii uerbis loc. ind.: *Sanxit, ut de bellis triumphisque hic consuleretur senatus, quique uictores redissent, huc insignia triumphorum inferrent.* Qui dii *summa tenentes* u. 560 intelligendi sint,

difficile est dictu: egregie tamen ad eam locutionem quadrat Bunsenii coniectura, qui imum locum in mediis fere gradibus statuam Augusti tenuisse censet p. 20. In summis ergo gradibus ab utroque latere Mars et Venus, prout Ouid. trist. 2, 295, 96 tradit, fuerunt, deinde in porticu sinistra e regione Veneris Aeneas et qui uers. 564 indicantur, in altera a latere Martis Romulus. Certe enim falluntur, qui uersus 563—66, inprimis postremum, interpretantur de opere in ualuis templi caelato, non ad statuas quinquaginta sex triumphali habitu in utroque hemicyclio referunt.

Mercurii aedem dedicatam tradit Liuius Id. Mai. anni V. C. 259, lib. 2, 22 et 27. Locus non nisi in notitia Vrbis reg. XI, sed minus etiam definite, quam apud Ouidium, indicatur. Itaque gratissimum est Francesci Angeloni testimonium de aedicula Mercurii „*tra il Cerchio Massimo e'l Monte Auentino*" effossa, quod uide apud Nardin. 3, p. 245.

Aedem Iunonis Monetae dedicatam Kal. Iun. Ouidius et Macrob. sat. 1, 12, p. 248, anno V. C. 410 Liuius 7, 28 tradunt. Auctorem L. Furium Camillum poeta et Liuius, uotae aedis tempus dimicationem contra Auruncos nuncupat Liuius. Restituta deinde uidetur anno V. C. 581, uid. Liu. 42, 7. Inerant libri lintei, Liu. 4, 7, 20. Posita fuit in arce in area domus M. Manlii Capitolini, dirutae anno V. C. 371: uide Liu. 6, 20 et Niebuhrii praeclaram disputationem hist. Ro. 2, 680 sq. Quae Ouidius de eo Manlio habet, credo desumpta esse ex hoc sexto Varronis libro, quem eodem modo de loco templi disseruisse coniecerim propter fragmenta duo supra sexto loco proposita. Is situs accuratius definitur uersu Ouidii 1, 638, ubi Concordiae templum prope gradus Monetae esse dicitur, de quibus gradibus non est facile disputare, si Romae non fueris, sed difficillimum uel Romanis, uelut Caninae p. 55, qui ueterem tuentur opinionem, Arcem Capitolii fuisse uersus meridiem, templum Iouis uero ubi hodie *Araceli*. Contrarium enim docuit Niebuhrius hist. Ro. 1, 558 cum aliis, uid. annal. inst. 6, p. 20, 21. *Centum gradus* apud Tac. hist. 3, 71. huc non pertinere certum est. Vide de hac re Buns. descr. 3, 1, p. 17 et de aede Monetae p. 38.

Aedes Martis ante portam Capenam eodem die, sed anno V. C. 367 teste Liuio 6, 5 dedicata est. Postbac a Sulla refectam quo teste Neapolis tradiderit, me fugit. Locus ubi fuerit, non est ignotus, si fidem meretur inscriptio apud Gruterum p. 152, 7, reperta Nardino teste 1, p. 144 eo in loco, ubi Sachsius 1, p. 386 miliarium numero I insignitum effossum esse affirmat. Iste titulus melioris aeui scriptionem sane prae se ferens dicit *cliuom Martis*

pecunia publica in planitiam redactum esse, hoc est, uti alia monumenta a Nardino adhibita docent, substructionibus adiectis superiori parte exaequatum esse. Miliarium uero illud, quod hodie seruatur, uid. Bunsen, descr. Vrb. 3, 1, p. 100, uiae Appiae appositum fuisse constat, a qua uia aedem non longe afuisse non quidem Liuius 10, 23, quod falso putat Sachsius, immo ne 38, 28 quidem arguit, Seruius tamen ad Aen. 1, 296 indicat. Aut igitur mille passibus, aut amplius distabat ea aedes cliuo imposita a porta Capena, quae Ouidii aeuo fuit. Potest adeo a uero non longe abesse Appianus, qui bell. ciu. 3, 41 quindecim stadia, h. e. paene duo millia passuum tradit. De *tecta uia* ad proximum Varronis librum exponetur.

Tertiae aedis eodem die cum superioribus duabus dedicatae nomen, locum, tempus non tenemus exacte. Tempestatis appellatur ab Ouidio et in notitia Vrbis, Tempestatum in titulo sepulcrali L. Scipionis Barbati f. cos. a. V. C. 494, uide Bunsen. et Platner. in descr. Vrb. t. 3, p. 1, p. 616, et apud Horatium ecl. 10, 24. In regione prima circa portam Capenam notitia eam recenset. Auctor ille idem L. Cornelius L. f. Cn. n. Scipio fuit, uid. Flor. 2, 2, 15, 16.

Templa Bellonae et Herculis Custodis propridie et pridie Non. Iun. dedicata sunt testibus Ouidio et lapide Venusino: Alterum fecit Appius Claudius Caecus, non in censura anni V. C. 442, uti uideri possit secundum lapidem litteratum, quem interpretatur Morcellius de stilo inscr. 1, p. 263, cfr. Niebuhr. hist. Ro. 3, p. 430, sed post annum 456, quo uotum narratur a Liuio 10, 19. Plinius, quem uide nat. hist. 35, 3, § 12, fortasse id traditum alicubi inuenit anno 459. Herculis templi historiam solus Ouidius prodit, decretum fuisse ex iussu librorum Sibyllinorum, perfectum a L. Sulla dictatore: ea enim potestate *probasse* uidetur, quod censorum alias fuit, Liu. 4, 22. De loco harum aedium uereor, ut accuratius quid sciri possit, quam ab Ouidio traditur, apud quem etsi probabilius est *summum Circum* u. 205 significare partem anteriorem, contra atque Sachsio placet 1, p. 402, tamen quantumuis notis Circi Flaminii finibus secundum eos, quos Nardinus 3 p. 21 adhibet, testes, *altera pars* u. 209 tribus, uel quatuor modis intelligi potest, si distinguas, uti monet Sachsius p. 528 et 539, Herculem Musarum et Custodem, non confundas, uti idem fecit p. 402. Is Hercules Magnus Custos in Circo Flaminio, non Circi Flaminii, uti apud P. Victorem est, in ipso marmore Capranicorum prid. Id. Aug. perperam ascribitur pro Hercule Inuicto ad Circum Maximum.

De Semonis Sanci templo si Ouidius consuluit Varronem,

ex cuius disputatione ista supra proposita fragm. 8 desumpta uidentur, uix satis accurate eum sequitur. Nam istoc apud Varronem extitisse credibile non est, quod Ouidius tradere uidetur, Nonis Iun. a Sabinis primum aedem istam positam esse: id eo die fecisse Sp. Postumium Album Regillensem anno V. C. 288 scimus ex Dion. Hal. 9, 60. Qui uero negant a Sabinis ullam aedem factam, refelluntur testimonio Tertulliani ad nat. 2, 9: *Est et Sancus propter hospitalitatem a rege Plotio fanum consecutus*, quem locum nouit iam Heinsius, neque tamen emendauit, ut oportet: *rege Tatio*. Et haec igitur distincte et alia, uelut quae Dionysius l. ind. et 4, 58 coll. Paul. Diac. 56, 1 Muell. et Liuius 8, 20 habent, apud Varronem extabant. Ex Liuii his uerbis: *aenei orbes facti positi in sacello Sanci uersus aedem Quirini*, quamquam de ipsa aede dicta uidentur, quod negabat Nardinus 2, p. 74, caue tamen tanta confidentia de loco eius decernas, atque fit a Sachsio 1, p. 147. Neque enim de colle Muciali, siue Martiali, ubi sitam fuisse Varro de l. l. 5, 52 tradit, neque de aede Quirini quicquam exploratum esse uideo.

Aedes Mentis et uota est cum aede Veneris Erycinae anno V. C. 537, ex iussu librorum Sibyllinorum, Liu. 22, 9, et utraque biennio post eodem in loco dedicata est; Liu. 23, 31: *duumuiri creati sunt — aedibus dedicandis, Menti Octacilius, Fabius Veneri Erycinae: utraque in Capitolio est, canali uno discretae.* Potuerunt ergo de his aedibus illa Varronis uerba dici, quae ex hoc ipso libro afferuntur a Virgilii interprete, si scilicet hic more consueto grammaticorum locum ab alio quodam excerptum perperam accepit: nusquam enim, quod sciam, *canales* dicuntur ipsa templa. Ita saepissime peccare λεξιθηροῦντας istos et opinor constat, et saepe, nouissime apud Festum et Paulum, deprehendi, uerum si qua enotaui, ad manum non sunt. Varronem igitur coniicio utriusque aedis dedicationis etiam eundem diem, VI Id. Iun. tradidisse; fortasse etiam causam adiecit, unde intelligeretur, cur eo die *Mentis in Capitolio* sacrum in tabula Maff. et Venus. annotetur, Veneris Erycinae non notetur. Mentis enim aedes restituta uidetur circa annum V. C. 650 ab Aemilio Scauro, Cic. de nat. deor. 2, 23; Plutarch. de fort. Ro. c. 5. Ouidius 4, 871 sq. istam Veneris Erycinae in Capitolio aedem ex decemuirorum responso factam confundit cum Venere Erycina ante portam Collinam, regionis uel sextae, uel quintae (Rufo enim et Victori nihil tribuendum est), quae facta est aedes anno V. C. 571, Liu. 40, 34. Nam quod tradit de *carmine Sibyllae* in illud tantum templum quadrat, tempus uero post captas Syracusas huic soli conuenit. Quare uel hanc ob causam

cauendum est, ne quid reconditius de templi Veneris dedicatione uernis Vinalibus comperisse Ouidius credatur, quod ignorauerint Varro et Verrius, uti supra p. XLVII sq. dixi. Nec illa enim, quae Naso 4, 155 sq. scripsit, de Veneris Verticordiae aede Kalendis dedicata sunt intelligenda, de qua praeterquod consecrata dicitur dirorum ominum causa anno V. C. 640 ab Iul. Obs. § 97, ignorantur omnia. Scilicet quod Macrob. sat. 1, 12 habet: *non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent, cuius rei causam, quia huic loco non conuenit, praetereundum est*, si intelligendum esset de Veneris Verticordiae cultu eo die constituto propter obscaenissimum omen, quod puero suo narrare Macrobius uerecundatus sit, ascripsisset Verrius de eo templo et sacro aliquid in tabula Praenestina, cuius eo die titulus adeo integer extat, ut mirer Veneris nomen affricare uelle Fogginium. Nihil igitur dicunt Ouidius et Verrius, nisi Fortunae Virili diuersis in locis supplicatum esse, a matronis in aede Veneris Verticordiae, quam puto a Plutarcho de fort. Ro. c. 10 Ἐπιταλάριον dici; ibi enim βωμὸν Ἄρρενος Τύχης fuisse scribit: a mulieribus humilioribus uero, uti Verrius scribit, in balineis publicis. Nihil nisi de Fortuna Virili loqui uerecundatus est Macrobius.

De Vestae aede V Id. Iun. a Numa dedicata pleraque, quae Ouidius habet, Varronis esse praeter ea, quae supra p. CI a me disputata sunt, argumento est consensus Dionysii Hal. 2, 66: τινὲς μὲν οὖν οὐδὲν ἔξω τοῦ φανεροῦ πυρὸς εἶναί φασι τὸ τηρούμενον· τὴν δὲ φυλακὴν αὐτοῦ παρθένοις ἀνακεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀνδράσι ποιοῦνται κατὰ τὸ εἰκός, ὅτι πῦρ μὲν ἀμίαντον, παρθένος δὲ ἄφθαρτον, et Augustini 4, 10: *Vestam non nisi ignem esse — pertinentem ad focos, sine quibus ciuitas esse non potest: et ideo illi uirgines solere seruire, quod sicut ex uirgine, ita nihil ex igne nascatur*, cum Ouidianis uu. 289 — 298; cfr. Cic. de nat. deor. 3, 80, Ou. fast. 3, 45, Niebuhr. hist. R. 1, p. 244. Metelli quoque pont. max. facinus Dionysius proxima pagina, August. 3, 18 et Ouidius uu. 437 — 454 eodem modo tradunt: uide de eo commentatum Pighium ann. 2, p. 66 ad annum V. C. 512. Lubet hoc loco annotare Dionysium 2, 50 non discedere a Varrone de l. l. 5, 74, si spernas scripturas codd. Goth. et Hafn., ortas ex Florentino, in quo una syllaba *Vestae* nominis intercidisse uidetur: nimirum Ἐνυάλιος est Quirinus, uide, si opus habes, Ambrosch. Stud. p. 155 annot. De loco templi et quarumdam sacrarum aedium, quae cum illo commemorantur ab Ouidio, inquiramus. Ea in re priorum ante Ambroschium topographorum, nisi ubi ad eorum opiniones redeo, men-

tionem omittam; satis enim copiose de illis u. d. Vratislauiensis retulit. Templum igitur Vestae in foro ponit Dionysius 2, 66: e regione templi Vespasiani et Concordiae Statius silu. 1, 1, 35: in imis radicibus Palatini montis Horatius carm. 1, 2, 16. Atrium Vestae quid fuerit aedificii, in quo Vestales habitasse constat ex Gell. 1, 12, Plin. epp. 7, 19, inprimis templone astructum fuerit necne, uetus est lis. Ambroschius adhaesisse potius existimat p. 35, 36 et prope ridicule illud non ante, sed pone templum (quod a foro aditum habuisse necesse est) ponit p. 104, ob causam quam intelliges. Verum nullus uetus scriptor Atrium cum templo Vestae coniunctum fuisse disertis uerbis dixit: P. Victori quo iure quicquam, et multum adeo saepe tribuat, uiderit Ambroschius: Martialis et Herodiani testimoniis rem confici certe nec ipse credidit: Dionysius uero cum dicit Vestales degere *παρὰ τῇ θεῷ, ἔνθα δι' ἡμέρας μὲν οὐδεὶς ἀπείργεται τῶν βουλομένων εἰσιέναι, νύκτωρ δὲ οὐδενὶ τῶν ἀῤῥένων θέμις*, necesse est, loquatur de alia re ac de templo Vestae. Extat autem testimonium Seruii ad Aen. 7, 153: *Ad atrium autem Vestae conueniebat* (senatus) *quod a templo remotum fuerat.* Hoc cur non sit spernendum, mox apparebit: intelligis certe uersus Ouidianos 305—310 huic rei non aduersari; nam si quid aedificii ante Vestalem focum fuisset, non *ante focos in scamnis*, sed *per atria* consedisse homines dixisset poeta; nec absurdum fuit peculiare aedificium Vestae Atrii nomine consecrari, cui uestibula, atria, limina omnia sacra erant, u. 303, Leontius p. 177 ed. Mai. Causam, cur id separare a templo ausi non sunt docti uiri, suspicor fuisse quia separatim neque describitur a ueteribus, neque commemorari uidetur. Miror tamen ab Ambroschio *Atrium regium*, quod bis apud Liuium nominatur 26, 27 et 27, 11, non modo habitum esse pro *Regia*, quae saepe commemoratur, sed ne causam quidem proferri eius sententiae p. 95, aut usquam. Nam nisi fallor is potissimum, qui Regiam nomen habere crederet a rege Numa, debebat ad Liuii illos locos exigere Ouidianum u. 263:

Hic locus exiguus, qui sustinet Atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.

Pro ea re docemur ab Ambroschio p. 36 potuisse fieri, ut hoc in loco aliam famam de regia Numae sequeretur Ouidius, atque trist. 3, 1, 30, ubi Regiam eam, de qua potissimum inquisiuit, Ambroschius agnoscit. Mirum profecto, cum poeta de ambitu aedificii monet, cuius nec uola nec uestigium nec ipsum nomen superfuit: eam aream, cui postea inaedificatum sit Atrium, olim habuisse domum Numae. Ego uero non aream, cui impositum est Atrium, intelligo,

sed quam Paulo Diac. teste p. 13, 10 *mediam continet* atque includit in genus aedificii, eamque non uacuam, sed ipsa Ouidii aetate ibi Regiam fuisse: quae ergo de situ Regiae ueterum testimonia collegit Ambroschius, ea pertinere etiam ad Atrium. Perquam igitur accurate teneremus hanc rem, si modo tota illa Ambroschii disputatio de Sacra uia uulgo dicta satis firmis niteretur argumentis. Orditur rectissime ab eo, eundem tractum indicari uerbis Varronianis: *quae est a foro eunti primore cliuo* et Verrianis uel Festi: *a regia ad domum regis sacrificuli*, sed praecipitat rem, cum statim p. 4 pro explorato sumit eius uiae nullam partem infra cliuum Palatinum fuisse et conturbat quaestionem, cum id, quod certum esse debebat, incertum reddit coniectura *proximo regiae cliuo:* uix exercitatissimus aliquis ita recte auspicabitur disputationem. Si uulgata scriptura retinetur, quam suspectam non habuerim, significat circa finem fori subter montem Palatinum esse Sacram uiam, quae uulgo dicatur: necesse est sane, quia forum uersus orientem praecluditur cliuo, ascenderit uia partim in cliuum, sed Regia, prout est in Bunseni tabula, uel prope templum Castoris esse potuit, quandoquidem fornix Fabianus fuit teste schol. in Cic. Verr. 1, 7, 19 *iuxta Regiam in sacra uia* et teste altero p. 399 Or. *post templum Castoris:* nam cum nouerimus ex Plut. Cic. c. 22 Sacram uiam per medium forum duxisse, causam non uideo, cur fornix Fabianus locum in Via noua, ubi teste Ouidio u. 396 in forum ea siue Sacram uiam exiit, relinquat. De altero Sacrae uiae termino non ualde refragor Ambroschio, domum regis sacrorum concedo prope ascensum in palatium in summa Sacra uia fuisse, sed moneo de Verrii tantum tempore id constare; Ambroschius cum templum Vestae recte in foro ponat, Atrium eidem contiguum fuisse contendat, ubi locum Dionis 54, 27: *τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν (οἴκησιν) ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν ἐπειδὴ* ὁ μ ό τ ο ι χ ο ς *ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν* interpretari satagit de eadem regis sacrorum in summa Sacra uia domo, nihil ei prodest Atrium quod post aedem collocare uelit, nisi etiam in totius Sacrae uiae longitudinem extraxerit, ut utrumque eius terminum attingat: nam recto angulo Regiam descripsit. Sed mihi displicet Regiam nominatam fuisse a Numae habitatione; fidem habeo Seruio ad Aen. 8, 363 de domo regis sacrificuli. Ambroschii de hoc loco disputatio p. 25 quam mihi satisfaciat, non necesse est aperiam: *pontificem*, qui nuncupatur, non uidetur perspexisse esse Euandrum. Tum demum, cum Caesares pontifices maximi coeperunt habitare in palatio, credo sub palatio in summa Sacra uia aedes datas publice regi sacrorum, qui anno V. C. 741 nullus fuisse utique uidetur.

Aedes **Matris Matutae** et **Fortunae** postquam III Id. Iun. a Seruio Tullio consecratae sunt, Matutae aedes primum refecta est anno V. C. 359 a M. Furio Camillo, Liu. 5, 19 et 23; Plut. Cam. 5. Postbac quia uicinae fuisse uidentur in foro boario, de quo utriusque loco non lubet Italorum coniecturas recoquere, quae ne concoquere quidem possis, uicissitudines quasdam simul subierunt. Arserunt enim anno V. C. 541, Liu. 24, 47, de quo incendio Ouid. uers. 625 et Dion. Hal. 4, 40; sed restitui coeperunt proximo anno, Liu. 25, 7. Fornicibus utraque ornata est anno V. C. 558, Liu. 33, 27. Non arserunt cum forum boarium conflagraret anno V. C. 560, Liu. 35, 40. Praeterea de aede Matutae nihil proditur, nisi quod Liuius 41, 28 de anno V. C. 578, et quae Maii interpp. Virg. ad ge. 3, 1 corrupta habent: . . . *Matuta, cuius templum Atilius Romulus uouit*; intellige M. Atilium Regulum praetorem, de quo Liu. 24, 44 et 25, 3. Fortunae autem aedem superfuisse Ouidii aetate testatur Dionysius Hal. loco indicato. Statuam durasse ad Seiani exitum, qui eam domi suae habuit, tradunt Plinius nat. hist. 8, 48, § 197 et Dio Cass. 58, 7. Quo magis miror doctos homines eius Fortunae cognomen aliquod coniectura sibi inueniendum putasse, quod si habuisset, uix ignoraremus. Bonam Fortunam appellatam uoluit Burmannus, aliter alii, Neapolis et topographi Virilem, eiusque opinionis argumentum petebant ex Varronis uerbis de uita P. R., a Plinio loco ind. § 194 adhibitis, seruatis apud Nonium s. u. *Vndulatum*, quae de statua ista Seruiana agunt. Ab ea re admoneor, ut quae de Fortuna Virili falsa circumferuntur, annotem. Eius templum, quod prope Lautolas fuerit, ab Ouidio indicari 4, 145 sq. adhuc creditur. Quasi non iampridem Fogginius p. 41 ex Verrii Flacci uerbis docuerit de balneis quibusuis poetam loqui: quod tum denique mirum non erit, si intelligetur templum Fortunae Virilis nullum unquam fuisse. Quod ab Anco Martio Plutarchus de fort. Ro. c. 5 et 10 Ἀνδρείας Τύχης factum dicit, id dubitare non oportebat Wyttenbachius animadu. p. 98, quin peraeque utroque loco intelligendum esset de Forte Fortuna: unde enim scire potuisset Plutarchus, num Fortunam sine cognomine ille rex a fortitudine dictam putauerit? Dionysium 4, 27 eodem modo errasse de nominatiuo casu Fortis Fortunae manifestum est ex ipsius loci prope Tiberim significatione, quod fraudi fuit Niebuhrio hist. Ro. 2, p. 116, ut Bunsenium 3, 1, p. 343 et alios taceam. Sed modo uideo Bunsenium in addendis p. 665 intellexisse errorem et ipsa nostra occupasse. Si quis est qui animum inducat, me ingeniosorum hominum scripta compilasse, licebit fruatur sua opinione.

Concordiae aedem eodem die ab Ouidio commemoratam ante porticum Liuiae, in qua fuit, extructam non esse scimus, nec multo post illam factam esse, ut puto, conuenit. Porticus aedificari coepit anno V. C. 739, teste Dione 54, 23. Quando perfecta sit, ignoramus, certe tamen antequam Ouidius artis amatoriae 1, uers. 71 scriberet. Creditur quidem uulgo eius dedicatio anno V. C. 765 a Dione tradi his uerbis 56, 27: ἥ τε ϛοὰ ἡ Λιουία καλουμένη ᾠκοδομήθη τε ἐς τιμὴν τοῦ τε Γαΐου καὶ τοῦ Λουκίου τῶν Καισάρων καὶ τότε καθιερώθη. Suspicor tamen maiorem in modum, scribendum esse ἡ Ἰουλία καλουμένη. Memini enim basilicam Pauli etiam ϛοὰν dicere Dionem 49, 42 et 54, 24. Anno igitur 765 dedicata uidetur basilica Iulia, de qua in mon. Ancyr. tab. 1 dext.: *basilicam quae fuit inter aedem Castoris et aedem .... coepta profligataque opera a patre meo perfeci et eandem basilicam consumptam incendio ampliato eius solo sub titulo nominis filiorum meorum .... haui et si uiuus non perfecissem perfici ab heredibus meis iussi.* Hoc si recte coniicio, habebis, quod addas archaeologorum disputationibus de basilica nobilissima; cognoscitur etiam Ancyranam tabulam ante annum 765 esse conceptam, hoc est antequam supremum testamentum Augustus faceret, Suet. Aug. 101. Caeterum crediderim falsum illum P. Victorem, qui pleraque sua ex bonis scriptoribus corrasit, emendatam Dionis scripturam non ignorasse: solus enim non *basilicam*, sed *porticum Iuliam* in regione octaua recenset. Liuiam porticum bona fide notitia Vrbis in regione tertia fuisse testatur: nec accuratiora de ea temploue ipso Concordiae definire ausim.

Idibus Iun., fortassis anno V. C. 560, Liu. 35, 41, Iouis aedes dedicata est, quem Inuicti cognomen habuisse negat Neapolis contra diserta Ciceronis de legg. 2, 11 et Augustini de ciu. d. 5, 11 init. testimonia.

De templo Mineruae in Auentino, quod XIII Kl' Iul. dedicatum ait Ouidius, ita existimo. Si exploratum esset de duobus Mineruae in eo monte templis, propter uerbum ab Ouidio usurpatum *Coepit* uers. 728 quod antiquius fuisset, isto die consecratum oporteret. Iam uero de duobus templis nihil constat, duplex tantum dedicationis tempus traditur, XIII Kl' Iul. ab Ouidio fastisque Amiterninis et Esquilinis, XIV Kl' April. uero a Verrio Flacco in tabula secunda Praenestina et apud Festum p. 65, 6 Vrs. Haec si quis interpretari uelit de restitutione eius templi, quod Festo auctore 141, 26 Vrs. bello Punico secundo in monte Auentino fuit, moneo primum nihil de instauratione tradi; titulus enim ille apud Gruterum p. 39, 5, qui Sullani temporis putatur, supposititius uidetur: deinde

etiamsi exempla suppetunt sacrarum aedium, quae postquam renouatae sunt, alio atque olim die sunt dedicatae, tamen quia Maffeanum marmor XIII Kl' Iul. notam NP omittit et secundum ipsa Verrii uerba utroque loco de Quinquatribus, noua dedicatio, quod Ouidio aduersatur, caderet in mensem Iunium. Quare uetus illud templum ante Ouidii aetatem non restitutum, dedicationis autem eius dies ambigua fide traditus esse uidetur: Ouidius eos sequitur, qui mense Martio Mineruam Captam, Iunio Auentinam consecratam putarunt, marmor Maff. obscuram memoriam neglexit. Posteriores fastorum lapides num ideo annotatum habeant, quia post Tiberium eo die aedes ista Auentinensis restituta fuerit, nescio: recensetur tamen illa in notitia Vrbis.

Summani templum quando dedicatum sit, accuratius, quam apud Ouidium, nusquam traditur. A Plinio nat. hist. 29, 4 prope Iuuentutis aedem fuisse commemoratur. Iuuentutis autem templa cum duo fuerint, alterum in Capitolio, alterum in Circo Maximo, dedicatum anno 561, Liu. 36, 36, Sachsius 1, p. 460 erroris coarguitur a fastis Amiterninis, Esquilinis, Venusinis, qui *Summanum ad Circum Max.* XII Kl' Iul. ascriptum habent. Plinius quod narrat, circa Lupercal factum esse uidetur teste Plutarcho Rom. c. 21.

De aede Fortis Fortunae VIII Kl' Iul. a Seruio Tullio dedicata consentit Ouidius cum Varrone de l. l. 6, 17. Idem hic quin in libris rerum diuinarum plura subtilius annotauerit, uelut anno 459 restitutam esse aedem non ipso uetere loco, Liu. 10, 46, non dubito. Trans Tiberim eam fuisse ex Ouidii uerss. 777, 779, 780 intellexit etiam falsus ille Victor, qui tamen cum in aduersa ripa reg. XIII propter uersum 784 templum Fortunae Dubiae commentus est, ridicule fecit, sed credulos habuit Nardinum 3, p. 335 et Foggin. p. 122 et Sachsium 1, p. 240. Multo rectius, ut opinor, utemur eo Ouidii uersu ad discernendam ueterem Seruii aedem Fortunae ab ea, quae anno V. C. 769 in Caesaris hortis dicata est teste Tacito ann. 2, 41, quam Ouidius nouit fortasse, sed non commemorauit. In fastis enim Amiterninis cum ita eodem die annotetur: *Forti Fortunae Transtiber. ad milliar. prim. et sext.*, facile intelligitur ad utrum uiae Portuensis miliarium Ouidii uerba sint accommodanda et quanta Caesaris hortorum longinquitas indicetur apud Horatium sat. 1, 9, 18.

Iouis Statoris quoque templi V Kl' Iul. locum accuratius, quam historiam tradit poeta. Quod a Romulo conditum dixit conuenit cum Dionysii Hal. uerbis 2, 50, sed iudicandum est ex Liuii testimonio 10, 37. Locum uero designat sub Palatino monte prope

domum regis sacrificuli, qui uulgo terminus Sacrae uiae habebatur secundum Festum p. 101, 1 Vrs.: ita enim intelligendus est Plutarchus uit. Cicer. c. 16 cum dicit id templum ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ πρὸς τὸ παλάτιον ἀνιόντων, coll. Ouid. trist. 3, 1, 30 sq., ubi nolim cum Bunsenio u. ill. annal. 9, p. 18 librum a foro Augusti potius, quam a tabernis bibliopolarum in foro Caesaris, Martial. 1, 107, 10, uenientem intelligi. Alterius Iouis Statoris aedis mentionem fecisse Varronem ex fragmento 2 huius libri a Macrobio et Seruio tradito intelligitur. Fuit ea aedes in Circo Flaminio, uel secundum inscriptionem a Fabretto propositam ad Circum Flaminium: uide Schneider. ad Vitruu. 3, 2, 5 p. 172. Hic uir doctissimus quamquam disputauit diligentissime, uix tamen credo in Vitruuii uerbis: *in porticu Metelli Iouis Statoris Hermodori* interductu opus esse. Nibbyus enim ad Nard. 3, p. 11, 12 satis argute demonstrauit porticum Metelli attigisse Circum Flaminium et utrumque monumentum ea uicinitate superfuisse saeculo duodecimo. Ex narratiuncula Plinii nat. hist. 36, 5, § 43 fuit cum emendandum crederem Tertullianum adu. Marc. 1, p. 136 ed. Paris. 1580: *homo deum commentabitur, quomodo — Metellus Alternum* (uulg. *Alburnum*). Caeterum neglectum uideo a Schneidero et topographis locum Festi qu. 16, 5, 12 Muell., ubi *aedes Iouis Metellina* commemoratur.

Quirini fana ab antiquissimo tempore duo fuisse uidentur. Sacellum commemoratur a Festo p. 63, 22 Vrs., quod existimo fanum et aram dici a Varrone de l. l. 5, 51, coll. § 73 et quae ex Varrone Dionys. 2, 48 corrupit. In aede Quirini senatum consultum esse Liuius tradit 4, 21, quam aedem intellexit Ouidius 2, 511, cuius memoriam Quirinalium feriae conseruarunt. De neutro igitur fano loquitur Ouidius III Kl' Iul. Sacelli dedicationis diem si probabile esset in annalibus inueniri potuisse, non de trabea u. 796 mentionem iniecisset, quae ad Sabinum numen non pertinet, uid. 2, 503; 6, 375; Liu. 1, 41, nec fastis Venusinis eo die ascriptum esset *Quir. in colle*, sed *ad port. Coll.* Non igitur propter rei uetustatem, ut alias, factum est, ut illud marmor et Ouidius eius templi meminerint, fasti Maffeani indicium eius nullum habeant. Quas enim praeterea aedes Quirini dedicatas nouimus, superfuisse paene oportet Ouidii aetate. Altera est Papiriana anno V. C. 461 consecrata, Liu. 10, 46; Plin. nat. hist. 7, 60, § 213. Ea uidetur indicari apud Varronem de l. l. 5, 52; arsit anno V. C. 705, Dio 41, 14; restitutam fuisse anno V. C. 709 uidetur colligi posse ex Cic. ad Att. 13, 28. Alteram dedicauit Augustus anno V. C. 738, Dio 54, 19. Diuersas eas aedes fuisse antiquarii statuunt his argumentis: quia Victor et

Rufus *templum nouum Quirini* in septima, *templum Quirini* in sexta regione ponunt: quia exploratum habent templi antiquioris uestigia superfuisse saeculo XVI prope ecclesiam *di St. Andrea in monte Cauallo*, unde gradus marmorei translati sint in Arcem Capitolinam, Nard. 2, p. 75. Eos gradus Sachsius 1, p. 410 uidetur olim a Papirio factos putare et p. 174 uim facit Varroni, ut de eadem aede loqui cogatur. Quoniam de altero templo in reg. VI constare uisum est, nouum reg. VII id putant, quod a Vitruuio 7, 9 et Martiale 10, 58, 10 non longe utique a Circo Florae fuisse indicatur. Verum Victor et Rufus nihil nisi Varronem et Dionem exscripserunt, Vitruuius post annum V. C. 724 non scripsit, uid. Sachs. 1, p. 579: res ergo in eo potius uersatur, num quid de Augusti templo supersit in regione sexta. Negat Nibbyus aut gradus unquam ullos inde in Capitolium ablatos, aut uestigia luculenta extare, annot. ad Nard. 3, p. 75, 77. Multo igitur plus hic quoque praesidii est in grammatica, quam in topographis. Videlicet usus loquendi Dionis et ratio fastorum Maffeanorum obstant, quominus templum Papirianum eodem loco ab Augusto instauratum et mense Iunio dedicatum existimem. Dio locutione ἐκ καινῆς ita plerumque utitur, ut contrarium restituendo notetur, uid. 43, 50; 44, 5; 57, 10, nusquam, quod meminerim, ut ista ipsa notio insit. Fasti Maffeani nullum templum ab Augusto ante annum 757 dedicatum litteris NP non indicant. Notatur igitur ab Ouidio et fastis Venusinis dedicatio aedis Papirianae anno V. C. 709 refectae, quae in eum incidebat diem, qui anno superiore a C. Caesare mensi Iunio adiectus fuerat, Macrob. sat. 1, 14, p. 256. In iis diebus adiecticiis cum id secutum fuisse Caesarem constet, ne ullarum feriarum consueta diei nota ante Kalendas proximas mutaretur, et ut omnes illi dies fasti essent, sitque probabile Quirini ferias semper actas III Kl' Iul., ex quo Papirius eo die aedem dedicauit, manifestum est alteram utram legem migrandam fuisse. Credo utique translatas ex edicto pontificio ferias: id tamen impedire non potuit, quin Ouidius aedis Papirianae dedicationem pristinam ex annalibus enotaret.

Prid. Kal. Iul. censeo Ouidio notandum fuisse de aede Herculis Musarum a Fuluio Nobiliore in censura anni 575 dedicata, quam posthac restituisse dicitur Marcius Philippus, Augusti uitricus, Suet. Aug. c. 29. Ouidius antiquiorem aedis auctorem reticet, de quo testimoniis ueterum a Nardino collectis 3, p. 27 adde Macrob. sat. 1, 12, p. 244; scilicet adulandi studio inlectus, quamobrem nec de aede a Philippo hoc die dedicata fidem ei habuerim. Porticum Philippi certe, quam circa Herculis templum fuisse testatur Martia-

lis 5, 49, 13, sed cuius auctorem nemo tradit, non esset improbabile una opera extructam esse cum porticu Octauiae, quacum eadem inscriptione comprehenditur in fragmento marmoris apud Bellor. tab. 2. Verum nec aedes ipsa Octauiano uel triumuiro potuit dedicari a Marcio Philippo, quem anno V. C. 705 superstitem non fuisse clare cognoscitur ex Dionis 41, 14 uerbis de Perperna, eius in censura olim collega. Quare non dubito, quin Suetonius quae loco supra ind. posuit, ex solius tituli fide scripserit, sub quo ab Octauiano, uel Octauia ea aedes in honorem uitrici extructa est. Ordine uero temporis cum Suetonius ea templa recenseat, quorum primum facit Herculis Musarum, ualde id conuenit cum Dionis testimonio, 49, 43, porticum Octauiae extrui coeptam anno 721, quo cur uti noluerit Muellerus u. ill. praef. ad Festum p. XXIX, me fugit. Quidni igitur quae eodem loco eodem tempore coepta sunt, eodem etiam die dedicata putentur, alio uidelicet atque prid. Kal. Iul., quo nullius aedis consecratae notam habet marmor Maffeanum. Fuluianae aedis memoria multo iustius omittitur in isto marmore, quam apud Ouidium.

LIBER SEPTIMVS.

* Fragm. 1. Gell. 18, 12: *Potest etiam id quoque ab eodem Varrone in VII diuinarum similiter dictum uideri: Inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam et Tulliam est animaduertere.*

2. Fest. p. 270, 21 sin: *Ruminalem ficum appel]latam ait Varro|| rer. diu. VII in Palatii fauc]ibus quod sub ea ar-||bore lupa a monte decurrens] Remo et Romulo || mammam praebuerit. mamm]a autem rumis di-|| cebatur.]*

Credibile est M. Terentium initio huius libri disseruisse de duplici non solum uocis *religiosus* significatu, uelut legis apud Gellium 4, 9, sed de *locorum religiosorum* discrimine. Namque manifestum est alio modo ita appellatum esse Aequimelium, Varr. de l. l. 5, 157, Campum sceleratum, Paul. p. 332, 7, uel locum illum, de quo Festus p. 174, 22 sin. et Niebuhr. h. R. 2, 144, atque appellata sunt loca, ubi occubuerunt Gracchi, Plut. C. Gr. c. 18, uel Doliola, Varr. l. ind., uel alia id genus plurima. Quid *mutaret*, h. e. interesset, uid. Muell. ad de l. l. 9, 54, docuit primum exemplo Antigonae. Huius enim locum religiosum propter pietatem fuisse inuenio apud Pausaniam 9, 25, 2: *καλεῖται δὲ ὁ σύμπας οὗτος τόπος σύρμα Ἀντιγόνης· ὡς γὰρ τὸν τοῦ Πολυνείκους ἄρασθαι οἱ προθυμουμένῃ νεκρὸν οὐδεμία ἐφαίνετο ῥᾳστώνη, δεύτερα ἐπενόησεν ἕλκειν αὐ-*

σόν, ἐς ὃ εἵλκυσέν τε καὶ ἐπέβαλεν ἐπὶ τοῦ Ἐτεοκλέους τὴν πυράν. Aliter tamen Soph. Ant. u. 258 Dind. Deinde commemorauit impium Tulliae facinus in cadauere paterno proculcando, quod item nomen loco indidit. Is locus describitur ab Ouidio 6, 601—610. Fuit inter Esquilias et Cyprium uicum, Varro de l. l. 5, 159: olim secundum quosdam dictus Orbius uicus, uid. Reisk. ad Dionys. Hal. 4, 39 fin., Fest. p. 182, 21 sin., ubi priorem quoque partem supplementi Vrsiniani non credo aptissimam; quod quia quiuis intelliget et emendari potest aliquot modis, nec ad hanc rem pertinet, manum abstineo: *Virbius* tamen uicus appellatur a Liuio 1, 48, nec credo emendandum *Vrbius*. Non sine causa Dianii meminisse Liuius uidetur. Virbius non semper pro Hippolyto habitus fortasse est et uetus fabula de heroe Italico equis tracto potuit transferri in regem a mulis calcatum, quo tempore illud peruulgari coepit, quod Ouidium a uetustiori poeta sumpsisse apparet, u. 595, *Regiam rem scelus esse.* Scilicet de eiusdem Seruii Tullii natalibus narratur Caeculi fabella Praenestina simili modo translata, uid. Seru. et interpp. Maii ad Aen. 7, 678 et 681. Sceleratus igitur uicus, qui superfuit Ouidii et Liuii aetate, nomen fortasse aliunde habuit, quam ipse sagacissimus Varro exposuit.

Casa Romuli quae obiter commemoratur 1, 199, inter locos sacros uix recte habetur. Ipsum enim locum suum mutauit nec in ullo ipsa perstitit. Bis arsisse eam Ouidii aetate commemorat Dio Cass. 48, 43; 54, 29, fuitque aliquando in Capitolio teste Arellio Fusco apud Senecam rhet. controu. 9, p. 137 ed. Bip. Olim uero in palatio fuisse ad suam usque aetatem, de qua Dodwell. diss. § 9, ait Dionys. Hal. 1, 79, p. 205 R., cfr. Plut. Rom. c. 20, p. 49 Sch.

Vada Tarenti nominantur 1, 501. Heinsius scribendum putauit Terenti contra libros suos et nostros, quotquot auctoritatem habent. Hos igitur sequor, non philosophemata Hartungi. Reliquorum scriptorum, quos testes adhibuit Heinsius, uetustiores sunt Varro apud Censorin. c. 17, p. 85, ubi libri itidem discrepant, Valerius Max. 2, 4, 6—12 ed. Pigh., ubi ipsa narratio scripturae *Tarent.* suffragari uidetur, Festus p. 351, 8 dext., ubi ipsum nomen intercidit. Apud Statium 4, 1, 38 *parentis* habere editos libros notat Marklandus p. 190 et indicare uidetur Heinsius; altero in loco 1, 4, 18 de codd. nihil constare reor. De Martialis uersibus expecto uiri doctissimi Gottingensis disputationem: mirarer, si constaret scriptura. Interim cum etiam Zosimus 2, 1—3, inprimis p. 120 et 123 Cellar. et Paulus Diaconus p. 350, 6 discedant, hac me opinione solabor, ipsos ueteres dissensisse. Nec, ut puto, Paulus iste eiusque

librorum consensus obstabit, quominus supplementum Festi quod uiolentum nec aptum esse censeo, emendetur in eam sententiam ita: [*Tarentum*, || *in campo Martio loc[um, Terentum ait ab eo* || *dicendum fuisse, quod t[erra ibi per ludos* || *Secularis Ditis patris[aram occulens tera-*||*tur ab equis quadrigari[is, quod (nomen) fabulae fu-*|| *tilitas aequiperet mo[leste nomini urbis Tarenti-*|| *nae. quod quam aniliter rela[tum sit* etc. Ex istis uero testimoniis locus Valerii Maximi proxime ad Ouidium accedit: loquitur enim de ripa Tiberina. Quamobrem ad partes uocauerim Seruii locum ad Aen. 8, 63: (Tiberis) *in aliqua etiam urbis parte Tarentum* (cod. Guelf. *Terentus*) *dicitur, eo quod ripas terat.* Nec puto spernendam esse Nardini coniecturam 3, p. 97 de *quella ripa del campo Marzio, ch'è presso piazza Nicosia e S. Lucia della Tinta, dalla curuatura del Teuere sempre battuta.*

Ab isto Seruii testimonio emoneor, ut iam nunc de Ouidii uersibus 4, 329 et 330 agam, in quibus loci religiosi, sed ficti a poeta mentionem agnosco. Heinsius, qui uerba nondum satis intelligeret, sequendos putauit codices, quos probasset alibi plerumque: recte fecit. Posteriores editores, uti solent metuentes de sua existimatione, si quod Heinsius edixisset non intelligerent, quicquid uolunt somniare, nescio quid docent de sinistro alueo Tiberis in mare profluentis prope Ostiam nauigationi aptiore. Restabat igitur ut indocte insulam Veneris cum insula Aesculapii confunderent, uti factum est a Cellario geogr. ant. 1, p. 634: memini id etiam in quodam Sickleri libro me deprehendere. Nam nisi Ostiam forte etiam putauerunt esse prope insulam Aesculapii, aut exploratum habuerunt insulam Veneris quoque ut illam olim non fuisse, quod nusquam traditur, non meminerunt aduentum nauis Ostiam iam u. 291 assignificari. Libri igitur fide digni quod exhibent, *Atria Tiberina*, non *Ostia*, explicandum est de domicilio dei fluuiatilis; cfr. met. 8, 562:

> *Pumice multicauo nec leuibus atria tophis*
> *Structa subit.*

Virg. Aen. 8, 65: *Hic mihi magna domus.*
De ea Tiberini regia facile potuit fabula excogitari aut a *prioribus*, aut ab Ouidio, si in altera utra inflexi (u. 329) fluminis ripa antri speciem effecerant undae, uid. fast. 5, 662, quemadmodum Seruius loc. ind. tradit: *Stringentem ripas*] *radentem, imminuentem. Nam hoc est Tiberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis Rumon dictus sit, quasi ripas ruminans et exedens. In sacris etiam Serra dicebatur —.* Cfr. ad 8, 95. Si Romae essem, quaererem rei uestigia circa *Campo Morto* uel *Pisciarello* et canponam *di mezzo*

camino, inter quae satis fortiter in sinistram partem circumagitur Tiberis. Sed haec incertiora, illud uero paene certum est nec ab ullo archaeologo eleuandum, alteram scripturam librorum Italorum, *Ostia*, ortam esse ex glossemate petito e Seruii commentariis ad Aen. 8, 65: *Alii Romam dicunt Tiberini domicilium, alii Ostia dicunt, ob hoc quod nos cum per diuersa dicurrerimus officia, in domum nostram nos recipimus ibique requiescimus, ut idem hic cum per reliqua spatia discurrerit, recipiat se per ostia in mare.* Testimonio sunt ueteres Itali interpretes in ed. Mediol. Ouidii 1510, meliora sua plerumque e scholiis ueteribus furati, quorum Marsus Virgilii locum apponit, Antonius Fanensis ita annotat: *Fabulantur ibi esse regiam Tyberini, ubi fluuius flectitur sinistrorsum:* rectissime; adde Seruium ad Aen. 1, 168*: aut uerum dicit et est historia, aut ad laudem pertinet loci.*

Redeo in ordinem ad lacum Iuturnae, qui commemoratur 1, 708: *stagna* 2, 603 quae leguntur, fortasse in campo Martio fuerunt. Sed illum locum religiosum in foro fuisse testatur Dionysius 6, 13, p. 1068, 13 R. Alia de eo scriptorum testimonia et de situ eius disputationes legere poteris apud archaeologos omnes et in libello Ambroschii p. 100. Non multum in hac re, quae pertinet ad aedis Castorum locum definiendum, uide supra p. CXXVI, adhuc est expeditum. Candidos et eruditos homines iudicare uelim de his, quae in mentem mihi ueniebant. Fragmenta duo Capitolina delineata in Bellorii tabb. XII et XVI coniunxit in basilicae Iuliae imaginem primus Nibbyus del foro p. 178, monente tamen Ed. Gerhardo grauissima quaedam, ut uidetur, contra, de bas. Iul. p. 18, n. 2; nonnihil etiam Bunsen. bull. 1835, p. 81. Illa Gerhardi si tamen eludi possint, quia Canina, uir non leuis, non iis mouetur de foro p. 86, uel si altera certe pars anterior basilicae recte agnita sit, litteras transuersas eidem ascriptas TVRNI falso concesserim a Canina suppletas de *aede Sa*TVRNI, sed crediderim significasse *lacum Iu*TVRNE, quemadmodum in alio fragmento GRECOSTASIS legitur. Eius fontis, quem cum Plutarchus etiamtum nouerit, fatendum est etiam saeculo post hunc notari potuisse, si locum ita assequeremur, uideretur Castorum aedes ipsum uestibulum basilicae a Canina ad fragmenti fidem delineatum, in quo statua ista fortasse fuit Amullino et Frontone coss. posita, uid. bullet. 1835, p. 37, attigisse nec recessisse a foro.

Lucus Helerni in carmine Ouidiano, prout edidi, bis commemoratur 2, 67 sq., 6, 105, neque usquam praeterea, nisi forte, quod miror ab aliis nondum esse tentatum, apud Paulum Diac.

p. 93, 13 legendum est: *Furuum bouem immolabant Elerno.* Nam *Aternus* fluuius Muelleri nescio quomodo displicet et codices plane eodem modo discedunt, ut Ouidiani utroque in loco, quorum in priori non dubitaui Heinsii coniecturam repraesentare: quod si recte feci, licebit coniecturam non certissimam concipere, si minus, non multum interest, in tenebras omnia abstruduntur. Nimirum quando Ouidius hunc locum religiosum suburbanum ad excessum Tiberis fluuii ex urbe scripsit libro secundo, ex libro sexto credo cognosci non esse intelligendam regionem tertiam decimam montis Auentini, uti existimant topographi post Panuinium, sed proximam transtiberinam. Nam cum fabulas de Carna et Cardea ingeniose concinnauerit poeta, ne confudisse dicam, Helerni mentio manifesto spectat ad eius deae cum Iano necessitudinem, quem cum habitasse Ianiculum fama esset, huius montis rupes et anfractus nomen Cranaae indidisse nymphae finxit poeta. Ac fieri potuit, ut *Helernum* ab *herna*, rupe dictum esse scriberet aut Varro, aut alius.

De portae Carmentalis religione 2, 201 conciliauit poeta diuersorum auctorum iudicia, quae indicantur apud Festum p. 334, 3 sin. uerbis: *appellatur a quibusdam.* Aliis enim religio fuit circa totam Carmentalem portam et templum Iani, quod erat extra eam, teste Fest. p. 285, 5 sin.; aliis circa dextrum tantum portae fornicem, quem in modum Liuius 2, 49: *Infelici uia dextro iano portae Carmentalis profecti* —. Distichon quod est in uulgatis exemplaribus 203, 204 partim ex Paulo Diacono effictum, partim ineptum est, totum uero ab eximio codice Parisiensi et quibusdam aliis abesse uides. De situ portae Carmentalis adibis Niebuhrium, h. R. 2, p. 222, ann. 444, uel Bunsen. descr. Vrb. to. 1, p. 629, to. 3, sect. 1, p. 27.

De Lupercali 2, 379 et de fico Ruminali u. 410 simul agendum est. Nam eodem loco fuisse in Palatino monte testatur Dionysius Halicarnassensis; de Lupercali his uerbis 1, 79, p. 203: *ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ· — τὸ μὲν οὖν ἄλσος οὐκ ἔτι διαμένει, τὸ δὲ ἄντρον, ἐξ οὗ ἡ λιβὰς ἐκδίδοται, τῷ Παλαντίῳ προσῳκοδομημένον δείκνυται κατὰ τὴν ἐπὶ τὸν ἱππόδρομον φέρουσαν ὁδόν*, quicum conferes Liu. 1, 5: *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt*; de fico Ruminali autem his, quae proxime sequuntur: *καὶ τέμενός ἐςιν αὐτοῦ πλησίον, ἔνθα εἰκὼν κεῖται τοῦ πάθους, λύκαινα παιδίοις δυσὶ τοὺς μασοὺς ἐπέχουσα, χάλκεα ποιήματα παλαιᾶς ἐργασίας.* Reiskius haec omnia typographos iussit pro uerbis Fabii Pictoris exprimere: eorum unciolorum beneficio

posthac factum est, ut quidam mirum quantum supra Niebuhrium sibi sapere uiderentur (in Petersenii nescio quo libello statim ab initio id legi) sibique de suo Reiskiano exemplari gratularentur; Niebuhrium etenim miro errore uerba Fabiana apud Reiskium p. 205, lin. 2 habuisse pro Dionysianis hist. Ro. 1, p. 283 ann. 679. Non memini cuiusmodi reliqua sint in eo libello: istoc exordium ludicrum, quod memini probari a quibusdam, obiter hic redarguo. Verba ista *παλαιᾶς ἐργασίας* iam non sunt Fabii Pictoris: nam uiginti, uel summum triginta annis ante hunc natum simulacrum illud lupae et geminorum positum est ad ficum Ruminalem teste Liuio 10, 23 fin. Nisi quis forte Bunsenii auctoritate contendet ficum Ruminalem nusquam nisi in foro fuisse: haec enim uerba eius uiri ill. leguntur ann. 8, p. 249: *à coté de ce figuier et au forum comme le dit expressément Tite Live, les frères Ogulnii placèrent la louve de bronze.* Hic quoque, ut supra p. cxx, suspendo iudicium: credo magis Liuii codices innui exemplari meo auctiores. Sed tamen in monte Palatino Varro quoque de l. l. 5, 54 ficum Ruminalem scripsit: quod testimonium si forte Bunsenius ex sua comitii descriptione interpretabitur, non est huius loci sententiam dicere de eo, num Capitolino, an Palatino monti propius id fuisse putem. Verum aliquanto disertius Seruius ad Aen. 8, 90: *ficus Ruminalis, ad quam eiecti sunt Remus et Romulus, quae fuit, ubi nunc est Lupercal in Circo.* Hunc tamen auctorem non probare intelligo recentiores topographos. Ergo ipse Plinius n. h. 15, 18, § 77, qui cum Tacito ann. 13 extr. reapse testatur in comitio etiam fuisse ficum Ruminalem, tamen ita ob memoriam alterius uetustioris appellatam et transisse putari dicit, igitur aliunde, nisi fallor, e Lupercali: ibi si arbor nulla fuit Dionysii aetate, inde docemur Liuii uerba 1, 4: *ubi nunc ficus Ruminalis est* et Ouidii u. 411: *remanent uestigia* intelligenda esse de ipso nomine loci religiosi simulacro illo indicati, quod adhuc superesse affirmauit Niebuhrius h. R. 1, 232. Facile cognoscitur, cur Festi locum supra pro fr. 2 positum alio supplemento iure meo instruxerim, atque quod ab Vrsino excogitatum explicatur a u. cl. Muellero. Ficus Ruminalis mentionem etiam factam a Varrone in scenicarum originum libro primo testatur Charisius p. 103 P. Cuius illa sit eius nominis interpretatio, qua Liuius loco ind. et Ouidius usi sunt, non inuenio. Expulsa est ex eo uersu scriptura codicum suspectorum eademque coniectura Scaligeri, forma nominis, quam praeter aetatis suae, immo sermonis latini usum nouare hoc in loco non licebat poetae meo iudicio. De eo genere loquendi, quod reduxi, olim annotatum est ad Ibin u. 48.

Lucus Lucinae 2, 436 commemoratur etiam a Varrone de l. l. 5, 49.

Capreae paludem 2, 489 quanto librorum ueterum consensu ediderim, uides. Res est obscurior, quam ut supra libros audere quicquam liceat. Heinsius egregie annotauit: quatuor scriptorum locis ab eo prolatis, quorum tres isti scripturae patrocinantur, adde Paulum Diac. p. 65, 5, Liu. 1, 16, Plut. Rom. p. 56, 7 Sch. Num. p. 98, 5, qui consentiunt in *caprae palude*. In campo Martio fuisse constat. Ibidem columna bellica, 6, 205 sqq., de qua uid. ad lb. 48. Infra omisi.

Lucus Fauni commemoratur 3, 295; 4, 649: Iouis Elicii item in Auentino locus religiosus 3, 328, de quo Plutarchus Num. c. 15: *τὸν δὲ τόπον Ἠλίκιον ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθῆναι*. Aram Iouis Elicii tradunt Varro de l. l. 6, 94, Liu. 1, 20.

Locus religiosus fuit, ubi quotannis lauatio Matris deum celebrabatur, quam primum factam indicat Ouidius 4, 339. Videbis de sacro locoque interpretes, Orellium et L. Viuem, ad Arnob. 7, 32 et August. c. d. 2, 4. Nihil enim amplius, quam quod Ouidius docet, alii habent scriptores.

De luco Robiginis aeque magna est difficultas in conciliauda Ouidii narratione 4, 905 sqq. cum Verrii lemmate in tabula tertia Praenestina: FERIAE . ROBIGO . VIA . CLAVDIA . AD . MILLIARIVM . V, atque in accommodandis his uerbis ad Pauli Diaconi testimonium p. 45, 7: *Catularia porta Romae dicta est quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus* etc. Si de eodem loco et sacrificio ista omnia intelligenda sunt, (neque detrectare licebit hanc sollicitudinem quamdiu nihil praeterea exploratum erit) certe ferri non potest Sachsii interpretatio 1, p. 222 putantis Ouidium Nomento redeuntem, quod minus duodeuiginti millia passuum Roma distat, fecisse iter aeque magnum trans uiam Salariam ad eam uiam Clodiam, siue Claudiam, quae secundum tabulam Peutinger. fol. 5 ed. Monac. a uia Flaminia sinistrorsum ad Rubras discessit, circa milliarium a porta Flaminia nonum, monstrante Fogginio p. 64, tum Nibbyo, Nard. to. 4, p. 65 sqq.: neque ergo quid Ouidii uersu 906 fiat, intelligitur, neque ista uia Claudia habuit milliarium quintum. Ex eo, quod Antonini itinerarium p. 65 ed. Schott. 1600 uia Clodia Romam perueniri docet, nihil certi colligi potest de porta, qua urbem introiri necesse fuerit. Sed tamen Ouidius Pont. 1, 8, 43:

quos piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiae Clodia iuncta uiae

commemorat, eosdem sine dubio, qui tr. 1, 11, 37; 4, 8, 27 nomi-

nantur, quosque in monte Pincio fuisse non utique male coniecit Fogginius, cum hortos ibi plurimos fuisse constet; nam si multa millia Roma afuissent, dicerentur rura, uel praedium. Fac igitur uiam Claudiam incoepisse ab aliqua porta praeter Flaminiam, quae aut unicum, aut in libris pontificum Catulariae nomen habuerit, atque inde ad pontem Miluium perduxisse: si Ouidius Nomentana uia relicta per actus semitasque hortos suos petiit, necesse est intra milliarium quintum uiam Clodiam attigerit; conueniunt omnia. Fogginii fere haec est disputatio, cui confidere hucusque noluerunt topographi, nec incognitam alias uiae Clodiae partem in mappis perscripserunt: maxime, ut puto, quia de porta Catularia nihil plane est exploratum, uid. Bunsen. descr. Vrb. 1, p. 627.

De aqua Mercurii ante portam Capenam, 5, 673, nihil memini me alibi legere. Ab eadem uero porta Capena ad aedem Martis, de qua superiori libro dictum est, ducebat uia tecta, quam magno consensu boni libri nominant apud Ouidium 6, 192. Non lubet de uia recta, quae alibi fuit, aut de fornicata disputare: breuiter de hoc loco religioso transigam. Mirum legi in codice egregio Monacensi olim Mallersdorfiano glossema: *extra uiam tectam, quae et hodie est Romae.* Burmannus ita annotauit: *Si ostendi posset per hanc uiam sacram quandam pompam duci solitam, in quam ex aedibus despicere non licebat, posset tecta uia capi ut uelatae uiae apud nostrum* 3 *am.* 13, 12; *sed nihil mihi de illa lectum est.* Cogitauit de re, quam narrat Macrob. sat. 1, 6, p. 209. Atqui pompae ex ista aede duae certe duci consueuerunt, altera equitum Id. Iuliis, de qua Dion. Hal. 6, 13, altera pontificum, cum aquaelicii causa manalis lapis ex eodem loco in urbem pertraheretur, docente Paulo Diac. p. 128, 5 et 6; p. 2, 12.

Locus antiquitus religiosus, cui tamen Vestalibus potissimum caerimonia et honos exhibebatur, in Noua uia commemorari uidetur 6, 395—97. Eundem enim assignificari puto a Varrone loco, qui fortasse satis est integer in codicibus, de l. l. 5, 43: *quoius uestigia, quod ea, qua tum, dicitur Velabrum et unde escendebant ad summam nouam uiam, locus sacellum Labrum:* nam a Velabro diuersum fuisse illum locum Ouidius u. 405 indicare uidetur.

Lucus is, qui 6, 503 indicatur, ubi situs fuerit, potissimum ex eo loco et Liuio 39, 12 sqq. cognoscitur; proxime ripam Tiberis, secundum uerba Liuii: *matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim*; quam proxime a mari, Ou. u. 502, non tamen sub ipso Auentino, u. 518, nec longe, si fieri potest, a foro boario et templo Matutae fuisse conuenit. Hinc recte

regionem undecimam assecutus uidetur falsus ille P. Victor, nec opus habuisset alteram Matutae in eadem aedem comminisci. Stimula dea commemoratur secundum Varronem ab Augustino de c. d. 4, 11 et 16; lucus ab ea nusquam, nisi a schol. Iuuen. 2, 3 secundum Ouidium, ut puto, appellatur.

De porta Fenestella, 6, 578, uaria fuerunt doctorum iudicia: parum perspicua mihi uisa sunt quae Sachsius 1, p. 227 scripsit: Hartungus more suo leuiter 2, p. 234. Res est elicienda ex his Plutarchi locis, quaest. Ro. c. 36: *Διὰ τί πύλην μίαν θυρίδα καλοῦσι (τὴν γὰρ φενέϛραν τοῦτο σημαίνειν) καὶ παρ' αὐτὴν ὁ καλούμενος Τύχης θάλαμός ἐϛι;* et de fort. Ro. c. 10: — *ὥϛε καὶ συνεῖναι δοκεῖν αὐτῷ τὴν Τύχην διά τινος θυρίδος καταβαίνουσαν εἰς τὸ δωμάτιον, ὃ νῦν Φενεϛέλλαν πύλην καλοῦσιν.* Inuenit igitur hic mentionem factam aediculae Fortunae, quam ignorare uidetur Ouidius, dedicatae prope portam, cuius meminit tanquam superstitis poeta. Ea Fortuna quo cognomine olim consecrata fuerit, et numquid ueteris memoriae uerbis *ὁ καλ. Τύχ. θάλ.* insit, nescio: non tamen hoc crediderim. Aediculam instructam fuisse suspicor minusculo eiusmodi ostio, quod appellari *festram* docuit olim Antonius Gnipho teste Macrob. sat. 3, 12, p. 412, 13. Inde quia *festram* antiquos dixisse *fenestram* constat, Paul. Diac. p. 91, 5, ab istoc suo templo Fortuna rite cognomen Fenestellae nacta uidetur: similia sunt Iupiter Vimineus, Tigillus, Hercules Musarum. Vbicunque uero illa aedicula fuit, nam de monte Esquilino minime exploratum habeo, prope portam aliquam uetustam fuit secundum Plutarchum. Res uero est notissima portarum nomina multarum a sacellis proximis petita fuisse: de Carmentali, Lauernali, Libitinensi uix ulla est dubitatio; de Fontinali uidetur testari Paulus Diac. p. 85, 3, de Minucia diserte testatur p. 147, 4: *Minucia porta appellata est eo, quod proxima esset sacello Minutii.* Ex illo Fortunae cognomine quo modo fabula illa de uisente amatorem Fortuna paene oriri debuerit, intelligis, cuius memoria adhaesit ei aedificio, quod cum ea appellatione nouissime superfuit: quid superfuerit Plutarchi aetate, inutile foret quaerere; fortasse nihil, et uidetur diuersas priorum antiquariorum opiniones secutus, quorum quidam portae prope iam euanidae reliquias ipsius sacelli esse putauerint.

LIBER OCTAVVS.

Fragm. 1. Gell. n. A. 2, 28: — *ubi terram mouisse senserant, nunciatumue erat, ferias eius rei causa edicto imperabant, sed dei nomen ita, uti solet, cui seruari ferias oporteret, statuere et edicere*

quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum adligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam si deo, si deae immolabant, idque ita ex decreto pontificum obseruatum esse M. Varro dicit, quoniam et qua ui et per quem deorum dearumue terra tremeret, incertum esset.

2. Seru. ad ge. 1, 269: *Sane sciendum secundum Varronem contra religionem esse, si uel irrigentur agri, uel lauentur animalia festis diebus: nymphae enim sine piaculo non possunt moueri.*

3. Plut. quaest. Ro. c. 105. *Διὰ τίνα αἰτίαν ἐν ταῖς δημοσίαις ἑορταῖς ἔθος οὐκ ἔςι γαμεῖσθαι παρθένους, αἱ δὲ χῆραι γαμοῦνται; πότερον, ὡς ὁ Βάῤῥων εἴρηκεν, ὅτι λυπούμεναι μὲν αἱ παρθένοι γαμοῦνται, χαίρουσαι δὲ αἱ γυναῖκες, ἑορτῇ δὲ δεῖ μηθὲν λυπουμένους ποιεῖν, μηδὲ πρὸς ἀνάγκην;* — Cfr. Macr. sat. 1, 15, p. 262.

De *feriis* iis, quae ad deos non pertinuerunt, Varronem egisse in libris sex rerum humanarum, quos de temporibus scripsit, oportet: de imperatiuis magistratuum, uid. Macr. sat. 1, 16, p. 264, quales a Bibulo collega indictas neglexisse Caesarem traditur: de nundinis, uid. Seruium ad ge. 1, 275 et Macrobium p. 268 Varronem laudantes: de belli feriis librum humanarum antestatur Gellius 1, 25. De feriis sacris uero multa ex hoc libro se repetiuisse in sexto de l. l. ipse indicat § 13: *ut in antiquitatum libris demonstraui.* In hoc genere requirebatur quibus residerentur, a quibus, et inprimis quando, quoniam de sacris temporibus potissimum agebatur. Hinc esse uidetur, quod quae feriarum discrimina a scriptoribus traduntur, ad eam normam fere definiuntur. Vtrum diis certis, an incertis, quales in fragm. 1 indicantur, obseruarentur, totusne populus, an pars eius iis teneretur, non aeque interfuisse uidetur, certe ad nomina feriarum generibus imposita nihil momenti habuit. Itaque primum discrimen a Seruio ad Aen. 1, 632 traditur *legitimarum* h. e., ut ego interpretor, earum, quae more recepto quandocunque agebantur, et *indictarum*, siue *indictiuarum, quae,* inquit, *subito ad praesens tempus indicebantur* cuicunque deo opus uisum est. Legitimas aut fuisse *statas*, aut *conceptiuas* Varro docet de l. l. 6, § 25 et 26 idemque conceptiuas dirimit ibidem in *annales* et *non annales.* Conceptiuas non annales non uidentur nouisse Paulus p. 62, 15 et Macr. 1, 16, p. 264: hic tamen cum *quotannis in dies certos uel etiam incertos* ferias concipi solitas tradit, nouum annalium discrimen inducit, non negligendum, quippe exemplis demonstrari aeque potest ac reliqua. Quinque sunt genera, quorum unumquoduis aut publicum, aut non publicum. De indictiuis dixi, nec credo falso,

certe enim diuersae fuerunt a conceptiuis non annalibus, quarum exemplo sunto, si publicas quaeris, nouemdiales, uid. Liu. 1, 31; si partis populi, porca praecidanea Cereris, qua non quotannis opus fuisse docet Gellius 4, 6; si priuatas, denicales, uid. Paul. p. 70, 9. Quae restant sex discrimina illustrabuntur exemplis Ouidianis.

Sementinas ferias ab Ouidio 1, 658 sq. commemoratas inter conceptiuas recensent Paulus et Macrobius locis indicatis, inter annales Varro de l. l. 6, 26: diebus certis astrictas non fuisse ipse poeta monet u. 661 astipulante Laur. Lydo de mensibus 3, 6, p. 80 Rö. in hunc modum: *Αἱ τοῦ σπόρου ἑορταί, αἱ λεγόμεναι παρὰ Ῥωμαίοις σημαντίβαι, τουτέςι σπόριμοι, οὐκ ἔλαχον ὡρισμένην ἡμέραν —. ἤγοντο δὲ ἐπὶ δύο ἡμέρας, οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ μέσον γινομένων ἑπτά. καὶ τῇ μὲν πρώτῃ ἱεροποίουν Δήμητρι, οἷον τῇ Γῇ — εἶτα μετὰ ἑπτὰ ἡμέρας Κόρῃ.* Postremo publicas ferias fuisse cognoscitur ex Varrone de re rust. 1, 3, ubi homines urbani cuiusque ordinis otiosi conueniunt in aedem Telluris. Quare non iniuria quaesitum est a Neapoli, quid esset, quod apud Ouidium u. 669 pagani potissimum feriari iubeantur, et num forte de alteris feriis, Paganalibus, quae tamen sementinas proxime attigerint, dicatur. De Paganalibus insignis est locus Dionysii Hal. 4, 15: appellat *ἑορτὴν ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν* aitque celebrari diis peculiaribus pagorum custodibus, ex quibus unam Empandam nouisse uidemur, uid. Paul. Diac. p. 76, 11, nisi forte ibi quoque *pagani* ut alibi, si recte memini, apud eundem opponuntur Christianis. Conueniunt haec Dionysii non utique optime ad Ouidium, quamquam u. 670 *pagani foci* nuncupantur. Grauius tamen est quod Paganalia, ut puto, ipsa illa Dionysii omnium pagorum, non singulorum, uti uult Scaliger in coniectaneis p. 80, a Varrone § 24 componuntur cum Septimontio, ut inter *dies statutos* fuisse uideantur. Idem uero Varro § 26 significare uidetur sementinas ferias qui dici consueuerint a pontificibus, in agris celebrari paganicarum nomine. Quare non de diuersis feriis intelligendum putauerim Ouidium, sed de iisdem diuerso modo in urbe et in agris celebrandis. Velut oscilla nemo unquam in Vrbe instituit: celebratum tamen eum ritum feriis sementinis disertim tradit Probus ad Virg. ge. 2, 385. Paganicas ergo ferias proprie dictas habes exemplum feriarum annalium incerti temporis nec totius populi.

Eiusdem generis atque sementinae publicae fuerunt Fornacalia. Nam quotannis non certo quidem die, sed tamen intra Kalendas Februarias et Quirinalia, ut puto, a curione maximo indici, siue concipi solitas testatur Ouidius 2, 525. Ab *omnibus ciuibus factas*

affirmauit Labeo apud Festum p. 253, 14 sin. Quare mirari subeat, quod Varro 6, 13 Quirinalia dixit ferias *eorum, qui Furnacalibus suis non* fuerint *feriati*. Quasi non omnium eadem fuerint Fornacalia, contra atque Ouidius u. 528 tradit. Dicta est supra p. cxv coniectura de Fornacalium caerimonia aliquando a foro in singulos uicos relata.

De Parentalibus supra p. xl exposui. Fugiebat me tunc, quod maximi est ad coniecturam meam momenti, in fastis rusticis Farnesianis mense Februario post Lupercalia indici Parentalia. Nondum tamen satis noui, in quot dies, et num in certos, an incertos concipi consueuerint. Ferias annales incerti temporis, quae inciderunt in priores sex menses, plane praeteritas ab Ouidio nullas existimo praeter Latinas, de quibus adi Varronem 6, 25, Niebuhrium h. R. 2, p. 38 sqq., Vaassenium animadu. p. 245 sq., p. 294 sqq. Nam Compitalia uerna, uid. Suet. Oct. 31, conceptiuas ferias, testibus Macrobio 1, 5 fin., Gell. 10, 24 et Paulo Diac. p. 62, 15, ne Varronis quis nimis uetustum testimonium dicat, tractaturus fuisse copiose uidetur Ouidius. Etenim in libro secundo, ubi multa a poeta hiulca et incongrua sunt relicta, quae a u. 571 ad 617 de dea Tacita uel Muta Larum matre leguntur, non ad Feralia, sed ad Compitalia siue Lararia, Fest. p. 253, 16 sin., spectauisse puto, uide de eadem in illis caerimonia Macrobium 1, 7, p. 220 sq., de reliquis uero, quae Ouidio commemorandae restabant, Festum p. 257, 1 sin., Paulum p. 69, 6, p. 121, 17: Dionysii Hal. 4, 14 mirificus est error de his feriis.

Feriae annales populares in certum diem concipi solitae fuerunt Caristia, 2, 615, quantum intelligo. Nam si statae fuissent, credo, notarentur in fastis Maffeanis. Fastorum Lambecianorum, ubi eodem die quo apud Ouidium extant, non magna est auctoritas. Praeterea nusquam commemorantur nisi apud Valer. Max. 2, 1, 8 et in fastis rusticis Farnes., quae ab aliis obseruata sunt. In his autem fastis uerba CARA COGNAT. recte se habere demonstrat Tertullianus de idololatr. p. 621 editionis quam supra indicaui, qui *carae cognationis honoraria* nuncupat. Feriae eiusdem cum his generis neque tamen uniuersi populi non fortasse omnes a statiuis populi partium dignoscere ualeo. Vnum tamen extra dubitationem positum existimo exemplum, ferias stultorum, quae diuersi uix esse potuerunt generis a Fornacalibus non stultorum.

Restant igitur statiuae utriusque notae. Earum quae uniuersi populi Romani non fuerunt, in fastis Maffeanis notantur illae, de quibus supra p. xlix dixi. De Agonalibus III Id. Dec. supra me aliquando in errorem inlexerunt Fogginius p. 74 sq. et qui Festum

p. 340, 7 sin. suppleuerunt ante Muellerum, cui plane assentior. Si missos facias *pueros linonios* feriatos VII Kl' Mai. secundum Verrii tabulam Praenestinam et ea collegia, ad quae Quinquatrus et Idus Maiae potissimum pertinuerunt, uid. Ou. 3, 821 sqq., 5, 675 sqq., restant feriae piscatorum, quando diem *festum* scripsit Ouidius u. 239 et omnes festi sunt feriati secundum Macr. sat. 1, 11 extr., VI Id. Iun., uti supra demonstrabam p. LXVII, et Kalendae Apriles, de quarum feriis quod satis est paulo antehac dixi p. CXXXVII et CXL.

Feriarum statarum discrimen fuit potissimum maiorum et minorum. Omnes signari, uel significari litteris NP in tabulis supra est notatum. Omnes uno die transigebantur, non continuis pluribus: quod num in annalibus et conceptiuis idem sit obseruatum, non satis habeo exploratum. Tertullianus ex auctoritate Verrii Flacci ita scripsit de idololatr. p. 622 ed. Par.: *Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est —: excerpe singulas solennitates nationum et in ordinem texe, pentecosten implere non poterunt.* Idem excerpsit Festus p. 257, 1 sin., ubi de Quinquatribus Varroniana de l. l. 6, 14 exponuntur, quae neglexisse Ouidium 3, 810 patet. Minoribus feriis statutis accenseo omnes propter Caesarum res gestas in fastos introductas, de quibus quod satis sit in superioribus est annotatum. Proximae illis sunt quae propter templorum et sacellorum dedicationes institutae non omnes eiusdem fuere celebritatis. Cum de tabula Maffeana disceptarem, docui de iis, quae leuiter indicatae in ea reperiuntur: si disputationes de sacellis aedibusque sacris Ouidianis adieris, intelliges, cum uniuscuiusuis dedicationis causa ferias fuisse certo constet, quas addiderit Ouidius: si quae utrobique omissae sunt, proxima § recensebuntur. Itaque maiores ferias appellauerim eas, quarum peculiaria nomina cum in fastis marmoreis quibusuis indicantur, tum a Varrone de l. l. 6, 12—23 explicantur. Earum omnium peraeque insignis fuit uetustas, si discesseris ab Augustalibus IV Id. Oct., quae obnoxia aeui Ouidiani prauitas interposuit. Reliquarum nullas Cn. Flauio, immo fortasse nullas decemuiris legibus scribendis constat esse recentiores: partim ultimam attingunt antiquitatem, partim non longe differunt a minoribus propter templorum dedicationes ex S. C. plerumque inductis. Nam et mirum est, et certum Megalesia et Floralia, quae constat saeculo ab V. C. sexto instituta esse, quamquam priora a Varrone § 15, scilicet propter ludorum *dies deorum causa institutos*, recensentur, eodem modo ac reliquos in fastis nullis perscripta haberi. Nouissima igitur sunt Fordicidia, Liberalia, Cerealia. Fordicidia si Telluri residebantur, prout dicit Ouidius 4, 665, quam rem paene dubiam

mihi facit Arnobius 7, 22: *Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et foeta, — nec Telluri grauidas atque foetas ob honorem foecunditatis ipsius — et quod Tellus est mater, consimiliter grauidis accipienda est scrofis,* adde quae de Numa Ouidius habet; sed tamen si forte ille dies *Telluris natalis* habitus est, uid. Arnob. 7, 32, ut Quinquatrus Mineruae, aedem Telluris primam paulo post Sp. Cassii condemnationem factam tradunt Dionysius Hal. 8, 79, Valer. Max. 6, 3, 2. Liberalia uero et Cerealia introducta esse post templa Liberi et Cereris a Postumio anno V. C. 260 dedicata uidetur assignificare Dionysius 6, 17: *ἀγῶνάς τε καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς ἀπὸ τετταράκοντα ταλάντων ἐποίει, καὶ ναῶν κατασκευὰς ἐξεμίσθωσε Δήμητρι καὶ Διονύσῳ καὶ Κόρῃ κατ' εὐχήν. — εὐχὰς — ἐποιήσατο — ναούς τε αὐτοῖς καθιδρύσεσθαι καὶ θυσίας καταςήσεσθαι καθ' ἕκαςον ἐνιαυτόν.* Feriae publicae praeterea ad templorum publicas dedicationes referuntur ab Ouidio Carmentalia 1, 461 coll. 463, Quirinalia 2, 507, 508, Quinquatrus 3, 837, 838, coll. Fest. p. 257, 7 sin., Vestalia 6, 257—60, Matralia 6, 479 sq., a Varrone fortasse Saturnalia supra lib. VI, fr. 7, certe Portunalia et Vinalia rustica de l. l. 6, 19, 20. Earum feriarum, quae restant, aliae ipso nomine indicant, cui deo agendae fuerint, uelut Lupercalia, Terminalia, Parilia, Robigalia, Neptunalia, Furrinalia, Consualia, Volcanalia, Opiconsiuia, Volturnalia, Fontinalia, Opalia, Larentalia, quorum tamen numinum aliquot ne sacella quidem habuisse uidentur: aliae uetustiores etiam, uel diuersae originis esse apparent, de quarum significatu maximae fuerunt dissensiones. Velut Ouidius bina Agonalia V Id. Ian. et XII Kl' Iun. aut Iani esse dicit 1, 317; 5, 721, aut certe non monuit posteriora esse Vediouis, prout fasti Venus. habent. Tertia III Id. Dec. quoniam Muellerus ad Fest. p. 340 effecit, ne pro Septimontio habeantur, cuiusmodi fuerint, plane ignoramus. De Tubilustrio primo dictum est supra p. XLII: de utrisque uide Festum p. 352, 21 sin. De Vinalibus expositum est p. XLVI sq., de Lemuralibus praeter Ouidiana non multum notum est, uide tamen Vaassen. animadu. p. 242. De iis, quae ad Ouidium non pertinent, dicere non attinet, nisi forte de Poplifugio, siue Poplifugiis uti Macrobius, siue, uti Muellerus scribit, Poplifugia, quae Fugalia sine dubio appellantur ab Augustino de c. d. 2, 6: *nec ubi Fugalia celebrarentur effusa omni licentia turpitudinum et uere Fugalia, sed pudoris et honestatis.* Hoc enim nomen Niebuhrius h. R. 1, p. 566 ad Regifugium accommodauit, quo die licenter quicquam, prout in illa uitulatione, uid. Macr. 3, 2, p. 386, actum esse Ouidius non tradit. Poplifugia quam

uetustae feriae fuerint, maxime ex eo cognoscitur, quod Varro adeo nullum earum originis uestigium repperit, ut de tempore satis recenti cogitare licuerit. Ioui dicatas fuisse suspicor propter locum Dionis 47, 18 de die natali C. Caesaris. Is dies in fastis Maffeanis IV Id. Iul. indicatur consueta feriarum nota, annotatur in fastis Amitern. et Antiat., prout reuera fuit teste Macr. 1, 12, p. 248. Sed triumuiri, ne in ludos Apollinares eius diei celebritas incideret, ἐψηφίσαντο τῇ προτεραίᾳ τὰ γενέσια ἀγάλλεσθαι, quod non uidetur intelligendum pridie eius diei, uti a Sturzio factum, sed pridie ludos Apollinares, h. e. die Poplifugiorum. Additur igitur decretum esse, ut qui eum diem neglexisset, Ioui et Diuo Iulio sacer esset. Certum tamen est ex tabula Maffeana id decretum totum rescissum postea esse ab Augusto.

LIBER NONVS.

Fragm. 1. Macr. sat. 1, 11, p. 253: *ex senatus itaque consulto et Maeuia lege ad propitiandum Iouem additus est illis circensibus dies is, qui instauraticius dictus est, non a patibulo, ut quidam putant, Graeco nomine ἀπὸ τοῦ ϛαυροῦ, sed a redintegratione, ut Varroni placet, qui instaurare ait esse instar nouare.* Credibile est narrationem, quae ante haec a Macrobio traditur, ex Varronis hoc libro innotuisse Augustino, qui eandem habet de c. d. 4, 26 et 8, 13. Is et Liuius 2, 36 de ludis magnis, siue Romanis in circo maximo istam ob causam instauratis testantur: solus Valerius Maximus 1, 7, 4 de Plebeiis in circo Flaminio. Nam Dionysius Hal. 7, 69 aliiue non accurate rem scripserunt.

2. Fest. p. 351, 22 dext. *Taurios] ludos Varro ait uocari, quod* — piget reliqua transscribere, in quorum supplemento, ne nimis sint inepta, non mihi satisfacio. Huc retuli propter Varr. de l. l. 5, 154.

De ludis circensibus primo loco egisse Varro uidetur quia et uetustiores essent scenicis, et sine illis saepissime edi consueuerint, nunquam uero scenici sine circensibus. Quod a Graecis ἱπποδρομίαι nuncupari solent, argumento est, quid praeter ipsum locum potissimum peculiare habuerint. Itaque uetustissimam id genus celebritatem crediderim fuisse Equiria, quae ab Ouidio 2, 857 et 3, 519 memorantur: nam Consualia, de quibus 3, 199, mulis fiebant teste Paulo p. 148, 1. Priora quae Ouidius habet, Equiria Varro omittit, qui de alteris ita 6, 13: *Equiria ab equorum cursu, eo die enim ludis currunt in Martio campo.* Lydus de mens. 4, 9, p. 158

tertia annotat: τῇ δὲ ἑξῆς, ἥτις ἐςὶ πρὸ τεσσάρων Νωνῶν Ἰανουαρίου, ἐσχόλαζον διὰ τὰ ἱερὰ τὰ ἱπποδρόμια, uti placet editoribus. Instituta esse a Romulo tradit Paulus p. 81, 11: locum in Coelio monte ab Ouidio 3, 522 indicatum Martialem campum nominat p. 131, 13. Is ipse locus si a Liuio 3, 63 Martius uocatur, quae egregia est Niebuhrii coniectura h. Ro. 3, p. 425 ann. 827, probabile est, nisi fallor, in pratis Flaminiis fieri olim consueuisse Equiria: utrobique enim in eiusdem dei tutela senatus erat. Ac cum ludos publicos Ouidii aetate cum dignitate factos fuisse oporteat, neque sit necesse *gramineum campum* ab Ouidio alium significari, quam ipsum campum Martium, quantusquantus fuit (de ludis piscatoriis in *gramine campi* 6, 237 quia quod genus fuerit, omnino ignoro, nihil definio); cum praeterea prata Flaminia, siue campum Flaminium posthac inclusum fuisse circo Flaminio nouerimus ex Varrone de l. l. 5, 154, Liuio 3, 54 fin., censeo Equiria acta in circo Flaminio indicare Ouidium, uti Plebeios circenses, de quibus loqui uidetur Varro apud Seru. ad ge. 3, 18: *Olim enim in litore fluminis circenses agitabantur, in altero latere positis gladiis, ut ab utraque parte esset ignauiae praesens periculum.* De eo circo scribi potuisse Ouidii u. 521 docet Dio Cass. 56, 27: τά τε Ἄρεια τότε μὲν ἐπειδὴ ὁ Τίβερις τὸν ἱππόδρομον προκατέσχε ἐν τῇ τοῦ Αὐγούςου ἀγορᾷ καὶ ἵππων δρόμῳ καὶ θηρίων σφαγῇ ἐτιμήθη.. Haec uerba quoniam de ipsis Equiriis dici non existimo, referenda erunt ad ludos Martis Vltoris IV Id. Mai., quod alterum est exemplum circensium sine scenicis apud Ouidium 5, 597, ac de loco, quo hi agi sint soliti, certiores nos faciunt: de quo alias tradi quicquam haud memini. Equorum probatio pridie circenses Romanos et Plebeios annotatur in tabula Maffeana: in ludis Martis Vltoris commemorari uidetur a Dione 55, 10: canum probatio sub Nerone ab eodem traditur 61, 6.

Quando circenses ludi scenicis iuncti fuerunt, ultimum locum obtinuerunt, non eodem ubique dierum numero. Illud de Floralibus quoque Ouidius testatur 5, 189:

Circus in hunc exit clamataque palma theatris,

hoc est, circenses tum fieri, cum post scenicos palma data sit. De ea *palma* locum olim emendabam Ouidii trist. 2, 507. Conferes de fabularum iudicibus quae annotauit et quos indicauit Weichertus poet. rell. p. 336. Florales circenses ubi acti fuerint ante extructum circum Florae, quem a scriptore nullo tabula Maffeana uetustiore aut aequali commemorari certum est, nescio: nec memini disertim equorum certamen in iis ludis tradi, ut fortasse uenatio tantum in

circo fuerit, de quo genere uide Bulenger. de uenat. circ. in Graeu. thes. 9, p. 758.

Ludorum circensium initium saepe factum est pompa, de qua Dionys. Hal. 7, 72, Appian. bell. ciu. 2, 101, Ou. am. 3, 2; sed quorum ludorum et qua de causa, exploratum non est. Ex iis, quos Ouidius describit, Megalenses pompam habuisse affirmat IV Id. Apr. 4, 391: de Cerealibus minime id sane demonstrat Varro de r. r. 1, 2, ubi *illud ouum* commemorat, *quod in Cereali pompa solet esse primum*, omnium tamen maxime probabile est, cum in ipsas ferias Cereris inciderint circenses. Cerealibus equos certauisse testatur etiam Dio Cass. 47, 40: *καὶ οἱ ἀγορανόμοι τοῦ πλήθους ὁπλομαχίας ἀγῶνας ἀντὶ τῆς ἱπποδρομίας τῇ Δήμητρι ἐπετέλεσαν*: uulpecularum illud spectaculum, de quo Ouid. u. 681 sq., certe fuit uenatio uel post, uel inter equorum cursus exhiberi solita, quemadmodum Bulengerus l. ind. docet. Aediles plebis ludorum Cereris curatores dici uidentur, quos Cerealium nomine C. Caesar quatuor antiquis addidit teste eodem Dione 43, 51: a quo inde tempore dubitari possit, an circenses Cereales in circo Flaminio editi sint. Verum cum hoc perincertum sit, illud certum est, me supra p. XX propter ista Dionis uerba Ciceronis locum in Verr. 2, 5, 14 perperam interpretatum esse de ludis Romanis ab aedilibus plebis edendis. Eo ex Ciceronis loco docemur Cereris et Liberi eosdem fuisse ludos: quos tamen olim separatim actos aut coniectat, aut traditum accepit Ouidius 3, 785, unicus quod sciam eius rei auctor. Vulpes olim ad Liberalia pertinuisse possit alicui in mentem uenire: de qua re, ut opinor, infra agetur.

Varro cum uetusto more ludos Romanorum cauea et circo diuideret, cfr. Cic. de legg. 2, 15, §. 38, gladiatorios accensuisse circensibus uidetur. Quorum, ut Varroniano dicam ordine, curatores legitimi erant praetores, uid. Dion. Cass. 54, 2; 55, 31; 56, 25; 59, 14: locus forum, uid. Lipsium saturn. 1, 17, posthac amphitheatra, inprimis, puto, Statilianum, Dio 51, 23: tempus statutum secundum Ouid. 3, 811, 813 Quinquatrus, et fortasse secundum Dionem 54, 2: *δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει*, alterum, quod ignoramus.

LIBER DECIMVS.

Fr. 1. August. de c. d. 1, 32: *Ludi scenici, spectacula turpitudinum — non hominum uitiis, sed deorum uestrorum iussis Romae instituti sunt. Dii propter sedandam corporum pestilentiam ludos sibi scenicos exhiberi iubebant.* — Id. ibid. 2, 8: *illos ludos — ipsos*

deos ut sibi solenniter ederentur et honori suo consecrarentur acerbe imperando et quodammodo extorquendo fecisse. — Nam ingrauescente pestilentia ludi scenici auctoritate pont. Romae primitus instituti sunt. — Id. ib. 3, 17: *inde in hac pestilentia scenicos ludos, aliam nouam pestem — intulerunt.* Vid. Liu. 7 init.

2. Macrob. sat. 6, 4 med.: *cum Varro rerum diuinarum libro decimo dixerit: nonnullis magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum.*

3. Seru. ad Aen. 10, 894: *unde et pueri quos in ludis uidemus ea parte qua cernunt stantes cernui uocantur, ut etiam Varro in ludis theatralibus docet.* Cfr. Non. p. 20 s. u. *Cernuus.*

Locos Augustini a Varrone non esse alienos uidetur cognosci ex eo quod initio libri 4 de c. d. legis: *Haec — probauimus — partim ex litteris eorum, qui non tanquam in contumeliam, sed tanquam in honorem deorum suorum ista conscripta posteris reliquerunt; ita ut uir doctissimus apud eos Varro* caet. Verba a Macrobio seruata fortassis ad ipsum *scenae* nomen explicandum illustrandumue pertinuerunt, quem ad modum apud Seruium est ad Aen. 1, 164: *Et dicta scena ἀπὸ τῆς σκιᾶς: apud antiquos enim theatralis scena parietem non habebat, sed de frondibus umbracula quaerebant.* Fragm. 3 siue ita scribendum est, siue rectius est *libris theatralibus* quod a Burmanno annotatur, possit etiam ad unum ex libris, qui laudantur a Charisio *de originibus scenicis, de actionibus scenicis, de actione scenica* spectare.

Ouidii hoc loco commemorandi sunt trini ludi scenici, Megalesiaci Cereales Florales; alios enim indicare non potuit. Quamquam Cereales scenicos fuisse non habeo, qui doceam, nisi ex eo, quod coniuncti fuerunt Liberalibus, uid. Ou. lib. 3, 786, Cic. Verr. 2, 5, 14, Liberalia autem non tantum scenici secundum Tertulliani locum, quem supra posui p. VIII, sed etiam scenicorum omnium origo secundum Seruium ad ge. 2, 381. De Megalesiacis res longe est exploratissima: ipse Naso 4, 326 cum Callimacho fr. 442 Bl. ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω inquit et utitur notissimae alicuius fabulae, uel tralaticii argumenti testimonio. Idem facit Arnobius 4, 35 et 5, 42. Attinem cantauisse Neronem tradit Dio Cass. 61, 20. Floralium ludorum insignis fuit licentia, Ou. 4, 946; 5, 183, notata a Catone utroque grauiter, uid. Muell. ad Fest. p. 144, 10, interpp. ad Valer. Max. 2, 10, 8, a patribus christianis frequenter, Arnob. 3, 23; 7, 33. Lactant. 1, 20, Minuc. Fel. 25, August. 2, 26. Crediderim mimos potissimum, *obscaena iocantes, turpia imitantes,* Ou. tr. 2, 497, 515, *Lentulorum et Hostiliorum uenustates,* ut ait Tertull. adu. gent. c. 15,

tunc actos esse. De *luminibus* quae codex perbonus Ouidii 5, 364 *tribus diebus* affuisse tradit, locus est insignis Dionis Cassii 58, 19, unde tamen cognosci nequit ludisne scenicis, an circensibus, an utrisque ille mos peculiaris fuerit. Maxima est difficultas, immo maxima mea ignorantia de locis, quibus hi ludi acti sunt. *Terna theatra* mense Aprili personuisse dicit Naso tr. 3, 12, 24. Sunt ea Pompeii, Balbi, Marcelli, de quibus adi Dion. Cass. 39, 38; 54, 25, 26. Locus Dionis quam faueat suspicioni cunctis his simul spectacula fuisse, nescio, ac sunt quaedam non grauissima quidem, sed tamen memorabilia, quae magis etiam rem conturbent. Auctor orationis de haruspicum responsis c. 12, p. 340 W. dicit ludos Megalesiacos factos *in palatio ante templum in ipso matris deum conspectu:* de aeuo maiorum intellectum uix potuit uelle. Simile est quod de ludis Florae habet Augustinus c. d. 2, 26: *ante ipsum tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, uniuersi undique confluentes et ubi quisque poterat stantes* l u d o s *qui agebantur intentissimi spectabamus intuentes alternante conspectu hinc meretriciam pompam, illinc uirginem deam, illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari: non ibi pudibundos magis, nullam uerecundiorem* s c e n i c a m *uidimus.*

LIBER VNDECIMVS.

* Fr. 1. Non. Marc. p. 194, 17: *Varro rerum diuinarum lib. XI: Tragita uincula baltea sunt.*

* 2. Id. p. 220, 22: *Varro rerum diuinarum lib. XI: Prosiciem extorum uel in mensam porrigere.* Cfr. Muell. ad Paul. p. 225, 15. Fest. p. 157, 26 dext. 158, 18 sin. 329, 30 sin.

Ex tam paucis uerbis de argumento libri colligi nihil potest. Aliud quod huc pertinere potuisset apud Diomedem 3, p. 484 P., ex 1, 2, 18 de re rust. esse uidetur. Consecrantur igitur numina apud Cicer. de legg. 2, 11, quemadmodum apud Ouidium sacrantur 6, 201, dedicantur 6, 631, uouentur 1, 642: de eo genere est Fornax 2, 523, Salus 3, 879, Libertas 4, 623, Tempestas 6, 193, Mens 6, 241. Consecrantur homines inter deos superos: Quirinus 2, 496, Diuus Iulius 2, 144; 3, 703, ne de Anna Perenna, Matuta, Castoribus, aliis dicam. Deos manes ludis funebribus consecrari Varro docuisse uidetur, uid. August. c. d. 8, 26: *tanquam hoc sit maximum diuinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari*, et Plutarch. quaest. Ro. p. 82 Reisk.: *ὥς φησι Βάῤῥων — καύσαντες τοὺς γονεῖς ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσιν.*

Alio modo consecratur Mamurius 3, 390, quem locum ex Ouidii sententia rectissime credo exposuisse Vossium de idolol. 1, p. 50: alio Galli Matris Magnae, uid. Seru. ad Aen. 4, 558. Consecrantur denique res teste Aelio Gallo apud Fest. p. 321, 3 sin. *siue aedis, siue ara, siue signum, siue locus, siue pecunia, siue quid aliud.* De aedibus memini disserere Vaassen. anim. p. 100—107: pecuniam commemorat Ou. 5, 291. Pertinent huc quaecunque ad sacrificia adhibentur, mola salsa cum uulgaris, uid. Fest. p. 141, 31, Arnob. 5, 2, Seru. ad Aen. 2, 133, tum altera illa, de qua Seru. ad ecl. 8, 82, fabae Lemuralium et Parentalium, de quibus Varro apud Non. p. 335, 16, Paul. p. 87, 13, Laur. Lydus suo loco, hedera Bacchi, myrtus Veneris, infinita alia. Inprimis uero pertinent quaecunque in sacris incenduntur, immolantur, pollucentur, ut ait Tertullianus, quorum causas et discrimen recte tradit Seruius ad ge. 2, 380, Aen. 3, 118 similitudinem aut dissimilitudinem. Vtraque quot uicissitudines admittat, argumento sunt apud Ouidium 2, 676 *maena* diuae *Maniae* *διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος οἰκειότητα* consecrata, quem ad modum *τρίγλη* Hecatae *τριμόρφῳ*, tum rutila canis Robigalibus 4, 941. Nescio an illam rationem Verrius spectauerit, ex cuius opere originem ducunt Placidi glossae p. 436 M., ubi inter agonias hostiae ab hostiendo *aequae* dicuntur, alio quidem modo, atque apud Seru. Aen. 2, 156. Totum eum locum de agoniis iuris pontificii salebris data opera relictis complexus est poeta 1, 321—458. De ordine uersuum 323—331 proferenda est Io. Schraderi acutissimi uiri sententia, quam ab eius ore a nescio quo exceptam inueni in uolumine quodam bibliothecae Gothanae ducalis, tum in schedis eius autographis Berolinensibus. Duplicem ob causam, quia in Heinsiana recensione uu. 329, 330 uerbo finito carent, tum quia uersus 331 inepte iungatur proximo superiori, nec satis id enunciet, quo opus sit, uersus 325, 326 transponendos censebat post u. 330: omnia tunc recte fore. Prius incommodum defugi una cum codicum non optimorum auctoritate, alterum argumentum per est subtile, sed caret eo pondere, quod ille accedere opinabatur ex multorum codicum in ipso uersuum ordine inconstantia. Proxima ab aliis sunt explicata. Versus 345, 346 ob oculos habuisse uidetur Tertull. adu. Marcion. 1, p. 137 ed. Par.: *unus de sepibus flosculus, non dico de pratis.* Versum 349, quamquam ab aliis notatum est, moneo profectum uideri a Varronis de re rust. 2, 4 med. uerbis: *ab suillo enim pecoris genere immolandi initium primum sumptum uidetur, cuius uestigia* caet., quia ea ab octogenario Varrone repeti potuerunt ex hoc antiquitatum, in quo uersamur, libro. Eandem Varronis industriam nescio

quo modo referunt quae de capro Liberi patris hostia, u. 359, Seruius habet ad ge. 2, 384: *utres uero fiebant ad insultationem etiam mortuorum caprorum, ne quid ex his esset, quod non sentiret iniuriam:* quorum exta in uerubus colurnis, quod aeque uitibus inimicae coruli essent, torrebantur, ad ge. 2, 396. Proxima de Aristaeo et bouis sacrificio excerpta sunt ex Virgilii georg. libro quarto, nisi quod taurus apud Ouidium tellure obruitur. Versu 381 quid secundum libros non interpolatos ediderim, uides, nec de commoditate locutionis dubitabis. Consentius p. 2054 cum praecipit *pascere* iuuencam et *pasci* aeque recte, praeter hunc Ouidii locum Ennii uersum apud Paulum Diaconum p. 59, 5 et Martialis 9, 80, 2 potuit spectare. Temporum imparilitas in *pascit* et *carpsit* nolim displiceat. Ad u. 386 ascripsi locum Leontii p. 228 M. ubi *dea Celeritas Solis filia* dicitur. Genus illud sacrificii certe exul poeta memoriter ex Xenophontis anab. 4, 5, 35 repetiuit: doctiora habet Festus p. 181, sin. coll. Seruio ad ge. 1, 12. De cane immolato u. 389 praeter annotationem Neapolis poteris adire nostram ad trist. 1, 9, 19, tum Arnobium 4, 25 eiusque interpretes. Fabula Priapi aut Alexandrina est, de quo genere infra alicubi annotabitur, proditurque fortassis ea origo adiectiuo *corimbifer*, u. 393, quod apud Nonnum Callimachi imitatorem extat Dionys. 14, 310, aut, quod item exemplo non caret, ab Ouidio est excogitata et quasi attexta ueteri illi de Priapo et Lotide, de qua uid. met. 9, 347, Seru. ad ge. 2, 84. Eadem de Vesta et Priapo narratur libro sexto. Vtramque nouisse uidetur Arnobius 3, 10 et praesertim 5, 9. Dubium uix est, quin altero utro loco illam subtraxisset Ouidius, si carmen absoluisset: credo posteriori, sed non ideo, quia aut res aut oratio illic displiceat, quemadmodum Heinsius immerito 6, 340 culpabat usum uocis *apta*, quae uox in sacris et religionibus propria est, uid. Acro ad Hor. carm. 3, 8: *superis erat* aptior *alba uictima*, Seru. ad ge. 2, 395: *tunc enim est* aptum *sacrificium*, cfr. ad ge. 1, 350, Macrob. sat. 1, 17: apta *religione celebrare*. Videntur mihi haec ex uetustiori usu relicta et ad ipsum u. 1, 392 et 2, 514 facere. Est ea uox ex iis, quorum tenues parui discriminis umbras lexicographos omittere monet Huschkius ad Tib. 1, 6, 1. Vide, quid *aptum* dicatur apud Tib. 1, 4, 54, Prop. 5, 9, 50, Ou. fast. 1, 697; 5, 104, am. 2, 1, 36; 3, 4, 12. Versu 395 quod edidi non eget interpretatione multoque minus defensione. *Deos Lycaei* nec Schraderus intelligebat, qui essent praeter ipsos Panas u. 397. Hic uir superiori uersui de trietericis ascripserat uersum Virgilii Aen. 4, 303 ita a se tentatum: *nocturnusque* boat *clamore Cithaeron*. Versu 404 non agnosco necessitatem scribendi:

Miscendas parce, intelligo: *large agebat.* Non equidem alterum, si libri optimi haberent, molestum esset, quemadmodum si quis apud Tibullum 3, 6, 8 *pariter medicande* intelligere nelit de mixtione Graeca uini, ἴσον ἴσως ut est apud Athenaeum 10, 27: simplicissima eius loci interpretatio ex Ou. art. am. 1, 256 fugit Huschkium certe, alii enim ad manum non sunt interpretes; metuo ne occupata sit, *putida* non est. Proximum est columba sacrificium u. 451, ubi non dubitaui Heinsii ingeniosam coniecturam repraesentare, de qua Schraderus iuuenibus suis ita dictauit: *Aras quidem calidas proprie dici regerit Burmannus atque ideo uulgatam seruandam. Sed eiusmodi defensio friuola est et critico indigna. Non quaeritur, num calidi foci recte dici queant, quod nemo negauit, sed num huic loco conueniant, quod solida ratione negauit Heinsius.* Proximum est Isidis sacrificium u. 453, de quo annotatis ab Heinsio adiicies Pausaniam 10, 32, unde maxime intelliges cur *lauta* dicatur: θύουσι δὲ καὶ βοῦς καὶ ἐλάφους οἱ εὐδαιμονέστεροι, ὅσοι δὲ εἰσιν ἀποδέοντες πλούτῳ, καὶ χῆνας καὶ ὄρνιθας τὰς μελεαγρίδας. ὗσὶ δὲ ἐς τὴν θυσίαν οὐ νομίζουσιν οὐδὲ οἰσὶ χρῆσθαι καὶ αἰξίν. Consentit interpres Veronensis ad Aen. 2, 714. Postremo de gallo gallinaceo quod narratur u. 455, 56, difficillimum est explicatu: lubet differre aliquantisper in librum XIV aut XV quaestionem.

LIBER DVODECIMVS.

Fragm. Nonius p. 510, 2: *Varro rerum diuinarum*: *Etenim ut deos colere debet communitus ciuitas, sic singulae familiae debemus.*

Exempla dant Festus p. 242, 28 dext. *dies natales, operationes, denecales*, Tertullianus de idolol. p. 624 ed. Par.: *Circa officia uero priuatarum et communium solennitatum ut togae purae, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium nullum putem periculum.* Haec secundum Festum uidentur dicta fuisse *sacra propria*: de quibus fere Dio Cass. 57, 11: ὁ Τιβέριος τοῖς ἑταίροις — θύουσι συνεώρταζε. Alia uero sunt quae συγγενικὰ dicit Dionysius Hal. 2, 65, uelut gentis Claudiae *propudianus porcus*, Fest. p. 238, 17 dext.

Ad Ouidium festino. Domesticum aliquod sacrificium 2, 23 indicari uidetur, codicum tamen scripturae uocis postremae metuo ut explicari possint. Siue emendandum est *uersis*, quod recedit longius a librorum auctoritate et tueri se potest Senecae fragmento apud Diomedem 1, p. 375 P., siue legendum *ternus*, quod in codicis Mallersdorfiani praeclari scriptura, qualem aliis in locis obseruaui,

addito superne *s*, nix differt ab eo, quod illic clare scriptum habet *fernis*, sed in quo usum singularis numeri exemplis astruere non possum: rem credo intelligendam, de qua ex Varrone refert Augustinus de c. d. 6, 9: *Tamen mulieri foetae post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Siluanus deus per noctem ingrediatur et uexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deuerrere scopis.* Adde Paulum Diaconum p. 78, 1: *Nam exuerrae sunt purgatio quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quae fit per euerriatorem certo genere scoparum adhibito ab extra uerrendo dictarum.* Purgationem siue februationem utrobique credo agnosci. De lictore flaminio supra p. cxv breuiter annotaui.

Aliud sacrum priuatum, quod temporis decursu tantumnon publicum factum est, fuit Veneris Kalendis Aprilibus, de quo supra p. cxxxvii et p. cxl dictum est: sed restat locus Laur. Lydi 4, 45 p. 218 Rö., qui egregie illustrat quae de Fortuna Virili Verrius, de Venere Verticordia Ouidius habent: *Ταῖς τοίνυν καλένδαις Ἀπριλίαις αἱ σεμναὶ γυναικῶν ὑπὲρ ὁμονοίας καὶ βίου σώφρονος ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην· αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι.* Balneas matronarum idem describit 4, 24 p. 178, *τόπους ἡσυχίους ἔξω τοῦ πλήθους, οὓς ἔτι καὶ νῦν ματρωνίκια καλοῦσιν.* Hoc igitur est, quod Verrius teste Macrobio 1, 12, p. 177 testatus est postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent Kalendis Aprilibus, quod priuato cultu Venus coniungi coeperat cum Fortuna Virili, cuius nec ipsum publicum sacrum existimasse uidetur, cum tabula Praen. *frequenter* mulieres supplicare ei scripserit.

LIBER TERTIVS DECIMVS.

Fr. 1. Plutarchus quaest. Ro. p. 150 Reisk. *Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ γιγνομένης θυσίας ἄλλον οὐδένα θεῶν ὀνομάζουσιν, οὐδὲ φαίνεται κύων ἐντὸς τῶν περιβόλων; ὡς Βάῤῥων ἱστόρηκεν.*

2. August. c. d. 3, 9: *Nam quid ille molitus sit et quibus artibus deos tales sibi uel ciuitati consociare potuerit, Varro prodit.*

Loquitur Augustinus de sacris Iouis Elicii: credibile est de his hoc in libro egisse Varronem. Eorundem originem narrat Arnobius initio libri quinti praemissis inter alia his uerbis: *Quae si uobis uiderentur ineptiarum talium fabulae, neque in usu retineretis quaedam suo, neque per cursus annuos laetitias exerceretis ut festas, ne-*

que ut rerum simulacra gestarum sacrorum conseruaretis in ritibus, ex quibus tam multis unum interim ponam. Si quid ergo huic fidei est, in ritu sacri quod ad aram Iouis Elicii in Auentino monte fiebat, fabellae notissimae memoria conseruata est, actum est aliquid eorum, quae Ouidium ex Valerio Antiate retulisse supra intelleximus. Idem de pluribus sacris disertius tradit Tertull. ad nat. 2, 7 sub fin. Eam ob causam suspicor poetam nostrum nonnunquam fabularum quas narrat quasi fundamentum habuisse ipsarum ueterum cerimoniarum enarrationem fortassis Varronianam. Non id improbabile puto in causa illa, cur Faunus uestes oderit 2, 305—358. Lydus inter sacra Herculis Victoris III Non. Apr. commemorat, de mens. 4, 46, p. 220: *διὸ δὴ καὶ ἐν τοῖς τούτου μυστηρίοις τοὺς ἄῤῥενας γυναικείαις στολαῖς κοσμοῦσιν*, cfr. de magg. 3, 64: *ἀλλὰ καὶ τοὺς καλουμένους σάνδυκας —. Τοιούτῳ τὸν Ἡρακλέα χιτῶνι περιβαλοῦσα Ὀμφάλη ποτὲ αἰσχρῶς ἐρῶντα παρεθήλυνεν. Ταύτῃ καὶ Ἡρακλῆς Σάνδων ἀνηνέχθη* —. Sed aliquanto illustrius exemplum est in Anna Perenna 3, 677—694. Causa cur obscaenae cantilenae eius feriis usurpentur, redditur quod ea administra Mars non felicius Vulcano nuptias Mineruae expetiuerit. Illum uero eius deae procum non memini commemorari nisi in religionis eius, quam Ouidius 3, 393 sq. annotauit, explicatione apud Porphyr. ad Hor. epp. 2, 2, 209: *Maio mense religio est nubere et item Martio, in quo de nuptiis habito certamine a Minerua Mars uictus est: obtenta uirginitate Minerua Nerine est appellata.* Si infaustum illud tempus coepit ipsis Kalendis, uti assignificat Ouidius, desiit ergo fortassis in Tubilustrium X Kl' Apr., tunc enim *τιμὰς Ἄρεος καὶ Νερίνης* ascripsit Lydus de mens. 4, 42, p. 206, qua re iterum dissensio Ouidii et Verrii Flacci, de qua dixi supra p. XLII, conciliatur. Idibus ergo Martiis ex uulgari opinione etiamtum deperibat deam amator: manifestum est eam ipsam temporis conuenientiam causae fuisse, cur Anna ei negotio interponeretur. In Cereris sacris 4, 494, 555, 556 ipse poeta cerimoniam ad quam fabula pertineret indicauit. In Bacchi mellis inuentoris fabula 3, 735 quod est oblectamentum nascitur certe ex mimica et animali narrandi argutia: crederes poetam quia Liberalia urbana, ut infra dicetur, angustioribus finibus coercebantur, ad rusticos latinos sese applicuisse, de quibus Virgilius ge. 2, 396 sq. Aliud eiusmodi uide apud Neap. ad 4, 235 ex Plut. adu. Col. c. 33 fin. Denique quae 6, 523 de hospitio Carmentae et Matris Matutae proferuntur, nituntur fortasse nescio qua utriusque sacrorum coniunctione, cum utraque dea, Carmenta secundum ea, quae paulo inferius a nobis dicentur, Matuta uero a Strabone et Plinio notante

Muellero Etrusc. 2, p. 55 ann. 53, pro *Ἐλευθυΐᾳ* habita fuerit. Carmenta et Hercules num eo modo coniuncti fuerint sacro, quem ad modum fabula copulantur ab Ouidio 1, 583 et Dionysio Hal. 1, 40, an tantum Carmenta cum Euandro Graeca traditione, Euander cum Hercule uicinitate sacellorum prope portam Trigeminam, uid. Dionys. 1, 32, p. 89, 9 et c. 39, p. 100, 14, id in medio relinquo.

Pergo ad sacra non tecte a poeta indicata, sed data opera enarrata, quorum primum esto id genus, quod ferias non habuit adiunctas, eamque ob causam in fastis lapideis non comparet. De sacro Helerni 2, 67 quo usque coniectando progrediendum putaui, id feci supra p. CXLIX: audaciora scripsit Hartungus 2, 58, qui causam non reddidit, cur Lucaria cum mense Iulio clare indicentur in fastorum tabulis, quae restant, Februario mense praetermittantur. De ferali tempore eodem mense dixi supra p. XXXIX sq. Non poenitebit ad loci eius Ouidiani intellectum quaedam adiicere. Quod demonstratum ibam, dies nefastos ultra Idus Februarias et Lupercalia pertinuisse, id clarius, quam quos adhibui, testatur Plutarchus Rom. 21: *Τὰ δὲ Λουπερκάλια τῷ μὲν χρόνῳ δόξειεν ἂν εἶναι καθάρσια. δρᾶται γὰρ ἐν ἡμέραις ἀποφράσι τοῦ Φεβρουαρίου μηνός.* Ii uero dies religiosi a Kalendis decurrentes teste tabula Maffeana num omnes ferales dicti fuerint, an ab Idibus tantum eam appellationem admiserint, ualde fit dubium ex Laur. Lydi loco 4, 24, p. 176: *Εἰδοῖς Φεβρουαρίαις. ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας ἀπὸ ὥρας ἕκτης διὰ τὰς τῶν κατοιχομένων χοὰς τὰ ἱερὰ κατησφαλίζοντο, καὶ οἱ ἄρχοντες ἐν σχήματι ἰδιωτῶν προήεσαν ἄχρι τῆς πρὸ ὀκτὼ καλενδῶν Μαρτίων.* Postrema uerba, quibus Feralia innui ex sequentibus patet, errorem numeri continent. Reliqua si fidem merentur, uersus Ouidiani 557 sqq. pertinent ad populare Parentalium sacrum, nec discrepant a Ciceronis ad Att. loco. Dies autem nefasti fastorum Maff. antecedunt Parentalia, quem ad modum Parentalia Feralia proprie dicta. Dies quibus ancilia mouentur, a Liuio 37, 33 commemoratos, noluit Ouidius 3, 395 accuratius designare: infaustos nuptiis esse monet. *Τριακονθήμερον* nominat Polybius excerpt. legat. c. 23: id totum mensem Martium intelligi non est necesse propter interpretis Horatiani locum paulo superius positum, quo Maius et Martius menses nuptiis infausti dicebantur: Martio enim eius religionis terminum uidebamur deprehendere Tubilustrium, ferias *fortis deae*, Mineruae siue Nerinae, cuius cum Marte certamen *ἤχοις ὅπλων καὶ σάλπιγξι*, ut ait Lydus, Salii prosecuti fuerint. Dionysius Hal. 2, 70: *ἑορτὴ δὲ αὐτῶν ἐςι περὶ τὰ Παναθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ, δημοτελὴς ἐπὶ πολ-*

λὰς ἡμέρας ἀγομένῃ. Festus p. 329, 7 sin.: *Salios, quibus per omnis dies, ubicumque manent* caet., ubi uid. Muell. Dubium uix est, quin cum in fastis Praenestinis Tubilustrio assignentur feriae Martis, id eodem modo fiat, atque in tabula Vaticana XIV Kl' Apr. et prid. Id. Mart., significetque cerimoniam a publicis eorum dierum feriis diuersam adeo, ut uel fasti Herwartiani audiendi sint, qui VII Id., quo die nulla feriarum nota in ullis aliis est, ascribunt: *arma ancilia mouent*, et prid. Idus: *Mamuralia*, de qua re uide Röth. ad Lyd. 4, 36, p. 196. Nam quod tradit Varro de l. l. 5, 85 in comitio quotannis Salios salitauisse, id factum esse Quinquatribus docet fragmentum eius diei Praenestinum. Nec Kalendis ergo Martiis, quibus *ferias Martis* tradit tabula Verril, aliud quid in honorem Martis actum est, atque quod Ouidius u. 259 sq. summatim annotauit. Flaminicae in fine eius loci u. 397 longas sordes poeta indicere uidetur, ubi intelligendum illud quoque est, quod 6, 231 legitur. Sed inter dies Saliares eo castu opus erat XVII et XVI Kl' Apr. etiam propter cerimoniam Argeorum, uid. Gell. 10, 15, 30, quae redit prid. Id. Mai., nisi forte tunc quoque biduo actam indicare uoluit Dionys. Hal. 1, 38, p. 97, l. 3 R. Neutro loco feriarum nota in tabulis lapideis inuenitur. Ipsum sacrum 5, 621—652 ex Varronis potissimum sententia interpretatum esse Ouidium supra p. CIV ostendi. Pertinet ad eam sententiam et aliis exemplis, quae in promptu non habeo, a Varrone illustratum putauerim, quod Seruius habet ad Aen. 11, 186: *quia apud uarias gentes diuersa fuerunt genera sepulturae: inde est quod alii obruuntur, alii exuruntur, alii proprias remittuntur ad patrias.* Fortasse etiam non est dissimile quod Appianus narrat bell. ciu. 2, 39: τὸν Ἡρακλέα τὸ σῶμα (Ionii) θάψαντα ἐμβαλεῖν ἐς τὸ πέλαγος, ἵνα ἐπώνυμον αὐτοῦ γένοιτο. Necesse certe est illam quoque opinionem de prisco sepulturae genere niti aliquo more aliunde cognito, quemadmodum reliquae interpretationes ab Ouidio proditae, siue tres sunt, ut supra dixi, siue una tantum de sexagenariis duplici modo, aut oraculo illo de Aboriginibus, aut prouerbio illo ex collectione Sinniana illustrata. In uerbis Ouidianis u. 626 mendum Arnobio 2, 68 et Lactantio epit. 23 uetustius auxilio codicis Gottingensis, qui *Iouem* Dodonaeum suppeditat, sustuli. Proximus tamen uersus 626 minime uitio carere uidetur: *gentes*, quod uocabulum Ouidius u. 641 et 6, 202 aliter et ita usurpat, ut Varro de l. l. 5, 155 *nationes*, Appian. b. c. 2, 18 ἔθνη, de Pelasgis intelligi fortasse potest, quamquam obscurissime dictum est: *duo* uero corpora non mittebantur, sed aut uiginti quattuor, aut triginta, Varro de l. l. 7, 44, Dionys. 1, 38, cum Argeo-

rum sacraria fuisse uiginti septem testetur Varro l. l. 5, 45. Potest Ouidius in re adeo difficili numerum illum pleniorem Dionysii comparasse ac retulisse ad numerum curiarum aut tribuum scribendo: *quot corpora gentes*, h. e. φράτρας, curias, uid. Dionys. 1, 8, coll. Paul. Diac. p. 49, 4, aut uide Fest. p. 233, 25 dextr. et Niebuhr. hist. Ro. 1, p. 465. Hyperbaton foret idem quod metam. 3, 420 secundum bonos libros: *geminum ceu lumina sidus*. Postremo u. 661 in librorum scriptura agnoscis Ouidianam consuetudinem, am. 3, 1, 31; 6, 79. De Argeis uideo disputasse Clausenium in libro ingeniosissimo, cuius nunc demum compos sum factus, p. 934 sqq. In eo libro quantum post primam lectionem iudicare licet, saepius id fit, quod hoc quoque loco: interpretationem pulchre excogitatam cum probatum itur per argumenta, ne imago tantum sit, ea argumenta sunt doctiora quam ualidiora; doctrina uero ipsa illa Clausenii, quae tanta est, quanta in nullo, qui hoc litterarum genus attigimus, non solet ea, quae fuerunt apud Romanos, ab iis, quae credita sunt, discernere. Velut sacraria argeorum putat fuisse puteorum in argillacea terra: originatio admirabiliter astruitur: si quaeras, ubi Romae argillarum Cumanarum uestigia fuerint, indicatur solum Argiletum cum Iani Lautolis, quae coniectura, nec recte ut puto, coniunguntur, quamquam de ea re insigne glossema codicis Monacensis edidi ad fast. 6, 404. Deinde quod p. 941 indicatur Saturno ea sacra fieri, qui deus scilicet obscura in lucem proferat, id minime traditur usquam: nihil nisi sacrificii humani speciem grammatici spectauerunt, qui de Saturno in hac re narrarunt. Quae de superstitione illa communi disputantur, qua eo tempore, cum natatio in flumine incipit, fluuius de ponte placandus fuerit, p. 942, 943, aptissima sunt: sed tamen illud prouerbium de sexagenariis, de quo uide etiam Nonium p. 523, 21, quantum intelligam, aut sacri humani memoriam seruat, aut ex more comitiorum translatum est; non potest utroque modo uerum et uetustum esse, ut senes etiam in comitiis deo fluuiatili Petroniae amnis traditi fuerint, uti Clausenius uelit p. 944.

Venio ad ea sacra, quae cum feriis publicis coniuncta fuerunt. Maximum in his est momentum ad deorum quibus fiebant cognoscendas naturas, quae per uaria commenta saepe sunt obscuratae, uti proximis libris docebitur. Maximum etiam in hac re momentum saepe est in auctoritate Ouidii, quae sola aut antiquissima haud semel, sed interdum imperfecta extat. De Iani sacro Kal. Ian. 1, 127 tenue est indicium: reliquae cerimoniae ab ara et sacello seiunctae uix huc pertinent. Fuerunt eius prima Agonalia, de quibus uide

supra p. CXIV. De Iuturnalibus breuissimus est poeta 1, 463: celebrata ab iis dicit Seruius loco supra p. CXXV indicato, *qui artificium aqua exercent*, puta coquis, pistoribus, caet. Clausenius p. 709 nimis docte aquilices intelligit. Carmentae sacrificandi ritum tradit I, 627—634, unde discimus utrumque illum diem festum celebratum fuisse a praegnantibus. De alterno illo nomine u. 633, ita enim uelut in Iano 1, 129 accipiendum est et prope acceptum a Macrobio sat. 1, 7, p. 151, tum de omni deae prouincia postbac dicetur. Nunc manifestum est *pueros uirginesque* u. 628 nihil esse aliud, quam *partus* u. 623. Cum Ouidius supra nihil nisi fatidicum deae numen esse pronunciauerit, hic eius sententia uideri possit propter *carpenta* amissa et recuperata deae supplicari coeptum esse, quae simile nomen haberet, uota quae ei fierent non esse facta antequam matronae abortus uoluntarios fecissent; quod ridiculum foret; neque enim propter nomen, sed propter usum carpenta ad Carmentam pertinent, uid. Fest. p. 154, 13—19 dext. De moris ipsius initio uid. Fest. p. 245, 3 sin., a quo discedit Ou. fast. 6, 603 et a se ipso Verrius, si moris post intermissionem reducti et instituti sacri idem tempus consignauit in fastis Praenestinis, quod Ouidius traditum accepit, idque eius lemma, quod Fogginii culpa et nostra supra p. CXXI minus emendatum descripsimus, cum in addendis secundis uoluminis Fogginiani ita reddatur: HIC.DIES.DICITVR.INSTIT... ......SI.FID., caet., si id lemma, inquam, a Clausenio p. 884 recte suppletur A. Seruilio dictatore anni V. C. 322; Aemilium Mamercum anni 333 dictatorem Fogginius uolebat: nihilo commodius. Quod Clausenius putat Carmentae uota facta esse quia cuniculus ille, quo urbs capta sit, quasi pro utero, unde milites ederentur, habitus sit, inuenustum credo commentum, malim cogitare de *carmine* illo, quo ex urbibus hostium dei euocabantur teste Seruio ad Aen. 2, 244. Sed quod proximum annotat, apud Liuium 27, 37 pompam propter infantem prodigiosum natum non casu per Carmentalem portam duci, acutissime est obseruatum. Quae uu. 629, 630 monentur, sacri eius argumento optime conueniunt, quamquam in aliquot praeterea sacris ac sacellis idem obseruatum tradit Varro de l. l. 7, 84, cfr. Fest. p. 161, 3 sin. Quod ad uerba Ouidiana attinet, cum u. 622 comparabis Aug. de c. d. 7, 3: *et ideo his etiam praeesse quae ad substituendas homines pertinent*; u. 635 aegre fortasse feres blandam scripturam a me exterminatam, nec tamen poenitet factum. Num Idibus Ian. 1, 587 ueruex pro oue, uti dicebam p. CXIV, mactari consueuerit propter ferias Augustales, uid. p. LX, nescio. De sacro Concordiae 1, 637 nihil mihi innotuit. De sacri-

ficio quod indicatur 1, 671, uide p. CLV. Proximum est ritus sacrificandi indicium in Pacis feriis 1, 711, *frondes Actiacae*. Quamquam ea Pax plus uiginti annis post Actiam pugnam dedicata est, et quamquam Paulus Diac. p. 192, 4 habeat quod coniecturae *Actaeis* suffragetur, certum tamen est laurum intelligendam, cuius maior a cultu Palatini Apollinis usus fuit, ut conferri possit quod de *colocasiis* notat Seruius ad ecl. 4, 20. Pertinent huc quae doctissime annotauit Fr. Iacobus ad Mauilium 1, 11 in scriptione scholastica 1830 p. 9: *Somniabant quippe homines et Augusti aeuo et sub Neroniani imperii principio post finitum siderum decursum auream illam aetatem, naturae dona largissima, perpetuam mortalium pacem, morum honestatem, denique beatissima reditura otia —. Ea igitur pax intelligenda, quam u. sq. legimus.* Nam quantulum temporis intersit inter Nasonem et Mauilium memini aliquando me demonstrare. De sacrificio quod traditur 2, 69, 70, diuerso fortasse a sacro Helerni, nihil potui indagare. Nonis Febr. 2, 119 quid non actum sit, disputaui p. LXI. Faunus quomodo cultus sit Nonis Febr. 2, 193, non constat: de Nonis Decembribus testis est Horatius carm. 3, 18. Sequuntur Lupercalia, de quorum ritibus ea fere habet poeta 2, 265 sqq., quae aliunde et uulgo nota sunt: uide ergo Hartungum 2, p. 179. Vnum praetermissum est, de quo posthac exponetur, lupercorum Iuliorum ut fieret mentio. Marinus quidam siue Marianus lupercaliorum poeta et uersus eius iambici a Seruio et Philarygrio ad ecl. 1, 20 adhibentur. In uersu Ouidiano 274 audacter me fecisse fateor quod coniecturam recepi: uititur illa tamen in omnium emendatissimorum codicum scriptura, in Pausaniae testimonio 8, 16, in eiusmodi nominum uariatione. Nam de Megara et Megaris res est notissima: Himera, non Himeram nuncupat Ouidius 4, 475, et eodem uersu Tauromenen secundum codicem fide dignissimum pro Tauromenio, Piraea plurali numero 4, 563: *Πελλήνη* Laconica urbs, uid. Schneider. ad Xen. hell. 7, 5, 9, apud Strabonem 8, 7, p. 224 est *τὰ Πέλλανα*. Ad uersum Ouidii 2, 295 ascripsi quem imitatus est in uoce *frondes*, Virg. Aen. 8, 318, et qui simile dixit Dionem Cass. 62, 5: *πᾶν δὲ δένδρον οἰκία*: minora abiicio. Quirinalium cerimoniam publicam nullam tradit Ouidius 2, 473—510, nec multum est quod apud Festum p. 217, 13 tradi uidetur. Versus Ouidii 2, 291 cum de solis defectione non uideatur agere, non eget Scaligeri defensione de emend. temp. l. 5, p. 395: solus Augustinus, sed is ualde ridicula cum argumentatione de c. d. 3, 14 plenilunium et solis defectum simul fuisse credidit. De Feralibus quae sequuntur 2, 567 post supra dicta nihil restat annotandum praeter etymologiae

Ouidianae uestigium apud Paulum Diaconum p. 11, 14. In Charistiis u. 629 cum scripturam auctoritate codicum mutarem, obuersabatur mihi locus Pauli Diac. p. 122, 3. Versus 635 scripturam nostram ut rotundiorem probabat Schraderus. Termini, quem ioculariter ad priscam precandi formulam *siue deus, siue dea*, Arnob. 3, 8, alloquitur Ouidius 2, 630, sacrum Dionysius Hal. 2, 74 docet, ut et Ouidius habet, publicum et populare fuisse: sed de publici loco, sacello ad uiam Laurentinam, supra p. CXXI nescio quomodo me fugerit testimonium Strabonis 5, p. 372 Tauchn. De uictima dissentit Ouidius a Dionysio. De Regifugio supra p. CLVIII et de Equiriis proxima legisti quae noui. Kalendis Martiis *matronales ferias*, quas dicit Tertullianus de idolol. p. 623 ed. Par., non plenissime enarrat Ouidius. Narrato Sabinarum raptu, et quemadmodum primum *gener atque socer diris concurrerint armis*, Martial. 9, 70, 3, tum interuentu matronarum et paruulorum fantium et infantium in gratiam redierint, qua in re uersum 224 tenerrimi affectus plenum non credo difficilem intellectu, nisi qui barbarus sit: hinc igitur concludit u. 229 eum ipsum diem, quo *primum*, i. e. olim id gestum fuerit, seruasse rei memoriam. Altera est suspicio u. 231—234 diem non traditum esse, sed electum data opera uel propter animosum matronarum factum, uel propter Iliam. Hinc particularum ratio intelligetur, quas mutaui. Sequitur quarta causa apud poetam u. 235—244, quae nisi fallor indidem sumpta est, unde haec Verrii apud Festum p. 372, 1 sin.: *Vernae, qui in uillis uere nati, quod tempus duce natura feturae est: et tunc rem diuinam instituerit Marti Numa Pompilius pacis concordiaeue obtinendae gratia inter Sabinos Romanosque, „ut uernae uiuerent neu uincerent." Romanos enim uernas appellabant, id est ibidem natos, quos uincere perniciosum arbitrium Sabinis, qui coniuncti erant cum P. R.* Huius lemmatis pars prior non male conuenit uerbis Ouidianis, inter quae de *militia partus* conferes heroid. 11, 48: *Et rudis ad partus et noua miles eram*; Manil. 2, 20: *Militiamque soli*; eund. 4, 404: *Luxuriae quoque militia est*. Altera pars agit de ritu sacro ultimae antiquitatis. Vix putauerim Ouidii aetate aut per matronas, aut per sacerdotes alios, quam Salios Marti Kalendis Martiis quicquam rei diuinae publice factum: *feriae Martis* in tabula Praenestina annotatae quid significent, supra coniecturam posui: quod Ouidius dicit u. 251 matrum, siue corrigendum est, quod propemodum puto, matris eum turbam frequentare, intelligi licet de mensis eius principio. Neque tamen est negandum in uita domestica multa de ueteri sacro remansisse, inprimis quod Macrobius tradit sat, 1, 12,

p. 170, seruis coenas apposuisse matronas, quodque apud Lydum de mens. 3, 15 p. 114 uerbis: δι' Ἄρεος τιμὴν δουλεύουσι τοῖς ἄρρεσι τῶν οἰκετῶν διὰ τὴν κρείττονα φύσιν et comparatione facta cum Saturnalibus, ubi τοῖς ἑαυτῶν δούλοις ἐδούλευον ὅπως μὴ ταῖς ἀληθείαις νεμεσητόν τι παθόντες εἰς δουλείαν πολεμίων καταπέσωσιν, ita profertur, ut indoctioris paulo grammatici interpretatio sacri illius pro uernis olim facti uideatur. Alio modo a ueteri sacro pendet quod Acro et schol. Cruq. ad Hor. carm. 3, 8, 1 tradunt: *Kalendis Martiis Matronalia dicebantur eo quod mariti pro conseruatione coniugii supplicabant.* De munusculis eo die missis uide Hartungum 2, 65. De γλυκέσι πόμασί τε καὶ σιτίοις quae Lydus tradit 4, 20 p. 186, dubito, utrum ad Matronalia posteriori mulieroso tempore non minus ad Kalendarum Ianuar., quam ad Saturnaliorum (uid. Foggin. p. 22), ut uidetur, exemplum exculta, an ad ferias Lucinae pertineant, de quarum peculiaribus cerimoniis ab Ouidio u. 253 — 258 commemoratis alteram supra attingebam p. CXXVII, alteram astruit Seruius ad Aen. 4, 518: *Iunonis Lucinae sacra non licet accedere nisi solutis nodis.* Templi auctorem Fogginius in add. alteris coniicit fuisse M. Albinum trib. mil., Liu. 6, 30. Ferias publicas propter initum ab Augusto pontificatum max. Ouidius 3, 415 — 428 celebrat. In iis uersibus prauas scripturas duas potissimum expuli, u. 418 *Cratera*, quia si is poni iubeatur in aede Vestae, absonum hoc est, sin in priuatis epulis, aeque bene codd. meliorum auctoritas, quod probum uerbum Virgilii et Ouidii ipsius est, conuenit titulo fastorum Praen.: pOPVLVS. CORONATVS. FERIATVS. Ludos pontificales hoc die quotannis editos ab Augusto putauit Fogginius p. 23. Turpis interpolatio insederat uersum 423, sine dubio ex Prop. 5, 4, 69 petita: si quis ergo ullus eorum librorum, qui illam suppeditant, uetustus est, nec Politiani coniectura placuit Naugerio, non ignotus fuit Propertius ante Pontanum; sed credo Heinsium de codice Vrsini falsum esse. Offensioni fuerat interpolatori et Heinsio, quod praeter Vestam, quam Troicam dictam saepissime loci demonstrabunt a Clausenio p. 923 ann. 1110 plenissime collecti, etiam Palladium innuitur. Postquam enim sacer ignis altero mense post acceptum pontificatum max. ab Augusto translatus est in palatium, restitit tamen etiam cum Palladio non translato in ueteri aede, uti praeter locum Ouidii trist. 3, 1, 29 docet Dionysius Hal. 1, 69: καὶ τὸ μεμυθευμένον Παλλάδιον, ὅ φασι τὰς ἱερὰς φυλάττειν παρθένους ἐν ναῷ κείμενον Ἑςίας, ἔνθα καὶ τὸ ἀθάνατον διασώζεται πῦρ —, coll. 2, 66, cum pontificatum Augusti significet 1, 70, p. 177, l. 7 — 10. Vestae ergo prid. Non.

Mart. res sacra fiebat, quia eo die eam *attigerit* Augustus, u. 425, hoc est eius curam susceperit, cfr. 6, 449, anno V. C. 741, uid. Dion. Cass. 54, 27; 55, 12. *Maluit* nero id munus *mereri*, n. 419, quam locutionem perperam acceptam ab Heinsio memini usurpari a Virgilio Aen. 8, 322 et illustrari a Theoph. Kiesslingio carissimo praeceptore meo ad nescio quem Taciti locum, quia designatus est cum primum a Diuo Iulio adoptaretur anno V. C. 710, uid. Dion. 44, 3: quod anno V. C. 718 Lepido succedere noluit teste Dione 49, 15, id huc non pertinet. In Vediouis feriis Nonis Mart. 3, 429 sq. nulla est apud Ouidium mentio humani sacrificii, de quo Gell. 5, 12, 12. De uerbis poetae nihil est, quod moneam, praeter quam de nersu 445. Possit in mentem uenire legendum: *farra colonis*, secundum Varronem de l. l. 5, 21: *Ab eo* colonis *locus communis* —. Nam profecto cur *colonae* magis, quam uiri eorum ea uoce utantur, non uideo: nec id nouasse librarium probabile est, nisi propter male acceptum scripturae compendium, cuius uetustatem intelliges si euolueris 4, 405 quae annotaui. Sed tamen non est ideo necessaria emendatio, quod *uescum* ad colonos non pertineat: uocabulum desuetum erat Virgilii et Ouidii aetate, uid. Philarg. ad ge. 3, 175, uoces uetustiores rustici retinuerunt, teste Seruio ad ge. 1, 120, ut mihi annotaui: non reperio id apud Burmannum, siue erraui in numero, siue apud recentiorem editorem extat, quo tunc utebar. Post Equiria altera, quorum interior cognitio aeque ac priorum impedita est, sequuntur feriae Annae Perennae inde a u. 523. Reticuit Ouidius partem eorum, quae Macrobius 1, 12 p. 169 et totum quod Lydus 4, 36, p. 195 tradunt, ille his uerbis: *Eodem quoque mense et publice et priuatim ad Annam Perennam sacrificatum itur, ut annare et perennare commode liceat,* hic loco ita interpungendo: *μεσομηνίαν. καὶ εὐχαὶ δημόσιαι ὑπὲρ τοῦ ὑγιεινὸν γενέσθαι τὸν ἐνιαυτόν*, proxima enim neque num huc pertineant, neque quomodo emendanda sint, habeo dicere. Reliquas tamen cerimonias diligenter et genialiter Ouidius enarrat. Locum designat u. 525, quem strictius definit lapis Vaticanus: *uia Flaminia ad lapidem primum*, et *pomiferum nemus* appellat Martialis 4, 64, 17. Haec ipsa appellatio cultus ciuilis potissimi indicium habet, in quo plane nihil uideo quod Clausenii ambagibus de aquae mysteriis patrocinetur. Scaliger in annotatione ad Festum primum post ipsum poetam u. 654 eam interpretationis uiam instituerat. Re nera utraque apud Ouidium fabula u. 545—655 et u. 673—674 subdialis plebeculae commissatio astruitur. *Vescuntur in agris,* inquit u. 655, *Et celebrant largo seque diemque mero:* ita enim, uel, *remque diemque*, emendandum

censeo. Et u. 670 sq. liba diuiduntur, non sine Callimachi imitatione fr. 454: *Ἔκ τ' ἄρτους σιπύηθεν ἄλις κατέθηκεν ἑλοῦσα.* Potandi illa argutia u. 531 sq. non est quod illustretur locis Horatii et Martialis parum idoneis. Accessit illuc ludicrae actionis quoddam genus e theatris repetitum: eum in modum unde multa relata suspiceris, fuit mimus Laberii *Anna Perenna*, quem ipsum Ouidium imitatum esse coniectare licebit: aliquot ex eo uerba excerpsit Gellius 7, 16: *gubernium* dixerat quem Ouidius *moderatorem* u. 593 loco perdifficili, necdum, fateor, persanato. Sed maxime memorabile ad ea, quae de dea posthac dicenda erunt, illud est, quod de obscaenis cantilenis Ouidius u. 675, 695, et de impudicis rebus, *uirgineo cruore*, si scriptura constat, Martialis l. ind. tradunt. Nemo sanus apud Ouidium *coeunt* u. 676 in hanc partem intelliget: cacemphaton imprudenti excidit ut 5, 617 et alias. *Certa* probra accipio ut *certos hinnitus* met. 2, 668, *certum furorem* Pont. 2, 1, 11: potest tamen etiam aliter. Liberalibus 3, 713 sqq. iterum reticuit Ouidius sacrum publicum eiusque rationem, de qua nec alibi quicquam legi. Seruius ad ecl. 5, 29: *Hoc aperte ad Caesarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam,* nescio quantum fidei mereatur. Toga libera eo die sumi solita non attinet ad sacrum publicum, uix adeo illud, quod de anibus Liberi sacerdotibus cum libis et foculo per oppidum sedentibus Varro habet l. l. 6, 14, quo referendus est Tertullianus apolog. c. 42: *non in publico Liberalibus discumbo,* et unde explicandus poeta u. 761—767. Peculiaris, nisi fallor, Romanis superstitio dulcia consecrandi Libero, quae inimica sunt uino, uid. Macrob. sat. 7, 7, sed cuius uestigium extat in sacris Bonae deae, cum uas uinarium mellarium nuncupatur, Macr. 1, 12, p. 172. Festi lemma p. 318, 23 sin. non spectare ad Liberalia, uti Scaligero uisum, recte assecutus est Muellerus. De Liberalibus rusticis Seruii locum supra indicabam; alterum Augustini cum uberiore de his sacris disputatione inuenies infra libro de deis selectis. Quae Ouidius inde a uersu 727 narrat de omni ritu sacrificiorum a Libero commento, uti loquitur u. 785 (et secundum eum Tertull. adu. Marcionem 2 p. 149 Par: *quod prius domicilium homini commentata* (l. *commenta*) *est*), ea ipse poeta mihi commentus esse uidetur ex ritu illo positis foculis sacrificandi, ex suffimentorum patria, ex graeco *θριάμβου* significatu, de quo uide Rötheri annotationem ad Lyd. de mens. p. 4: eum enim graecum significatum cum romano ita conciliauerunt, si quid suspicor, poetae Ouidio paulo uetustiores, ut thriumphari dicerent quae a furentibus bacchis expugnarentur: bouem si lacerarunt, id genus

aliquod animalis sacrificii fuisse interpretatur poeta u. 732. In hunc modum emendandus est locus metam. 11, 22: *Maenades Orphei titulum rapuere triumphi:* nam quod legitur: *theatri*, ineptum est: Planudes uerum legit, eadem scripturae diversitas extat fast. 5, 189: de titulis triumphi lege trist. 4, 2, 20. Quinquatruum quoque publicum sacrum nullum commemorat poeta, priuatas cerimonias plurimas, de quibus certatim annotauerunt interpretes: ad uersum 833 referes Festum p. 333, 19 sin. De Tubilustrio u. 849 paulo plura, quam Ouidius, annotauit Verrius in tabula Praenestina, quorum fructuosa est interpretatio Fogginii, quem adibis collato Clausenio p. 1240 sqq. De reliquis mensis Martii sacris remitto te ad ea, quae dicta sunt supra p. XLII, XLIII. Kalendis Aprilibus, ut supra dicebam, nihil publici sacri agnoscit Verrius: at poeta quae 4, 135—138 de lauatione Veneris habet, ubi de *redimiculis* euolues Festum p. 273, 12 sin. et 265, 3 sin., ad rem diuinam publice in templo aliquo factam referenda sine dubio sunt. Non habeo, quomodo eam differentiam interpreter, nisi forte putandum est ad fanum nescio quod Veneris ex eorum numero, *in quibus lectisternium maiorem partem anni fieri* solitum tradit Liuius 36, 1 illo die frequenter affuisse mulieres Romanas, et lectisternia cum lauatione coniuncta fuisse. Ad priuatas eius diei cerimonias adde quod apud Ou. art. am. 1, 405, 406 legis de utrisque, Martiis et Aprilibus, Kalendis. In sacris Magnae matris multa cautione opus est, ne Ouidium interpretemur ad posteriorum scriptorum testimonia. Locus Herodiani 1, 10, 5, quem quia Neapolis primus adhibuit, uidebis apud ipsum, Macrobius sat. 1, 21, p. 210 de Hilariis a. d. VIII Kl' Apr., quae ad Megalensia sine dubio pertinent, Augustinus c. d. 2, 4: *Caelesti uirgini et Berecyntiae matri deorum omnium ante eius lecticam die solenni lauationis eius talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis* —, Tertullianus adu. gent. c. 24: *M. Aurelio apud Sirmium reip. exempto die XVI Kl' April. archigallus ille sanctissimus die IX Kal. earundem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat, pro salute imperatoris Marci iam interempti solita aeque imperia mandauit*, Lydus de mens. 4, 41, p. 206: *Τῇ πρὸ δεκαμιᾶς καλενδῶν Ἀπριλίων δένδρον πίτυς παρὰ τῶν δενδροφόρων ἐφέρετο ἐν τῷ παλατίῳ*, quicum conferendum puto Arnob. 5, 7 med., 16, denique multa quae idem Arnobius 5, 16 et 42 tradit: haec, inquam, omnia demonstrare uidentur, quod ipse Lydus affirmat, imperatorum tempore aucta et mutata haec sacra esse. Quare nunc ualde dubito, num a lauatione exordium ceperint a. d. VI Kal. Apr. Ouidii aeuo, quod certatim docent interpretes Ar-

nobii 7, 32 et Fogginius p. 42, quodque supra p. CLI ipse credebam. Id genus testes non sunt admittendi, nisi ubi uerba Ouidii illustrant, u. 186 *exululata*, Seru. ad ge. 2, 394: *hymni uero matris deum ubique propriam h. e. graecam linguam requirunt*, u. 185, 243 *molles ministri*, August. c. d. 2, 7: *Galli abscinderentur, molles consecrarentur, insani secarentur*, ib. 7, 26: *de mollibus eidem Matri magnae consecratis*, u. 220: *primis turres urbibus dedit*, Lyd. 3, 34 p. 128: *πόλεως ἐςι καταρχτική*. De u. 353 uide Gellium apud Heinsium, neue puta proximum medela egere: Burmannus ascribere poterat Virg. ge. 2, 372, Stat. silu. 4, 6, 9. Ad uu. 367—372 utilis est Arnobius, si modo et hic fide dignus, 5, 16: *quid temperatus ab alimonio panis, cui rei nomen dedistis castus? nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge uiolentia maeroris abstinuit?* — Sed interpretationis Ouidianae fundamentum erit Varro apud Augustinum c. d. 7, 24 et fortassis in u. 363 idem apud Paul. Diac. 95, 13 et apud Lydum de magistr. 3, 74, nisi mauis Callimachum apud Plin. n. h. 31, 1, 5, Blomf. p. 206: deinde Dionys. Hal. 2, 19. Nihil necesse puto exscribere praeter haec Augustini: *quod sedes fingantur circa eam* et: *confictio leonum*, unde intelligitur in Ou. u. 215 simulacra leonum prope sedile siue tensam deae, quae gestabatur, u. 185, uix uehebatur, ut apud Seru. ad ge. 1, 163 est, esse cogitanda. Simili modo errauit Seruius ad Aen. 10, 220, Gallos motu capitis comam rotantes ululatu futura praenunciauisse: meminerat ariolorum Plautinorum capillum promittentium: Lucani tamen locus, quem apponit, facit ad Ouidii uersum 244. De Cerealibus agit Ouidius prid. Id. Apr., u. 619 et ducentis triginta qui antecedunt, nec intelligit ferias publicas Cerealiorum, sed ludos Cereales, cfr. Macrob. sat. 1, 4, p. 140. Cerealia in tabula Maffeana consignantur a. d. XIII Kl'. Albae igitur, u. 619, etiam ludorum diebus in usu erant, nihil necesse est ad sacrum eas pertinere solum. Credi possit anticipare Ouidium sacri mentionem uu. 407—416. Sed uidetur rusticum sacrificium innui neutri diei astrictum, de quo colonos etiam admonet Virgilius ge. 1, 339, fortassis Ambarualia, uti Seruius tradit. Publice auctoritate pontificum quid actum sit Cerealibus, reticet poeta, estque difficillimum de *lectisternio Cereris Idibus* apud Arnob. 7, 32, de *porca aurea et argentea* apud Festum p. 238, 11 dext. et si quae alia illuc pertinere potuerint, statuere. Quippe alterum fuit *sacrum anniuersarium Cereris*, h. e., ut puto, *annale*, ut Varro dixit de l. l. 6, 25, quod tantum certo mense concipiebatur. Eum mensem oportet fuisse Augustum, si recte Liuius 22, 56 et 34, 6 narrat intermissum, dum

M 2

triginta diebus matronae lugent eos, qui in Cannensi pugna a. d. IIII Non. Sextil., Gell. 5, 17 fin., occisi fuerant. Centum diebus luxisse uult Paul. Diac. p. 97, 4; id si constaret, crederem sacri mentionem excidisse apud Lydum mense Octobri 4, 85, p. 284: Valer. Max. 1, 1, 15 de Septembri testari uidetur. Hoc igitur matronarum sacrum, de quo loqui uidentur Cic. pro Balb. 24, 55, Seru. ad Aen. 4, 58, Arnob. 2, 73, aeque a feriis Cereris diuersum est, ac sacrum Bonae deae a feriis eius Kl' Mai., nec quicquam rei habet cum ludis Cereris. Namque hos cum nouem, non, ut sunt, octo dierum putaret Vaassenius animadu. p. 314 sq., acute tamen suspicatus est Ouidium met. 10, 431 sq. praeter albas et primitias frugum, de quibus nihil traditur in Thesmophoriis graecis, etiam nouem illas noctes transtulisse e castu Romano. Leuiusculum est quod de nucum sparsione XIII Kl' Mai. habet Festus p. 177, 20 dext. et rectius adhibuissem libro IX. De Fordicidiorum sacro, quod tam clare traditur ab Ouidio u. 634, 665 Telluri fieri, pudet quod supra p. CLVIII in eundem errorem incidi cum Laur. Lydo, qui de menss. 4, 49, p. 228 nec ipse Telluri, sed Cereri celebrata dicit. Scilicet uterque obliti eramus testibus Ouidio 1, 671 et Fabio Pictore apud Seruium ad ge. 1, 21 alterum etiam sacrum es... quod Telluri et Cereri exhibitum est, cuius ad ritum, Ou. 1, loci illi Arnobiani egregie collineant. Parilium ritus sollemnis a Ouidio proditur, accurate, ut uidetur, et simplicissime. Nihil aliud, quam duo haec uerba calendarii Farnesiani interpret... OVES. LVSTRANTVR. Mira sane res, cum Palem deam ar... torum et gregum omnium tutelam cum alii testes ueteres, tum ... pemodum ipse Ouidius scripserint. Sitne id explicandum ex ne... paupertate, coll. Virg. ecl. 10, 17, et inprimis uersus Ouidiani 191 emendata, quam reduxi, scriptura, nescio. Illud non cr... admittendum, quod Clausenius p. 882 sibi uisus est animaduertis... ideo lacte et milio rem sacram fieri, Ou. u. 743, 746, quia uit... hoc potissimum mense nascentibus secundum Palladium *tostum n... litumque milium cum lacte misceatur*. Nam tantumnon idem in a... quoque sacris usurpatum est, uid. Fest. p. 348, 19 sin. Refer... hoc inter argumenta, quibus probetur nominis Parilium originat... nem a pariendo fuisse uetustam: estque paulo grauius reliquis, qu..e nugatoria sunt. Tibulli uersum 2, 5, 91: *Et fetus matrona dabit* non necessario spectare ad Palilia docuit Huschkius: Festi locus p. 245, 31—34 dext. licenter suppletus ab Vrsino fuit: Ouidii uersibus 771 aut adeo 791 usus nemo est. Quare grammaticorum illa fuit opinio, quam sequuntur Dionys. Hal. 1, 88, p. 229, 3, Mar.

Victorinus p. 2470 P. et Paulus Diac. p. 222, 12, uel si cui uetustior illa nominis forma negotium facessebat: nulla ne priuata quidem superstitione subnixa fuisse uidetur, ut ad eam sacri partem respexerit Varro uerbis his a schol. Persii 1, 72 seruatis: *Palilia tam publica quam priuata sunt.* Priuatum sacrum non puto dici, ne eius quidem modi, de quo Festus p. 321, 11 sin., sed partim per Vestales, uti indicat Ouidius u. 640, 731, partim sine pontifice a priuatis confieri. Quod dixi uetustiorem formam *Parilia*, in eo egregium suffragatorem habeo Goettlingium, hist. reip. Ro. p. 168 ann. 4, qui docta coniectura Aprilis nomen inde repetit. Credibile est Cincium aut Caesarem abstersisse uocabulo aeruginem et emonuisse de analogia: libris Varronis manu scriptis si fides est, is manum scientiae inuisae prius dedit quam Cicero, cuius Philippicarum fragmentum traditur a schol. Persii l. ind.: *Palilia, quae nunc Parilia mutatis litteris dicimus, uel quod eo die condita Roma est, accensis manipulis, accenso faeno colitur.* Hic locus non dicitur inueniri in corpore Tulliano, uti nec alter, qui ex libro quarto enotatur a Nonio p. 373, 29. Non est otium inquirendi, ubi excidisse potuerit, et num pertinuerit ad uictoriam Caii Caesaris Hispaniensem, de qua disserui supra p. XXVI. De Vinalibus supra dictum est p. XLV sq. Vnum addendum est, quod ad has priores eius nominis ferias pertinere et uulgaris illius erroris argumentum continere uidetur: Plutarchus quaest. ro. c. 45 uini quandam uim effusam narrat τῶν Οὐενεραλίων τῇ ἑορτῇ. De canario sacrificio Robigalibus 4, uers. 906—910, 933—936 nihil est, quod annotatis ab Heinsio et Neapoli addatur, nisi forte ad u. 933 uerba Seruii ad Aen. 12, 169: *ideo magistratus et sacrificaturi togam praetextam habent et manus ablutas detergere lineis mantilibus curant.* In Vestae sacro IIII Kl' Mai., quod u. 953 laurus stare iubentur, sunt eae, quas πρὸ τῶν βασιλείων προτίθεσθαι ait Dio Cass. 53, 16, quaeque ramulorum forma in numis Augusti saepe exprimuntur. Fortassis eo die renouabantur, quemadmodum in prisca aede Kal. Martiis, Ou. 3, 141. Kal'. Mai. larum Praestitum cultus obsoleuerat. Bonae deae feriae propter templi dedicationem diuersas fuisse a sacro eius opertaneo, in quo Clodius deliquit, cognoscitur ex Cic. ep. ad Att. 1, 12 scripta Kal. Ian., nec, ut uidetur, de rebus semestribus. Ad ferias illas num referendum sit, quod Lydus 4, 52, p. 238 ait: πρώτη δὲ ἑορτὴ τοῦ Μαΐου παρὰ Ῥωμαίοις αἱ περὶ σεισμῶν ἱκεσίαι, nescio. Terram eo mense potissimum mouere idem Lydus de ostent. c. 18 affirmat: cur ob eam rem Faunae Fatuae, quae a fatiscendo nomen haberet, sacrificatum sit, Clausenius inter tot philosophemata p. 850

sqq. facillime inuenisset: Claudia quae commemoratur u. 155, si esset illa Magnae matris testimonio probata, uti uolunt interpretes et Clausenius p. 850, anno duodecimo post famam ab ea recuperatam *terra dies duodequadraginta mouit*, Liu. 35, 40. Sed eam Ouidius 4, 313, Liuius 29, 14, Macrobius sat. 2, 5, p. 237 matronam faciunt, non uirginem. Quare praestiterit uersus Ouidii 5, 155, 156 accipere de Claudia Vestali aliqua; unam eius nominis Valer. Max. 5, 4, 6 habet et terrae motum eius aetate consignauit Iul. Obsequens c. 86 (25), a. V. C. 620, c. 89 (27), a. V. C. 627. De Lemuralibus pleraque recte illustrauit Neapolis, Varronis quoque fragmento ex l. 1 de uita p. Ro. apud Non. p. 135, 16 adhibito: originatio nominis Ouidiana num indidem desumpta sit, ignoratur: leue eius rei indicium inuenies apud Seru. ad Aen. 1, 276: *Remo scilicet interempto — natam constat pestilentiam, unde consulta oracula dixerunt placandos esse manes fratris extincti.* Non Lemuria tunc instituta dicuntur: sed tamen pestilentia etiam Parentalia exacta sunt, Ou. 2, 547, 548, 553, ubi *suburbanos rogos* festiue interpretatur Hartungus 1, p. 55: *brannte des Nachts auf einmal die ganze Stadt wie ein einziger grofser Scheiterhaufen.* De sacris Martis Vltoris nihil comperi. De Idibus Maiis consentiunt Macrob. sat. 1, 12, p. 171: *hoc mense mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant*, et Lydus de mens. 4, 53, p. 244: *ηὔχοντο δὲ Μαίᾳ τε καὶ Ἑρμῇ οἱ πραγματευταὶ ἀκίνδυνα τὰ τῶν κερδῶν εἶναι*, ut eundem diem uideatur Varro innuisse apud Censorin. c. 22: *quod eo mense tam Romae quam extra in Latio res diuina Maio fiat et Mercurio.* Maiae ergo sus praegnans hoc die mactata est teste Macrobio l. ind. Huius sacri non meminit Ouidius: de aqua Mercurii uero quae commemorat, uidentur illustrari his Lydi uerbis p. 238: *καὶ ἔφορον δὲ τῶν ὑδάτων τὸν Ἑρμῆν εἶναι παραλαμβάνομεν, καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐν τοῖς αὐτοῦ* (hoc male reddit Röth. *in eius fanis*) *πηγαὶ ἀνατίθενται ἢ φρέατα ὀρύττεται.* Nonnihil de sacrificio Mercurii est apud Fest. p. 297, 15 dext. De Kalendis Iuniis fragmentum Varronis est apud Nonium p. 341, 29: *quod Kalendis Iuniis et publice et priuatim fauatam* (l. *fabaciam*) *pultem dis mactat.* Ibi quod dicitur *publice*, pertinet fortassis ad sacrum Iunonis in Capitolio, cui posthac Hadriani imperatoris tempore alium ritum additum commemorat Lydus 4, 57, p. 248. Nam toto mense rebus diuinis fabas adhibitas tradit Macrobius sat. 1, 12, p. 173, neque uidetur Ouidii aetate sacellum Carnae in Caelio monte, quod idem Macrobius nouit, superfuisse. Si superfuisset, sacri potius illic facti, quam Helerni u. 105 meminisset poeta,

quod longe sine dubio abfuit a Caelio monte, nec fortassis omnino attinebat ad Iunium mensem. Priuata religio u. 181, 182 quin eodem modo Carnae memoriam seruauerit, atque rustici nostri in simillima superstitione, non memini quo die, de *diua matre Holla* narrant, dubium uix est. Ad statum sacrificium Dii Fidii u. 213 sq. quodammodo referri poterunt Varro de l. l. 5, 66 et quos Muellerus annotauit. De sacris Vestae a. d. V Id. tria sunt, quae Ouidius tradit. Primum continetur uersibus 296—304: Vestae mitti patellas, quia olim epulae ante ipsam aedem institutae eum in modum libari consueuerint. Nam quamquam u. 300 *deos* quos innuat poeta, obscurius est, id tamen distichon non spectare ad morem priscum, quo Seruio teste ad Aen. 1, 636 *in atriis edebant sedentes*, liquet e proximo de Vacuna. *Aedes* igitur u. 296 dicuntur pro *aede* secundum Seruii obseruationem Aen. 2, 487: *numero plurali et de domibus et de templo*. Distichon 297, 298 difficile est intellectu, siue recte edidi, siue praestat: *inde precamur*, quod per libros licet. Coniectare in carminis parte non elaborata non ausim. Quoniam igitur nemo demonstrauit apud Romanos in precationum exordiis Vestam esse nuncupatam, credo Ouidium praeter uestibuli ueriloquium a Vesta, Seru. ad Aen. 2, 469, quod, prout libros sequeris, aut posuit, aut intelligi uoluit, meminisse etiam appellationis technicae, ut Pont. 2, 5, 68 *coloris* rhetorici. Cicero in oratore c. 15: *Vestibula nimirum honesta aditusque ad causam faciet illustres.* Eodem uocabulo significari potuerunt exordia precationum. De *patella* accurate scripsit Clausenius p. 632. Alterum est de feriis pistorum et asinorum u. 305, 311, 341. Causam, quam reddit poeta u. 307—312, paulo aliter profert Lydus de mens. 4, 59, p. 250: *διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους τὸν ἄρτον ἐν τοῖς ἱεροῖς τῆς Ἑστίας κατασκευάζειν.* Verum paniceis illis asinorum monilibus u. 305, 341, quae etiam in capite Octobris equi, nec a Sacrauiensibus solum, ut uidetur, usurpabantur, Paul. Diac. p. 220, 21, tantum non tribuerim. Non est probabile hanc Vestalium cerimoniam post annum demum V. C. 580 esse introductam: ante id uero tempus testibus iis, quos poteris inuenire apud Creuzer. antiq. Ro. §. 282 et Forcellin. s. u. *pistor*, hoc nomen ad panem coquendum nihil attinebat, solo pistrino continebatur, quae asinorum quoque prouincia est. Pistrini igitur tutela erat Vesta: neque id mirum, quando Vestales teste Seruio ecl. 8, 82 pinsunt ac molunt molam castam, sic dictam fortassis quia secundum Seru. Aen. 1, 179 *flamines farinam fermentatam contingere non licebat.* Num Iouis Pistoris feriae, u. 344, si modo in hunc diem inciderunt, id effecerint, ut *ἀρτοποιοὶ* quo-

que Vestam colerent, aliter quaeri non potest nisi addubitato Ouidii testimonio de eius arae consecratione u. 398, de qua adi Niebuhr. h. R. 2, p. 615. Tertia est cerimonia matronarum u. 391. *Processionem in nuditate pedum* dixit librarius ille supra p. LVII, nudipedalia ueteribus tribnens cum Tertulliano apolog. c. 40 et de ieiun. adu. psychicos sub finem. Clausenius p. 628 ipsum Vestae templum ita adiri solitum existimat. Quaestio est topographica: non credo Vestae aedem fnisse in ipso Velabro, sed matronas sollemni pompa, quemadmodnm Ouidius u. 399 et Lydns l. ind. indicant, circa aras *spatiantes* (Seru. ad Aen. 4, 62) denenisse in sacellum istud ad infimam nouam uiam, de qno dixi p. CLII. Matralibus qui ritus in publico sacro obtinuerunt, omnes ex Graecia allati uidentur. Ipsa liba u. 470, 476, 525, quae testnacia, ut alii notarunt, appellat Varro de l. l. 5, 106, innenio Epidauri usurpata fuisse apud Pausaniam 3, 23: *ἐς τοῦτο τὸ ὕδωρ ἐν τῇ ἑορτῇ τῆς Ἰνοῦς ἐμβάλλουσιν ἀλφίτων μάζας.* Alterum, quod famulae arcentur, u. 475, 545, praeter unam uapulantem, uti tradit Plutarchns Camill. c. 5 init., quaest. ro. c. 16, id eodem posteriori in loco testante ad Chaeronensium consuetudinem proxime accedit. Tertium de priuignorum cura u. 555 graecae fabnlae conuenit et uidetur a Plutarcho loco priori ad graecam cerimoniam referri. Idem ibidem addit: *καὶ δρῶσι περὶ τὴν θυσίαν ἃ ταῖς Διονύσου τροφοῖς καὶ τοῖς διὰ τὴν παλλακὴν πάθεσι τῆς Ἰνοῦς προσέοικεν*, unde cognoscitur Ouidium u. 483—509 non fabulam arcessiuisse, sed sacrum interpretatum esse: hac re illa nituntur, quae supra p. CLXVIII, CLXIX coniiciebam. Quintum simili coniectura commendauit Clausenius p. 876: coniunctum fuisse affirmat sacrum Fortunae et Matutae: pro sororibus habitas, Fortunam Primigeniam, Matutam fatidicam fuisse. Quae omnia non laudabili genere argumentationis nituntur: nihil meretur refelli praeter ultimum: si Albunea Seruio teste Aen. 7, 83 a quibusdam habita pro Leucothea, Matuta plerumque Leucothea dicta est, bilem mouere possit, qui ideo mauult Albnneam Matutae nomine impertire, quam de causa istius comparationis qnaerere, qnae posita est primum in nomine a colore ducto, deinde hydromantia, quam in graeco numine Pausanias loco paulo superius indicato prodidit. Illud tamen notabile est, quod Ouidius u. 620, 621 indicat, matronas et Seruianam Fortunam et Praenestinam excoluisse, uid. Cic. de diuin. 2, 41. Cfr. Clausen. p. 767, ann. 1416a. De Quinquatribus minoribus Id. Iun. praeter quod supra p. LXXXIV indicaui et quae Heinsius adiecit facillima inuentu, nihil est, quod annotetur, nisi de *toga* u. 648 testimonia Nonii p. 540, 31 et Seruii

ad Aen. 1, 282. De a. d. XVII Kl' Iul. uidebis Varr. de l. l. 6, 32, Fest. p. 258, 25 sin., p. 344, 13 dext., a quo tamen leuiter, ut in ea re decebat poetam, dissentit Ouidius. De Summani sacrificio u. 725 non multum est quod Festus p. 348, 5 dext. tradit. Supremum quod de sacrorum publicorum ritibus Ouidius prodidit, est u. 775 et 777.

LIBER QVARTVS DECIMVS.

Fr. 1. Seru. ad Aen. 8, 275: *Varro dicit deos alios esse, qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios, qui immortales ex hominibus facti sunt: et de his ipsis alios esse priuatos, alios communes: priuatos, quos unaquaeque gens colit, ut nos Faunum, Thebani Amphiaraum, Lacedaemonii Tyndareum* (Tertull. ad nat. 2, 7: *ut Mopsus Africanus et Boeotus Amphiaraus* ex emend. Gothofr.): *communes, quos uniuersi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem.*

2. Tertull. ad nat. 2, 9: *Nos uero bifariam Romanorum deos recognosci*[mus], *communes et proprios, id est, quos cum omnibus habent et quos* [ipsi] *sunt commenti. — Quare* [cum] *communes dei quam physico quam in mythico compre*[hendan]*tur —.*

3. Seru. ad Aen. 2, 141: *conscia numina ueri.*] *Bene medium tenuit: nam ea numina inuocans, quae sunt conscia numina ueritatis: quia et pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse: hos Varro certos* (ita ed. Burm.) *deos appellat.*

4. Seru. ad ge. 1, 21: *studium quibus arua tueri:*] *nomina haec numinum in indigitamentis inueniuntur, id est, in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationem ipsorum nominum continent: quae etiam Varro dicit, nam ut supra diximus nomina numinibus ex officiis constat imposita.*

5. August. de c. d. 6, 9: *Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numeros exorsus est a Iano* (Tertull. ad nat. 2, 11: *deus Conseuius quidam, qui consationibus concubitalibus praesit.* Aug. 7, 2: *Ibi est et Saturnus propter ipsum semen.*) *eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Naeniam deam* (Arnob. 4, 7, Fest. p. 161, 33 dext.) *quae in funeribus senum cantatur. —* Id. ib. 4, 11: *praesit nomine Liberi uirorum seminibus* (id. 7, 2: *qui marem effuso semine liberat*) *et nomine Liberae feminarum* (7, 2: *ut etiam ipsa emisso semine liberetur*; 7, 3: *Libera, quae Ceres seu Venus est feminis*): (Gellius 3, 16: *Varro — Parca, inquit, immutata littera una a partu no-*

minata: item Nona et Decima a partus tempestiuo tempore: cfr. Tertull. de anima c. 37 ed. Pamel.) *ipse sit Diespiter, qui partum perducat in diem* (Tertull. ad nat. 2, 11: *qui puerum perducat ad partum*): *ipse sit dea Mena* (cfr. 7, 2. Tert. ad nat. 2, 11: *Fluuionia quae infantem in utero* [nutriat]) *quam praefecerunt menstruis feminarum: ipse Lucina quae a parturientibus inuocetur:* (7, 2: *Vitumnus et Sentinus, quorum alter uitam, alter sensus puerperio largiantur,* cfr. Tertull. ad nat. 2, 11.) *ipse opem ferat nascentibus excipiens eos sinu terrae et uocetur Opis:* (Tert. de an. c. 37: *Partula, quae partum gubernet,* ad nat. 2, 11: *Candelifera quoniam ad candelae lumina pariebant:*) *ipse in uagitu os aperiat et uocetur deus Vaticanus* (Gell. 16, 17: *M. Varro in libris diuinarum —: nam sicut Aius, inquit, deus appellatus araque ei statuta est, quae est in infima noua uia, quod eo in loco diuinitus uox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent uocis humanae initia, quoniam pueri simul atque parti sunt, eam primam uocem edunt, quae prima in Vaticano syllaba est: iccirco uagire dicitur exprimente uerbo sonum uocis recentis.*): *ipse leuet de terra et uocetur dea Leuana: ipse cunas tueatur et uocetur dea Cunina* (Lactant. 1, 20: *quae — fascinum summouet*): — *ipse in deabus illis, quae fata nascentibus canunt et uocantur Carmentes* (uide proximo libro): — *in diua Rumina mammam paruulo inmulgeat — in diua Potina potionem ministret: in diua* (*Alemona* Tert. de an. c. 37.) *Edulica* (*Educa* 4, 34; 6, 9; *Edula* Tertull. ad nat. 2, 11) *escam praebeat: de pauore infantium Pauentia nuncupetur: — dea Iuuenta* (*nouorum togatorum* Tert. ad nat. 2, 11), *quae post praetextam excipiat iuuenilis aetatis exordia: ipse sit Fortuna Barbata* (cfr. Tert. l, ind.) *quae adultos barba induit.*

6. Aug. 4, 21: *diis nuptialibus, ut bene coniugarentur.* Id. 6, 9; *Cum mas et femina coniunguntur adhibetur deus Iugatinus:* (Tert. ad nat. 2, 11: *Afferenda est ab afferendis dotibus ordinata:*) — *domum est ducenda quae nubit, adhibetur deus Domiducus: ut in domo sit, adhibetur deus Domitius: ut maneat cum uiro, additur dea Manturna: — adest enim dea Virginensis et deus pater Subigus et dea mater Prema et dea Pertunda et Venus et Priapus* (cfr. 4, 11; *Mutunus Tutunus* Tert. ad nat. 2, 11). Cfr. Arnob. 4, 7.

7. Aug. 6, 9: *Deinde coepit deos alios ostendere, qui pertinent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quae sunt hominis, sicuti est uictus, uestitus et quaecunque alia quae huic uitae necessaria.* —

Id. 4, 8: *posuerunt Forculum foribus*, **Cardeam** *cardini*, *Limentinum* (*Limam* Arnob. 4, 8) *limini* (cfr. 6, 7, Tertull. de idol. p. 623). Arnob. 4, 3: *dea Panda uel Pantica*, 4, 6: *Lateranus*, *ut dicitis, deus est focorum.* — Aug. 4, 21: *diis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent et maxime ipsi diuae Fructiseae.* Id. 7, 23: **Telluri**, *Tellumoni, Altori, Rusori.* Id. 4, 8: *rura deae Rusinae, iuga montium deo Iugatino* (Arnob. 4, 9: *quis Montinum montium?*); *collibus deam Collatinam, uallibus Valloniam praefecerunt.* Ibidem est *dea Seia*, *Segetia* (6, 8: **Saturnus**, cfr. 18, 15), *Tutilina*, **Proserpina**, *Nodotus*, *Volutina*, *Patelena*, *Hostilina*, **Flora**, *Lacturcius* (Seru. ad ge. 1, 315: *Varro in libris diuinarum dicit Lactantem deum esse qui se infundit segetibus et eas facit lactescere*), *Matura*, *Runcina* (4, 21: *Spiniensis*, **Rubigo**, cfr. Seru. ad ge. 1, 151, Gell. 5, 12 fin.). Id. 4, 24: *Pomona*, *Bubona*, 4, 34: *Mellona*. Tertull. ad nat. 2, 9: *Sterculinus*. Arnobius 4, 7 et Seruius ad ge. 1, 21 multos alios deos huius commatis rusticanos habent. — Aug. 4, 21: *deo Catio patre, qui catos, id est acutos faceret*, — **Bellonae** *ut bene belligerarent, deae Victoriae ut uincerent, deo Honorino ut honorarentur, deae Pecuniae* (cfr. Arnob. 4, 9) *ut pecuniosi essent, deo Aesculano et filio eius Argentino — propter fessos diua Fessonia, propter hostes depellendos diua Pellonia — deo Statilino stantes, deae Adeonae adeuntes, Abeonae abeuntes, deae* **Menti** (cfr. 7, 3) *ut bonam haberent mentem, deo Volumno et deae Volumnae ut bona uellent* —. Id. 4, 11: *Praesit fortuitis uoceturque* **Fortuna** — *de spe, quae uenit, Venilia* (cfr. 7, 22: *Venilia, inquit, unda est quae ad littus uenit.* Interpp. Maii ad Aen. 10, 76: *Varro rerum diuinarum XIIII de dis certis:* **spes cum conciliata non frustra esset et euenisset ..... tantur, quam deam cum Neptuno coniungunt.** Tertull. ad nat. 2, 11: *spei Veniliam*), *de uoluptate Volupia, de actu Ageronia, de stimulis, quibus ad nimium actum homo impellitur, dea* **Stimula** *nominetur: Strenua* (cfr. Lyd. de mens. 4, 4, p. 152: *εἴς τιμὴν δαίμονός τινος οὕτω προσαγορευομένης, ἥτις ἔφορός ἐςι τῶν νικῶν*) *dea sit strenuum faciendo: Numeria, quae numerare doceat* (cfr. Non. p. 352, 32): **Camoena**, *quae canere: ipse sit deus* **Consus** (Arnob. 3, 23) *praebendo consilia, et dea Sentia sententias inspirando.* Id. 4, 8: *deae Cloacinae*, 4, 16: *deam Murciam* (cfr. Arnob. 4, 9), — *Quietem* (*Pausos* Arnob. 1, 28), 4, 20 *Virtutem — Fides — Pudicitia*, 7, 3: **Minerua**, *cui per ista minuta opera puerorum memoriam tribuerunt.* Tertull. ad nat. 2, 11: *ab effatu Farmus* — [praesta]n*tiae Praestitiam.* Arnob. 3, 25: *Vnctionibus, inquit, superest Vnxia*,

cingulorum Cinxia replicationi, Victa et Pota sanctissimae uictui potuique procurant, 4, 3: *Praestana*, 4, 7: *Peta*, *Orbona*, *Ossilago*, 4, 9: *deos Lucrios*, *Libentinam*, *Liburnum*.

8. Seru. ad Aen. 5, 45: *Sed Varro et Ateius contra sentiunt, dicentes diuos perpetuos, deos, qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt dii manes.*

9. De Aesculapio secundum Varronem agit Tertull. ad nat. 2, 14 extr. loco lacero nec facili ad resarciendum.

10. Seru. ad Aen. 8, 51: *sicut ait Varro: Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro?*

11. Seru. ad Aen. 8, 564: *Tunc enim, sicut et Varro dicit, omnes qui fecerant fortiter, Hercules uocabantur: licet eos primo XLIII enumerauerit.* Cfr. Tertull. ad nat. 2, 14.

12. Tertull. ad nat. 2, 8: *uel quos Varro ponit, Casiniensium De*[luen]*ti*[num], *Narniensium Visidianum*, *Athemensium* (l. Aternens.) *Numentinum, Faesulanorum Anchariam et quampraeuerint*(?), *Vulsiniensium Nortiam.* Cfr. apologet. c. 23.

13. Tertull. ad nat. 2, 9: *Si Faunus Pici filius in ius agitabatur mente captus, curari eum magis, quam consecrari decebat.*

14. Macrob. sat. 1, 12 p. 173: *Varro Fauni filiam esse tradit adeo pudicam, ut extra gynaeconitim nunquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec uirum unquam uiderit, nec a uiro uisa sit.* Cfr. Tertull. ad nat. 2, 9.

15. Seru. ad Aen. 12, 139: *Varro rerum diuinarum quarto decimo ait: Iuturna inter proprios deos nymphasque ponitur.*

16. De Acca Larentia secundum Varronem referunt Tertull. ad nat. 2, 10, August. c. d. 6, 7, ipsis eius uerbis, ut mihi uidetur, Macrobius sat. 1, 10.

17. Gell. 1, 18: *In quarto decimo rerum diuinarum libro M. Varro* — (uide sis ipse longiorem locum et alterum similem apud Gellium 3, 16 et tertium 15, 30.) *Sed in posteriore eiusdem libri parte dicit furem ex eo dictum, quod ueteres Romani furuum atrum appellauerint et fures per noctem, quae atra sit, facilius furentur.* Hoc idem est apud Nonium p. 50, 15.

18. Non. p. 480, 1: *Varro antiquitatum rerum diuinarum libro XIIII: Viri nuptiis sacrificabantur in cubiculo uiduae.*

Varronem a nescio quo antiquo memini *ubique expugnatorem religionis* appellari. Quod cum non uno accipi possit modo, cauendum est de interpretatione Varronis ingenio et statu indigna. Religio contemptim a leuibus ingeniis, inclementer haberi solet etiam

a grauioribus, quando certamen est contra seruitium eo inuolucro commendatum: neutrum in Varronem cadit. Restat igitur necessaria illa quandoque in ciuitate religionis refrigeratio et frigida fomenta philosophorum. Huic rei utrique Varronis aenum ualde affine fuisse non est, quod doceam. Ipsum duplex potissimum de deis iudicium usurpasse scimus. Stoicum aut Platonicum hierophantam egisse supra p. CVIII quae excerpsi, probant. Adde testimonium hoc Augustini 7, 28, quod ad quem librum referendum sit, ignoro: *Hinc etiam Samothracum nobilia mysteria in superiori libro sic interpretatur eaque se, quae nec suis nota sint, scribendo expositurum eisque missurum religiosissime pollicetur.* Altera fuit Euhemeri doctrina, quam ab eo nihilo segnius fuisse probatam constat. Festus p. 310, 22 dext. *Varro*, inquit, *et Euhemerus*. Arnobius 6, 6 *polyandriam Varronis* nuncupat. Augustinus de cons. eu. 1, 23, §. 33: *Numquid et Varro uel tanquam poeta fingit, uel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cuiusque eorum uita uel morte — esse composita?* Cfr. de c. d. 7, 18, Tertull. ad nat. 2, 13 in. Exemplum est apud Seru. ad Aen. 3, 578 de Gigantibus, quod item ubi extiterit, nescio. Neque enim ideo, quia de deis certis et incertis pro sua scilicet scientia aut inscientia Varro disseruerit et fr. 1, quod, uti opinor, licet huic libro attribuere, discrimen fecisse dicitur inter deos sempiternos et facticios, existimandum est hoc libro opiniones meras ipsius aut philosophorum aut Euhemeri enarratas fuisse. Eas si attigit, fecerit id eatenus oportet, quatenus ab ipso populo romano assumptae et usucaptae fuerunt. Namque ciuilem potissimum theologiam seiunctam a naturali exposuisse eum fidem faciunt uerba Augustini 6, 6: *hic enim dixit quid fieri debeat, illic quid fiat*; 6, 9: *ciuilem theologiam tam diligenter exponendo*; 7, 5: *quid opus erat ab ea* (naturali) *ciuilem tanta cura distinctionis abiungere?* — Post primum librum nonnisi quibusdam ultimi libri locis ad illam lucernam rediit, quantum intelligi potest. Dei facticii Euhemeri habent nonnihil commune cum theologia illa poetarum, quam ciuili adiunxisse sese testabatur Varro supra p. CIX, fr. 15: quamobrem huic generi interpretationis aliquanto plus fortassis indulgeri potuit. Sed tamen, uti dicebam, ab immoderata opinandi et coniectandi licentia temperari eo commodius poterat, quanto frequentiorem ipse cultus deorum ciuilis diligentia illa Varroniana perquirendus occasionem faciebat *scientiam*, ut ait, *ad opinionem aucupandi*. Potuit Varro neque transuerso digito discedere a iudicio popularium et tamen deos inducere natiuos aut factos, ut Tertull. ad nat. 2, 14 appellat. Natiui ita non erant Caelum et Terra,

neque sidera stoicorum, non Vulcanus, Neptunus, Sol, Luna, Iuppiter, alii, quos ipsum uulgus ex rerum natura nunquam non est interpretatum, sed de quibus alio libro Varro dixit. Numina certa sempiterna potuit sine dubio Libertatem, Virtutem, Fortunam, Felicitatem appellare: nam ex hominibus certe consecrata non sunt. Dei uero ad Euhemeri normam praeter quos Romani ab ipsis Graecis ea nota insignitos acceperunt, qua in re peringeniosa est Clausenii coniectura de Athenaide Sibyllinorum auctore p. 232, erant inprimis lares Romanorum, uide praeter fragm. 8 quae supra ima p. CLXIII indicaui. Denique licebit de diuisione deorum in certos, incertos, selectos ita existimare, ut licentiam omnem Varro procul habuerit, ut earum appellationum causa in argumento posita fuerit, ut certorum simplicissima fuerit et a selectis remotissima ratio, incertorum media inter utrosque, ut tres illi gradus temporis momentis discernantur. Causae aliquid fuit, cur antiquissimum deorum genus *certum* diceretur, et cur de eo genere ea traderentur, quae fr. 1 legis, quaeque in nullo alio genere eadem cum perspicuitate obseruari poterant. Antiquitas romana latina potissimum aut sabina fuit ex Varronis sententia, maxime in rebus diuinis, uid. de l. l. 5, 68, 74, 123. Ibidem dei Sabinorum recensentur *Mamers*, *Feronia*, *Mineruа*, *Hercules*, *Vesta*, *Salus*, *Fortuna*, *Fors* (?), *Fides*, deinde a Tatio rege consecrati *Ops*, *Flora* (cfr. 7, 45), *Vedius*, *Iuppiter*, *Saturnus*, *Sol*, *Luna*, *Vulcanus*, *Summanus*, *Larunda*, *Terminus*, *Quirinus*, *Vortumnus*, *Lares*, *Diana*, *Lucina*; addit Augustinus de c. d. 4, 23, incertum ex Varrone, an e Seneca (uid. 6, 10) *Cluacinam*. Horum posteriorum quosdam in utraque, sabina et latina, lingua radices habere ait Varro: sunt ii *Sol*, *Diana* (de l. l. 5, 68) *Lucina* (ib. 69), tum sine dubio *Iuppiter* siue *Diespiter* (de l. l. 5, 66), cfr. supra fr. 5, et *Saturnus*, cfr. fr. 5 et 7: de *Quirino* non opus est monere. His ergo ea parte detractis, qua similes sunt Latinorum deis, qui disertim traduntur a Romulo culti apud Aug. 4, 23: *Ianus*, *Iuppiter* (Fest. p. 194, 16 dext.), *Mars*, *Picus* (Aug. c. d. 18, 15), *Faunus* (Varr. de l. l. 7, 36), *Tiberinus* (Varr. de l. l. 5, 30), *Hercules*, intelligitur Sabinorum deos maximam partem nomina habuisse imposita, uti Tertull. de idolol. p. 623 ait, *inania atque conficta*, a rebus aeternis, quae usu ueniunt in uita communi, deos Latinorum solos habuisse fabulam quantumuis exilem et originem humanam, uelut Latinorum putauerim narrationem de Saturno quae infra est lib. XVI, fr. 5. Herculem nonnisi leuiter cohaerere cum illa familia infra intelliges, cuius eadem paene est ratio, atque Larium apud Sabinos. De reliquis memini Niebuhrium h. R. 1, 94

dicere: *die Deutung dieser Götter auf Könige ist das neuere*, uideo contra de Latinorum generationibus deorum disserere easque cum Euhemeri placitis quodammodo conferre Clausenium p. 835 sqq. eundemque p. 907 non probare, quominus deorum *Indigetum* in istum sensum interpretatio Varronis esse potuerit. Non est huius loci haec expendere accuratius: dicendum enim foret de numinibus multo pluribus. Quod ex iis, quae dicta sunt, euincitur hoc est, Varronem, si deos certos dixit quorum condicio ex quo consecrati sunt non est mutata, debuisse inde ab initiis reipublicae duplex illud genus deorum fr. 1 agnoscere, priusquam ulla Graecarum fabularum contagio incertos deos efficeret. Iam numina illa fr. 3—7 explicanda erant ex linguae latinae principiis, quamobrem testibus fragmenti 15 multa de etymologiae legibus monuisse uidetur. Hi dei num secundum fr. 3 in iis indigitamentis perscripti fuerint, quae *Pompiliana* nuncupat Arnobius 2, 73, nescio: fauet huic coniecturae locus Plinii nat. hist. 18, §. 7, 8: *Numa instituit —. Is et Fornacalia instituit farris torrendi ferias et aeque religiosas Terminis agrorum. Hos enim deos tunc maxime nouerant, Seiamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant* —, fauet deinde, quod simplicitas ista et perspicuitas, tum sollicita ista numinum per alia atque alia nomina tanquam rudi aliqua pictura descriptio conuenire uidetur illi aetati, ubi simulacra nulla diu erant, quae indicatur a Varrone lib. I. fr. 11 et definitur ab eodem apud August. c. d. 4, 31 annis plus quam centum et septuaginta ab V. C., cfr. Tertull. adu. gentes c. 25 et de idolol. init. Nec, ut opinor, quia saeculo demum quinto exeunte argentum signari coepit, ideo diuus Argentinus Aesculani f. fr. 7 coli antea non potuit, quantumuis Varro ciues suos, lib. I. fr. 16, de pecunia roganda docuerit. Verum cuiuscunque aetatis indigitamenta illa siue fuerunt, siue existimata sunt a Varrone, non ignorauit genus deorum, quod complectebantur, nouis consecrationibus per omnia deinceps saecula fuisse proseminatum. Factum est hoc Ouidii quoque aeuo: quamobrem exempla ab hoc petam. Sepositis iis deis minusculis, qui ad selectorum dignitatem euecti, aut ad incertos detrusi sunt, ex indigitamentorum tantum auctoritate colebantur qui fr. 7 traduntur *Consus* Ou. 3, 199, *Camenae* 3, 275, *Robigo* 4, 905, *Stimula* 6, 497: his enim nonnisi arae, Varr. de l. l. 6, 20, aut luci, schol. Iuuenal. sat. 3 p. 174 ed. Heinr., supra p. CLI, CLII, CLIII, dicantur. Accedat dea *Rumina* fr. 5, Plut. quaest. ro. 57, cuius sacellum sine dubio illud fuit Ou. 2, 410, uid. p. CXLIX sq. Namque publice culta illa numina fuisse affirmat Augustinus 4, 16: *his omnibus diis et deabus publica sacra*

facere susceperunt. Quam Varro et Ouidius Robiginem dixerunt, eum Verrius in tabula Praenestina Rubigum nuncupauit. Huc ascribam Oth. Muelleri uerba prol. myth. p. 288 de Graecorum id genus deis certis: *Diese Wesen müssen entweder erst in einer Periode personificirt worden sein, da die Sprache schon ihre spätere Bildung und Gestalt hatte; oder die Namen bildeten sich, weil die Bedeutung dem Verstande immer gegenwärtig blieb, mit den Appellatiuen fort.* Apud Romanos pauci sunt dei antiquissimi, communes sine dubio a Varrone agniti, fr. 2, qui communi etiam nominis forma olim culti uideantur, Sol, Luna, Tellus. Aliquorum autem, quorum inter priscos officium Varro descripsit, nomina dubitari possit, an mutata sint ad Graecorum illorum exemplum, cum denuo aliquando dedicarentur. Ita *Salutem*, Ou. 3, 882, quam paulo aliter a Sabinis olim dictam fuisse Varro de l. l. 5, 74 indicare uidetur, et *Iuuentam*, fr. 5, Ou. 6, 65, ex librorum Sibyllinorum auctoritate, graecum utrumque numen, alterum a. V. C. 574, alterum 535 reuocata esse coniecit Clausenius p. 260, 261. Alia numina communia apud Ouidium non extant: nam et *Somno* sacrificium Romae factum commentus est 4, 653, neque deam *Noctem* 1, 455 aut libri ueteres, aut Horatii carm. 3, 28, 16, aut incerti poetae apud Paul. Diac. p. 83, 4 uersus satis Romanis uindicant. Vide ergo, num probabile sit deam Furrinam Ouidium a Varrone explicatam inuenisse fr. 15 a *furuo* noctis colore. Cum uespertilionis alis depicta putatur a Gorio t. 2, p. 39. Eodem uero illo saeculo sexto denuo dedicati sunt *Honos*, 5, 23, Liu. 27, 25, quem fr. 7 in indigitamentis *Honorinum* fuisse accepimus et *Mens* 6, 241, fr. 7, uid. supra p. CXXXVI. Qui apud Ouidium non sunt, *Virtutem* fortasse non constat uetustam fuisse, de *Fide* Varronis testimonium habes de l. l. 5, 74, *Quietem* fuisse *Quietalem*, Fest. p. 257, 34 sin., alii coniecerunt: de feminino genere minus est haerendum, *Pecunia* et *Pudicitia* deae dici potuerunt ut *Fluuionia*, *Praestitia*, *Segetia* et abire in uocabula uti *Fortuna*. Quamobrem *Concordia* Ouidiana, uid. p. CXXV, saeculo quarto dedicata non ualde me cruciat, nec ideo minus *Libertatem* et *Tempestatem*, saeculi sexti ineuntis quae fortassis sunt, uid. p. CXXX, CXXXV, Graecam consuetudinem referre censeo. Namque paucis post decenniis Plautus eo modo deos *Auxilium*, *Luxuriam*, *Inopiam*, Afranius *Sapientiae* parentes *Vsum* et *Memoriam*, Gell. 13, 8, in scenam produxerunt. Ea poetarum licentia usus Ouidius, ne dicam abusus, *Iuuentam* loco modo indicato maluit comminisci et negare antiquitus cultam u. 75, 76, quam et ipsam *socio Capitolia templo*, Aug. c. d. 4, 23, et alterum ad circum Maximum, Liu. 36,

86, possedisse concedere. Eodem modo 5, 23 sq. Honoris et Virtutis, publicorum deorum, diuortium fecit et Reuerentiam subornauit, ficticium numen. Ex eo matrimonio quam natam Maiestatem u. 25 scripsit, uaticinio rursus quodam deam informauit, quae paucis post annis magna cum religione coli Romae coepta est, uide prolus. ad Ibin. Ferias eius et sacrificandi ritus qui futurus esset, non est tunc assecutus, sed tamen expertus paulo post primus et multo post alii, ut audiui dici. *Iustitia* 1, 249 sq. desumpta est ab Arato, maxime, ut puto, Germaniciano. Ex indigitamentorum numinibus apud Ouidium sola *Bellona* est, quae templum et simulacrum suo tempore sortita, uid. p. cxxxv, neque tamen nominis mutationem, neque fabulam admiserit et quasi inter alterum genus deorum certorum personam induerit.

In ipso utriusque generis quasi confinio a Varrone ponendae fuerunt *Fortuna* et *Flora* fr. 7, fortassis etiam *Egeria*, de qua conferes Paulum Diac. p. 77, 10 cum Ou. 3, 269, 275. Fortunae fabula romana fuit notissima illa historicorum de consuetudine cum Seruio Tullio rege: in quem quamquam fabella Praenestina de Caeculo translata est, tamen quia Fortuna cum Caeculo aut plane non, aut non eo modo coniuncta fuit, atque cum Seruio, uid. Claus. p. 764, 766, eam ob rem dubitari potest, num unquam luculentior illa Praenestini numinis προσωποποιία quoque cum nomine, Plut. fort. Ro. c. 10, Romam intrauerit. Adoratio matronarum, de qua supra dictum est, num ad Primigeniam pertinuerit, non est exploratum. Florae quoque fabula quae uetusta esse potuit, pertenuis est. Traditur patrum christianorum testimonio, Minucii Felicis grauissimo Oct. c. 25: *Sane et Acca Larentia et Flora meretrices propudiosae inter morbos Romanorum et deos computandae*, quod si non extaret, Arnobius 3, 23 et Lactant. c. 20 possent fortassis eludi. Postremus ita habet: *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quaesiuisset, pop. Ro. scripsit heredem certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum uidebatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur: deam finxerunt esse, quae floribus praesit*, caet. Contractius haec schol. Iuuenal. tradit 6, 250: *Hi ludi a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae, quae floribus praeest.* Esto igitur, haec repeti a Varrone, aut annalium scriptore aliquo: neque enim sunt ieiuniora aliis, quae certa fide traduntur de deis propriis. Longe diuersa sunt apud Ouidium, quae meo iudicio excogitata sunt a grammaticis quibusdam medio inter Varro-

nem et Ouidium tempore, aut ab ipso poeta eorum artificium usurpante. Multa sunt eiusdem notae, quae cum unum in conspectum componere non liceat, satis erit in singulis admonuisse lectorem. Varronis et Ouidii ratio perspecta duo sunt propugnacula ad cognitionem mythologiae romanae, quae qui expugnare non potuerit caueat saltem, censeo. Fabulae Onidianae de Flora stamen animaduerti potest duplex. Alterius indicium debeo schedis Heinsianis, Plnt. de flum. 5, 3: *Καυκάσιον ὄρος: ἐκαλεῖτο δὲ τὸ πρότερον Βορέου κοίτη δι' αἰτίαν τοιαύτην. Βορέας δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν Χλῶριν ἁρπάσας τὴν Ἀρκτούρου θυγατέρα κατήνεγκεν εἴς τινα λόφον Νιφάντην καλούμενον — ὡς ἱςορεῖ Κλεάνθης ἐν γ' Θεομαχίας γεγραφώς.* Alterum est apud Seruium ad ecl. 5, 48: *Veteres Zephyro uento unam ex Horis coniugem assignant, ex qua et Zephyro Carpon filium pulcherrimi corporis editum dicunt.* Horae sunt apud Ouidium u. 217: uerum tamen *Καρποῦ* mater quae rectius informari potuit quam Flora? Accedebat graecae appellationis conuenientia cum iis, quae u. 274 exprimuntur, ubi quod edidi *uirent*, ne uidear suspectos codices secutus, habeto coniecturae loco. Theocritea sunt *χλοεροῖσιν λαινόμενοι μελέεσιν* et *ποιῆν τὶ δεῖ, ἇς γόνυ χλωρόν*, ubi Kiesslingius optimus uir multa annotauit, ut minime necesse sit addere Seruium ad Aen. 4, 514; 12, 413. Caeterum ab re non fuerit Horarum et Gratiarum nomina uidere apud Pausaniam 9, 35, in quibus est *Καρπώ* et *Θαλλώ*, et *Θάλεια*. Quod nisi insanum illud ueriloquium placuisset poetae, alterum utrum ex postremis nomen certe praelaturus erat: confer cum uu. 377, 378 Festum p. 359, 28 sin.: *Thaleae nomen dictum esse alii ab aetatis flore aiunt, alii quod carmina semper floreant*, et Callimachi fragmentum, quod latine ipsum redditur, apud Blomf. 121, apud Valckenarium XIII. Opportune adiicietur alius numinis exemplum ab Ouidio grammatica argutia reficti, ut Euhemerianum et commune euaderet. *Carnae* nomen sine dubio in indigitamentis lectum fuit. Verba sunt Tertulliani, media inter ea quae supra fr. 2 posui: *et numquid hi sunt publici et aduentitii dicti? [siquide]m arae docent aduentitiorum ad fanum Carnae, publicorum in Pal[atino monte]*. Haec ita interpretatur Ambroschius Forsch. p. 165, 190, antiquissimo nescio quo tempore sacella deorum uere romanorum congesta fuisse in altero monte, assumptiuorum in altero, atque hinc concludit Carnam ipsam peregrinum numen fuisse, quod probari etiam existimat Ouidii loco 6, 105, cuius testimonii uim non perspicio. Fac igitur utrobique tres uel quatuor utriusque notae aras fuisse, quae quomodo confieri possint, non intelligo: ideone publicorum et aduenti-

ciorum idem discrimen dixerit sanctus declamator, atque propriorum et communium, quo omnis numinum romanorum multitudo comprehenditur? deinde quonam modo *docuerunt* arae istam appellationem in usu fuisse? postremo quid hoc est locutionis, *aduentitiorum ad fanum Carnae*, quae ipsa aduenticia fuerit? Putaueram utroque in loco singulas aras fuisse isto modo inscriptas, quemadmodum titulos *diis aquatilibus, diis hortensibus, hospitalibus, militaribus, praesidibus, iratis, quos omnes colunt, diis romanae reipublicae arcanisque urbis praesidiis, salutaribus, salutiferis* dicatos suppeditat index Orellianus to. 2, p. 496. Carnam appellatam narrat Macrobius sat. 1, 12, p. 173 quia uitalibus humanis praesit, iecinora et corda et uiscera salua conseruet, templo auctam a Bruto post exactos reges, quippe cordato homine. Duplex originatio num Varronis esse uideatur, inutilis foret quaestio. Grauius est, quod Ouidius Carnam appellat et Cardeam, fr. 7, explicat u. 101 sq., 127. Dubium uix est, quin prudens sciens hic quoque uulgi errorem secutus sit; quaeritur autem, utrum in re, an in nomine. Namque fieri facillime potuit, ut eadem dea non modo Cardeae, sed etiam Cardinae nomine consecraretur, ac deinde populi ore in Carnam abiret. Nihil hac parte definio. Verum cum u. 107 quod uulgo legebatur, *Cranen* uel *Granen dixere priores*, id acceptum est pro docta obseruatione ab aliis et Hartungo 2, p. 228, magna haec est simplicitas. Solet Ouidius maiores interponere, quoties quid non inuenuste sibi excogitauisse uisus est: uide 1, 103; 2, 598; 4, 329. Vt in Flora, graecum aliquod nomen requirebatur, quod ad romanum et fabulam quadraret. *Κρανάην sub rupe latere* u. 125 non male conuenit: *Κραναός* certe notus est; nec libri aduersantur uu. 107, 151. Fabula desumi potuisset a Britomarti, Pausan. 2, 30, quae matrem habuit Carmen, atauum Carmanorem: ad emendationem hinc instituendam deerat mihi exemplum eius consuetudinis in femininis, quam in masculinis illustrarunt Burmannus ad Ou. 6, 235 et Vaassen. animadu. p. 358. Potuerunt tamen nomina in fabula uariari. Ceterum de Iano narratiunculam apud Varronem non extitisse testis est Augustinus 7, 4: *De Iano quidem non mihi facile quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat.* Grammaticorum pro commento habebis, si Hygino aut Didymo aut alii satis ad talia ingenii tribueris: ego Ouidianum existimo.

Venio nunc ad ipsum illud alterum genus deorum certorum, cuius proprium est fabulam habere, sed simplicem nec ambigue traditam, tum nomina aliusmodi, quam deos indigitamentorum. Hi maxime et secundum Seruium fr. 1 soli dirimuntur in *communes* et

proprios. Vtrorumque quos Ouidius commemorauit, de his etiam plerisque Varronis iudicia seruata sunt. Communes sunt quibus publice sacra Romae atque in Graecia sunt instituta. Quaedam Graeca numina Ouidius refert, quae nota tantum Romanis fuerunt, uelut Dodonaeum Iouem 5, 626: de hoc genere moneo 5, 22 *Tethyn* propter metricam legem, Virg. ge. 1, 31, locum fecisse *Themidi* Aeschyli et Apollodori: reliqua huc non pertinent et sunt puerilia. Numen igitur commune fuit Aesculapius, Ou. 1, 291, qui anno V. C. 461 iussu librorum Sibyllinorum ab Epidauro Romam est arcessitus: testimoniis a Clausenio p. 260 ann. 409dd collectis addere poteris Plutarch. quaest. ro. 94 et August. c. d. 3, 17. Tunc et illinc simul fabulae Argiuae translatae uidentur, quae in fr. 9 corruptae sunt: — *tam homo, quam Iouis nepos, Saturni pronepos ...... spurius ut incerto patre, ut Argiuus Socrates detulit .... repertum, turpius Ioue educatum, canino scilicet ubere .... nemo negare potest, fulmine haustus est* etc. De natalibus duplicem fabulam habes apud Pausaniam 2, 26, 4; 6: de nutricatione duplex fuisse uidetur; de cane etiam Tarquitius apud Lactant. 1, 10, Pausanias l. ind. §. 4: *ἐκκειμένῳ δὲ ἐδίδου μὲν οἱ γάλα μία τῶν περὶ τὸ ὄρος τῶν ποιμαινομένων αἰγῶν, ἐφύλασσε δὲ ὁ κύων ὁ τοῦ αἰπολίου φρουρός*: de morte fabulam Ouidianam 6, 753 uidetur suppressisse Pausanias §. 10, nam partem eius habet c. 27, 4. De sacrificio incertum est, num Seruius ad ge. 2, 380 romanum ritum tradat: nam Epidaurii capras non mactarunt. Canes templo adhiberi, quod Paulus Diac. p. 110, 11 habet, Argiuum agnoscis. Inprimis uero templi locus in insula delectus fuit ad Epidauriorum exemplum, uid. Plutarch. l. ind.: *τὸν θεὸν ἐξ Ἐπιδαύρου μετάπεμπτον ἥκειν νομίζουσιν, Ἐπιδαυρίοις δ' οὐ κατὰ πόλιν, ἀλλὰ πόῤῥω τὸ Ἀσκληπιεῖόν ἐςιν*: *quinque milibus passuum* distabat teste Liuio 45, 28.

Proximus est Euander apud Ouidium 1, 471 sq. Dionys. Hal. 1, 32: *καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ*, inquit, *θυσίας ἔμαθον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιτελουμένας ὅσα ἔτη δημοσίᾳ —. καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους — Εὐάνδρῳ δὲ πρὸς ἑτέρῳ τῶν λόφων, Αὐεντίνῳ λεγομένῳ, τῆς Τριδύμης πύλης οὐ πρόσω.* Cfr. Strab. 5, 3, p. 373 Tauchn. Hoc sacrum quam uetustum esset, nemo tradidit. Fabulam Arcadicam Romae notam fuisse non tantum Varro fr. 10 et de l. l. 5, 53, sed etiam saeculi sexti auctores duo demonstrant. Seruius ad Aen. 8, 130: *Oenomai Hippodamiam filiam, unde Atreus natus; at Maiae filius Mercurius, ex quo Arcades, de quibus Euander: quod Attius in Atreo plenius refert.* Dionys. Hal. l. ind.: *Ὡς*

δέ τινες ἱστοροῦσιν, ὧν ἐστι καὶ Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης, ἀπό τινος μειρακίου Πάλαντος αὐτόθι τελευτήσαντος et quae sequuntur. Sacra ergo et fabulam Euandri ex Arcadia Romam peruenisse hoc itinere censet Clausenius. Primum quia multis in urbibus Arcadiae is heros cultus fuerit, Pallantii, p. 1234, Thelpusae, p. 1237, Phenei atque Nonacride, p. 1238, Tegeae, ibid., quarum in quibusdam eadem numina, maxime Rhea et Titanes culta fuerint, quae etiam in Achaiae oppidis, assignificatur ex Achaia etiam Euandrum et Pallantem auferri potuisse: id autem factum esse a Penthili colonis Aeolensibus, p. 1228. Exemplum talis migrationis per stationes partim easdem ostenditur p. 1217, 1218; Priapum Orneis delatum esse Athenas, hinc Stirin Phocensium, hinc Elaeam Aeolensium, quae uicina est Cumae Phriconidi. Cuma Phriconis dicitur a Strabone (uid. Hermanni ant. gr. p. 175) colonos misisse Cumas in Italia: quod si difficile sit intellectu, Clausenius p. 1222 et 602 sq. ostendit Phocaeenses Cumanorum in Asia uicinos et Italicorum foederatos fuisse: aut ergo Phocaeenses ipsos, p. 606, aut Cumanos Aricinis internuntiis Arcadicas religiones Romanis per manus tradidisse. Hoc magis placet Clausenio, quam quod p. 1227 ita uelit concludere, quia Cumani et Naxii incoluerint Zanclen, Naxii uero etiam Catanam, quam colonos accepisse Pallantio probabile sit, ideo fabulas (atqui de religionibus agebatur) Pallantio Cumas penetrauisse, et quod ibid. et p. 1228 profertur, Tritaeam Achaeorum teste Pausania conditam esse ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικοῖς. Verum quod in his postremis oppidis intelligit Clausenius, non posse religionis ullam similitudinem euinci, id nollem in ea, quam tuetur, coniectura uertiginosis ambagibus dissimulatum. Nihil quaerimus aliud, quam quibus in Arcadiae locis certa fide Euander cultus fuerit. De Pallantio dubitari potest. Narrat Pausanias 8, 43, 44 sacellum Euandri et fabulam de eius migratione Italica Pallantii reperiri. At uerendum est, ne cum Italiae et Romae mentio manifesto extrinsecus allata sit, ipse heros demum post tempus Antonini Pii imperatoris coli illic coeperit. Is enim libertatem et immunitatem Pallantiensibus dedit propter ratiocinationem, quae primum deprehenditur apud Dionysium Hal. 1, 31, 32, estque fortassis paulo uetustior, aetatis Cincianae et Varronianae, sed tota grammatica et romana. Ipse Dionysius c. 33 testatur sua aetate a Pallantiensibus cultos fuisse Pallantem, sed Lycaonis filium, quem eundem Pausanias c. 44, 5, 6 indicat: *Νίκην*, eius (ex Styge, Paus. 8, 18, 1, Seru. Aen. 6, 134: *Victoria Stygis filia*) filiam, *σύντροφον* Palladis et fortasse pro eadem habitam ab Ennio et Varrone de l. l. 7, 37: Cererem, cfr.

Paus. c. 44, 5: de Pane Lycaeo et Neptuno et Tubilustrio non quaeram. Iam qui ita argumentaretur, Euandrum Pallantio in Palatium uenisse, quia ibi quoque Cereris ara ante aedem Postumianam (eam enim intelligendam puto, non diuersam, ut Nardinus uult) et sacellum Victoriae (quam Vicam Potam facit Ambroschius p. 121 mirifica conclusione et contra Dionysii p. 85 l. 11 Reisk. et Arnobii 3, 25 testimonia) fuerit, eum liquet operam dedisse, ut rem aliunde incognitam astrueret. Insigne est Polybii testimonium c. 32, qui clare negat Pallanti Romanorum rem fuisse cum Pallantio: quemque tamenetsi Palatii illam originationem inuenit, Euandrum Pallantio profectum induxisse non est probabile. Namque nonnisi nominis causa ea fabula excogitata est: et excogitata, uti ipse Dionysius p. 80, l. 15 testatur, a Romanis: certe enim uerba ὥς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν respondent illis c. 32: Ὡς δέ τινες ἱϛοροῦσιν. Quod Clausenius p. 1234 scripsit: *Nike führte in Pallantion den besondern Namen Nikostrate*, doleo factum: nam qui apud nullum eorum scriptorum, quos allegat, eius effati causam inueniet, leuitatis archaeologorum insimulabit philologum. De cultu Euandri in urbe Thelpusa non magis constat. Themidem lauasse in Ladone fluuio ibi a quibusdam narrabatur, Pausan. 8, 25. Nympham eius fluminis filiam uetus Graeca fabula uidetur tradidisse matrem Euandri, Paus. 8, 43. Credibile ergo est grammaticos potius ex Titanide fatidica fecisse nympham fatidicam propter Romanorum Carmentam, quam, quod Clausenius p. 1237 opinatur, contrarium in modum, uulgus matrem Euandri commutauisse Themide. Quod denique grammatici teste Seruio ad Aen. 8, 130 Euandri alicuius Tegeatae nomen in stemmate Atridarum repppererunt, eumque Clausenius non diuersum a Pallantiensi fuisse decernit, quia Timandra dicta esse potuerit pro Νίκῃ, id iudicandum aliis relinquo. Quod igitur Pheneatam Euandrum dixit Virgilius 8, 165, primum id signatius fit, quam cum Ouidius Nonacrium 5, 97 et Parrhasium 1, 478, aut Carmentam Tegeaeam et Maenalidem 1, 627; 6, 525; 1, 634 appellat: deinde si commentum poeticum non est, certe nec grammaticum esse uidetur, uti superiora illa: tum conuenit cum ea fabulae graecae parte, quae extra fictionis suspicionem posita item est, de Ladone auo materno Euandri, uid. Clausen. p. 1238, disconuenit uero cum Dionysii romana expositione, quacum aegre ita conciliatur, uti fit a Virgilio uel Pausania 8, 43, 2, ut aut omnium Arcadum proauus Pallas, aut comitatus Euandri Pallantio potissimum profectus dicatur. Hoc ergo ex accuratiori graecae religionis cognitione si fluxit, de uia affirmari uix quicquam potest, qua in Italiam perlatus

est Euander. Desunt testes idonei de eius fabulae apud Graecos uicissitudinibus. A Cumanis Romam uenisse concedo. Romanae narrationis elementa si replicare uelis, quanto uetustiora, tanto dissimiliora Graecis inuenies. Singula collegit Virgilius, quem e uestigio sequitur Ouidius. Primum igitur est, quod Polybius testatur graecum heroem sibi uindicasse Romanos et quod, quantum sciamus, nemo de eius aduentu dubitauit, quamobrem certus deus dicendus fuit a Varrone. Num ex Arcadia eum uenisse multo ante Polybii aut Attii tempora Romani crediderint, uix ausim affirmare. De exilio eius antiquissimus hodie testis est Varro fr. 10, cfr. Virg. Aen. 8, 333, Ou. 1, 475 sqq., Seru. l. ind.: *aut, ut diximus supra, propter parricidium, aut certe oraculorum necessitate compulsum.* Supra ad u. 51 de patre aut matre necata explicauerat: posterius credi non potuit, postquam Carmenta pro matre eius haberi coepit, et *oraculorum necessitas* aut ex Ouidio est, aut ab iis, qui de Themide Thelpusaea coniecturam fecerunt. Patris necem explicat Clausenius p. 1239 *aus pallantidischem Vngestüm:* sed nusquam apud Graecos uetustiores uel exulasse, uel saltim, unde id coniici potuisset, pluribus in locis eundem Euandrum fuisse traditur. Alterum est de Euandri aut nepote secundum Polybium, aut filio secundum Virgilium Aen. 8, 510; 12 fin., cfr. Ouid. 1, 321. Hic quoque Pallas nomine tenus a Graecis assumptus uidetur. Audax, sed ingeniosa est Clausenii coniectura p. 891 sq. *Euandrum* et *Pallantem* dictos fuisse olim latine ab *euannendo* et a *palea:* scilicet deorum hoc par ordinem, quo in indigitamentis positum fuerit, in genealogia quoque seruasse: accedit quod Dionysius 1, 32 negat Pallanti sacra facta, quae fortassis in Palem deum deamue collata sunt. Postquam Palatii a Pallante originatio illa Polybiana in obliuionem cessit, tum demum crediderim ipsum Euandrum a Pallantio repeti coeptum. Ante uero quam id fieret a doctis uiris, cum Euandri historia coniuncta sunt hospitium Herculis et supplicium Caci, prout coniuncta fuerunt apud Cumanos docente Clausenio ann. 1427 b, uid. Virg. 8, 193—267, Ou. 1, 543—584. Et quia a Graecis Euandrum et litterarum usum acceperunt, finxerunt has ab illo esse allatas, uide testimonia apud Clausen. ann. 1772 a. Non inuenio, quomodo ad Carmentam eius matrem perueniatur, nisi cum *carminis* uocabulum latissime pateat, *carmentarios* quoque olim librarios omnes dictos fuisse Seruius ad Aen. 8, 336 tradit, hisque in indigitamentis praefuit Carmenta utraque, Porrima et Postuerta, quae nomina utique aliter intelligi debebant, cum usus scripturae alternantis desiisset. De his aliis interpretationibus, quarum altera adhibita est ad concinnandam fabulam graecam, posthac leges suo loco.

Hercules uel maxime deus communis dicendus fuit secundum fr. 1 et reliqua quae eo loco Seruius disputat. Ad fr. 11 conferendus idem est ad Aen. 8, 203: *Solus Verrius Flaccus dicit Garanum fuisse pastorem magnarum uirium qui Cacum afflixit, omnes autem magnarum uirium apud ueteres Hercules dictos.* Falsum Aurel. Victorem c. 6 de Recarano non credo audiendum esse. De eius numinis Romam translatione sub cognomine *Musarum* et *Custodis*, Ou. 6, 794; 209, nullum est negotium. Eumenius rhetor in paneg. pro restaur. schol. c. 7. ed. Cellar.: *Fuluius ille Nobilior — quod in Graecia cum esset imperator, acceperat Herculem Musageten esse, id est comitem ducemque Musarum.* Herculem Custodem in circo Flaminio putauerim esse Graecorum Παραςάτην in gymnasiis, uid. Pausan. 5, 8, 1; 14, 7; 6, 23, 3. Non male enim conuenire reor, quod duobus ex his locis is Hercules Idaeus traditur, Herculem Custodem uero ex librorum Sibyllinorum auctoritate consecratum dicit Ouidius u. 210. Idaeum enim Herculem ad Sibyllam quam maxime pertinere memini docere Clausenium p. 22, 237, 261. Multo difficilior est res de iis saeculis, quibus externae religiones non integrae assumptae sunt, sed quasi irrepserunt in uernaculas. Non credo sciri posse, unde potissimum Herculis cultus, qui omnem Romanorum uiciniam oppleuerat, Romam deuenerit. Romuli aetate affuisse testatur Aug. c. d. 4, 23. Ipsum nomen aeque recte e sermone Etrusco ac Siculo posse deriuari egregie docuit O. Muellerus Etr. 2, p. 279 ann. 47. Idem ib. p. 75 in Etruria notum fuisse deum demonstrauit. In Corsica Herculis sacra fuisse testantur Strabo 5, 2, p. 363 Tauchn., Pausanias 10, 17. Ibidem quia teste Timaeo apud Tzetz. ad Lycophr. 796 filii parentes septuagenarios πρὸς ἀχανεῖς κρημνοὺς κατωθοῦντες mactarunt Saturno, inde patet in Argeorum cerimoniae explicatione, Ou. 5, 629, qui Herculem adhibuerunt, aliquanto etiam eruditius rem gessisse, quam opinabar supra p. CLXXI: sed tamen nihilo magis constat Saturno id sacrum Romae factum esse. De Campano Hercule tradit Seruius ad Aen. 6, 107; 7, 662, unde ad Euandri et Carmentis fabulam, Ou. 1, 543 sqq. 6, 519 sqq., accessisse uideri Herculem paulo ante monui. Verum Herculis Victoris magna fuit et publica et uetusta religio, quam non est probabile propter Caci fabulam Cumanam fuisse institutam. Ferias eius si recte tradidit Lydus de mens. 4, 46 a. d. III Non. April., Ouidius praetermisit, cognomen perpetuum (Seru. ad Aen. 8, 203, 362) usurpauit secundum libros optimos 1, 562. Eius nominis altera est significatio, quam usurpauit Plautus Amphitr. prol. fin. et illustrauit Seru. ad Aen. 10, 409, ubi cum uerbis Virgilianis conferes

prouerbium Varronianum de re rust. 1, 2, *Romanos sedendo uincere*, quod aliquo modo spectat ad morem sacrificii Herculis huius, de quo Macrob. sat. 3, 6 fin. Eodem referendus est mos decimam eidem deo dicandi, Macr. sat. 3, 12 init., quod est eius, qui spe aliqua potitus est: nolo ab *herciscendo* coniecturam prisci nominis facere. Alteram appellationis causam, sed priori affinem, Varro posuit supra lib. V, fr. 6. Propter hanc et fortassis quia pompa triumphalis per forum boarium duci solita (uide quos laudat Ambrosch. Forsch. p. 78) templum alterum Herculis Victoris attigit, unde etiam praedae publicae decima dedicata est (uid. Hartungum 2, p. 25), tum quia ex instituto ueteri laurus adhibebatur sacro ad aram Maximam, Seru. ad Aen. 8, 276, inde factum uidetur, ut Hercules Victor etiam Triumphalis diceretur, quod testatur Plinius nat. hist. 34, 16. Haec ipsa laurus ex Auentino monte rite petenda, natura soli, antrum in eo monte (uide Clausen. ann. 1419ab), fori boarii nomen, sufficiebant ad attrahendam illuc Caci fabulam: aram Iouis Inuentoris non opus est casu ibidem extitisse, uid. supra p. CXXI; crediderim post fabulam receptam extructam, uti et alterum illud Herculis Victoris templum, de quo Masurii Sabini uerba ascripsit Macrob. sat. 3, 6. Fieri etiam potuit, ut cognomen ipsum aliquo demum post tempore inderetur deo, quod ille Masurii locus indicare uidetur. Ergo in his, quae fabulae adiunctionem praecessisse oportet, in nomine ipso et ritu, inuenio Sabinae originis uestigia. Laurum illam ex laureto Auentini montis petitam esse demum post V. C. monet ex Varrone Seruius l. modo ind., sine dubio quia de laureto in Tatii sepulcro eadem scripta inuenit, quae extant de l. lat. 5, 152, Fest. p. 360, 33 dext., quibuscum conferatur Seruius ad Aen. 7, 657: *Varro tamen dicit in gente po. R. Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem* caet. Deinde teste eodem ad 12, 538 *cupenci* Sabinorum lingua dicuntur sacerdotes et Herculis sunt sacerdotes. Tum Propertius extrema ecl. 9. lib. 5 quicquid praeterea dicit, quod hodie non expedio, dicit certe hunc Herculem Caci uindicem consecratum a Sabinis. Postremo, quod propter haec modo posita nolim attrectari, Varro de l. l. 5, 74: *Paulo aliter ab eisdem* (Sabinis) *dicimus Herculem*. Neque Garanum Sabinum numen fuisse puto, neque habeo, quomodo huc uertam quod Macrob. sat. 3, 12 a pontificibus Herculem pro Marte haberi dicit, neque hanc ob rem ad incertos deos referre heroem uolui.

De Castoribus praeclare disputauit Clausenius p. 664—670. P. 664 et 669 demonstratur aut Penates umbratiles quosdam fuisse Dioscuros, aut Castorem et Pollucem illustres Penates. Sed ut Spar-

tanorum potissimum ritu pro bellatoribus Romae colerentur, factum est inde, quod in pugna Locrensium aduersus Crotoniatas ad Sagram paulo ante reges Roma expulsos Lacedaemoniorum dei fortem operam praestiterunt, eaque fides per Italiae inferioris loca, in quorum serie apud Clausenium desidero Seruii testimonium de *tacitis Amyclis* ad Aen. 10, 564, tradita decimum post annum in animis Romanorum dum ad lacum Regillum pugnatur, praesentissime reuixit. Cultus constitutus est ad rei gestae exemplum: pompa equestris quia ἡγούμενοι τῆς Ῥωμαϊκῆς ἵππου uisi fuerant dei, ipso die pugnae, a templo Martis ante portam Capenam, postquam id ibi fuit, tecta uia, ut puto. Eandem deorum informationem diu insedisse animis hominum docet redintegratio miraculi bello Macedonico, uid. testes apud Clausenium ann. 1216, quem nollem Valerii Maximi locum 1, 8, 1 Lactantii exemplo 2, 8 minus recte accepisse: nam certe aedem patuisse pro argumento ponitur etiam Persico bello profectos ex ea ad auxiliandum deos. Eorumdem ordinis equestris tutelam aut ad Augusti tempora durasse Dionysius 6, 13 testatur, quamquam πραττόμενα ἔμαθον dicit, aut ab Augusto reuocatam esse anno V. C. 760 restituto anno 759 templo indicare uidetur Dio Cassius 55, 27, 31: tunc enim primum transuectionis (annuae, 63, 13) mentionem fecit. Fabula Ouidiana 5, 699—720 non ualde huc pertinet: notetur tamen in certaminis causa eam conuenire cum Theocriti id. 22 et Propert. 1, 2, 15 dissentientibus Pindaro et Pausania, in loco cum Homero Il. 3, 345, fortasse Pindaro Nem. 10, 61, Patrocle Thurio, uide supra p. XCIII, Lycophrone u. 559 et inprimis Stephano Byz. p. 97, 9 Dind. dissentiente potissimum Pausania 3, 13, 1; in pugnae ordine leuiter ab omnibus discedit Ouidius, in rei fine congruit Pindaro maxime, uerba mutuatus Virgilii.

M a i a m a Varrone ita, uti ab Ouidio 5, 85 pro dea communi habitam uideri supra ostendi p. CLXXXII.

De F a u n o necesse est medio inter deos communes et proprios loco dicam. A Varrone habitum esse pro deo proprio cognoscitur e fragmm. 1 et 13, quibuscum conferes Lactant. 1, 22, August. c. d. 18, 15. Ouidius 2, 265, 266 lupercos Fauni sacerdotes, u. 269, 279 Faunum Pana, u. 304 Faunum in Lydia, u. 359 *cornipedem*, u. 422 *Lycaeum*, 4, 650 *Maenalium deum*, u. 663 *pede duro*, 5, 101 *semicaprum* nuncupat. Nonnisi 3, 291 sq. deum proprium uidetur agnoscere, quamquam ne illic quidem Pici filium fecisse dixerim. In Ibide et metamorphosibus maior etiam est inconstantia. Scilicet illum in modum grammatici disputarunt. Seruius ad ge. 1, 10: *Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum appellatum.* Hoc

interpretor illorum fuisse disputationem de *sacris Pelasgis* Ouidianam 2, 279 et Dionysianam 1, 32, 33. Videtur subesse nominum *Fauni* et *Panis* comparatio. Dionysius 5, 16: *τοῦ καλουμένου Φαύνου· τούτῳ γὰρ ἀνατιθέασι τῷ δαίμονι Ῥωμαῖοι τὰ πανικά* caet. Cfr. Ou. 2, 283, 284. Virgilius Aen. 8, 344: *Lupercal Parrhasio dictum Panos de more Lycaei*, ubi Seruius: *locum esse hunc sacratum Pani deo Arcadiae, cui etiam mons Lycaeus in Arcadia est consecratus: et dictus Lycaeus quod lupos non sinat in oues saeuire.* Cfr. August. c. d. 18, 17, interpp. Maii ad ge. 3, 2. Est Cassii Heminae et Cincii illa coniectura accommodata pressius ad Palatinum montem ab Euandro insessum. Monebo hic, quod supra p. CXIV notatum oportuit, secundum illos auctores quod Ouidius 2, 280 habet de flamine Diali relatum uideri ad Iouem Lycaeum, qui cum Pane cultus est ab Arcadibus, Pausan. 8, 30, 2. Ex Hygino fortassis Seru. ad Aen. 6, 776: *Inui, id est Panos —. Inuus autem latine appellatur, graece Πᾶν, item Ἐφιάλτης graece, latine Incubo, idem Faunus.* Cfr. Placidi gloss. p. 249 M. Denique quae similia traduntur de utroque numine, collegit Clausenius p. 1141 sq. ann. 2307a—e, nec dubitat, quin reapse cognata sint, fere quemadmodum grauiter Niebuhrius h. Ro. 1, p. 97: *wer vermag das Pelasgische Princip in seiner Wirksamkeit zu ermessen?* cfr. Mueller. Etr. 2, p. 63. Verum quos doctos homines Romanos Clausenius ann. 1592a Lupercum disiunxisse a Fauno existimet, non inuenio: coniunxisse potius demonstraui. Caeterum non negauerim grammaticos uera secutos esse quantumuis de nominum translatione manifesto falsa inuenerint; non contenderim poetas primos Romanorum omnia introduxisse, quae in iis numinibus Graecorum superstitiones referunt, uelut est pluralis numerus *Faunorum*, quem apud Ennium eludere interpretando uellet Varro de l. l. 7, 36, cfr. Ou. 1, 397, Pausan. 8, 37, 2: *νύμφαι καὶ Πᾶνες*, et fortasse capripedalis forma, si modo tam uetusta est; denique facile Graecorum interpretatione unus Pan multis Italorum deis suffecit. Sed Lupercum, Inuum, Siluanum quoque olim nomine tenus diuersos fuisse a Fauno satis est, ut toti diuersi fuerint, donec probauerit quis aut illa re uera fuisse cognomina, uelut Fatui appellationem, quae tamen uix ipsa separatim usu uenit, aut ex ullo Romanorum numine publica auctoritate, non uulgari errore, ut in Sanco Ouidiano 6, 213 sq., plura numina esse facta. Ex pluribus unum saepe est conflatum, uti libro XVI leges: quod tamen in Fauno solos grammaticos fecisse existimo. Memorabile exemplum substituti pro Sileno Fauni in numo Iuniorum Silanorum protulit Clausenius p. 1146, quemadmodum Ouidius

6, 691 in fabula Attica (Paus. 1, 24, 1) et Phrygia (id. 2, 7; 10, 30, 9) coniuncta satyrum pro Sileno posuit.

De Pico, deo sine controuersia proprio, etiam Ouidio teste 3, 292, nihil est, quod annotetur praeter fabulas Italicas, de quibus ueterum testimonia apud Hartungum 2, p. 173 sq. inuenire poteris, et locum in stemmate regum Latinorum, cuius uetustiorem Varrone, quem secuti Tertull. fr. 13, Lactant. 1, 22, August. c. d. 18, 15, testem non noui.

De Bona dea, Ou. 5, 148, Fauni uel sorore, uel uxore, uel filia, disseruit Clausenius p. 849—852. Num ei Kal. Maiis sacrificatum sit a flamine Vulcanali, pendet id a fide Macrobii sat. 1, 12 in referenda Cincii sententia et ex eo, num credibile sit duplex sacrum deae Maiae eo mense fuisse. Sed tamen si modo in libris potificum, ut ibidem traditur, Bona dea pro Ope habita est, et si, quod supra posui, terrae motus ad eandem pertinuerunt, Vulcanus certe ab hac re, praesertim in Auentino monte, ubi filius eius Cacus habitauerat, non est alienus. Alia est difficultas in explicando *Damiae* nomine, quod commemoratur a Paulo Diacono p. 68, 8 et in Placidi glossis p. 451, quod quia ab Hartungo et Clausenio non pulcherrime a *dama* aut *lama* repetitum est, inde fit, ut adeo sategerit Clausenius in rebus diuersissimis conciliandis. Nam uaticinatio et castitas et solitudo a uinolentia et licentia abhorrent et *das Geheimniss der Liebessehnsucht in der unwissenden, scheuen und trotzigen Iungfräulichkeit* in fabula Milesia efficacius est, quam in quaestione grammatica. Crediderim in ueterem deae Bonae religionem nescio quid ritus alieni penetrasse. Plutarchus Caes. c. 9: *Ἔςι δὲ Ῥωμαίοις θεός*, inquit, *ἣν Ἀγαθὴν ὀνομάζουσιν, ὥσπερ Ἕλληνες Γυναικείαν*, et Macrobius l. ind.: *Haec apud Graecos ἡ θεὸς γυναικεία dicitur.* Hi Graeci suntne Iuba et Dionysius et id genus alii, qui de antiquitatibus romanis scripserunt, an qui tale numen in suis ciuitatibus coluerunt? Non mirum foret, si Italiae inferioris aliqua religio ignota adhuc esset. Hesychius annotante Muellero ad Paulum tradit to. 1, p. 883 Alb.: *Δάμεια, ἑορτὴ παρὰ Ταραντίνοις.* Pausanias 10, 10 fin.: *Τάραντα δὲ τὸν ἥρωα Ποσειδῶνός φασι καὶ ἐπιχωρίας νύμφης παῖδα εἶναι.* Ex schol. Leidens. Heinsius ad Virg. ge. 2, 197 haec enotat: *Saturi] locus Tarenti, quem Caelius in quinto libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella, quam Neptunus compressit.* Fac ergo Satyram fuisse Tarentinorum *γυναικείαν θεόν*, ipsum nomen quam facile comparari potuerit cum Fauna Fatua, patet. Ea ipsa Satyra in confinio Latii et Campaniae commemoratur a Virgilio Aen. 7, 801: *Qua Saturae*

iacet atra palus, et Silio Ital. 8, 381: *Qua Saturae nebulosa palus restagnat*. Graecam appellationem censeo additam Latino numini, fortassis ipsi Faunae. Namque paulo propius Campaniam Minturnis latinum par deorum apud Virgilium Aen. 7, 47 traditur Faunus et Marica et paulo propius Romam Circeiis Circe Fauni mater est superinducta deae latinae, quae qualis sit disputat Clausenius p. 837. Vtraque dea cum uenerea et molli indole tradatur apud Seru. Aen. 7, 19; 47, non est illicita coniectura id Graecorum fuisse iudicium et pertinuisse etiam ad Satyram. Itaque quae anguibus, uitibus, uino indicantur, docente egregie Clausenio p. 852 ann. 1617 coll. p. 131 ima, p. 853, 854, frigida interpretatione ad propriam fabulam relata teste Macrobio apud Claus. p. 851 ann. 1613a, hoc argumentum existimo graeci sacri fuisse, cuius ceremoniis sacri romani ieiunitas est interpolata. Video Clausenium p. 851 fabulae Herculaneae, quae apud Propertium 5, 9 coniuncta est cum sacro Bonae deae, uestigium indicare Crotone ex Athenaeo 10, p. 441 summa.

Tiberinum quoque ex stemmate regum Latinorum deum nouit Varro, uide de l. l. 5, 30: *sunt qui Tiberim priscum nomen latinum Albulam uocitatum litteris tradiderunt, posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit; nam hoc eius, ut tradunt, sepulcrum*. Non fortasse regem Albanum intellexit, Ou. 4, 47, si ex eius sententia Seruius ad Aen. 8, 333 scripsit: *quia etiam ante Albam Tiberis dictus inuenitur*. Illud de *sepulcro* pertinet fortassis ad Ouidii locum eum illustrandum, quem supra attigi p. CXLVII. Ibidem Serui locos de sacris Tiberini publice factis indicabam. Commemoratur ab Ouidio 2, 387; 5, 635; 6, 105. *Tiberinides* introducuntur 2, 595, cuius propter formam nominis, praesertim in graecissante fabula, u. 599 edidi *Almon* ex uno certe egregio libro, 4, 337 latinam terminationem admisi.

Iuturna, Ou. 1, 463, cur fr. 11 *proprium numen* dicatur, non perspexit Clausenius ann. 1311. Ipsum nomen cum deis indigitamentorum nonnullis habet similitudinem et in libro de l. l. 5, 71 a iuuando deducitur, quicum consentiunt quae apud Seruium ad Aen. 12, 139 leguntur. Huius testimonio distinguenda sunt fons prope Lauinium et Numicum fluuium et sacellum a Lutatio Catulo in campo Martio extructum, ut Clausenius putat, propter aeque salubris aquae inuentam uenam, a lacu Iuturnae, de quo supra p. CXLVIII commemoratum est. Aqua Virgo num ullo modo ad Iuturnam pertineat, quemadmodum Clausenius coniecit, non dixerim: fieri id uideo ad tuendam de Anna Perenna sententiam. Id commentum cum confertur ad fabulam Ouidianam 2, 583—604, qua

frigidum nymphae ingenium exprimatur et quae ann. 1308 praeterea proferuntur, frigidum est inuentum. Multo rectius ann. 1315d docetur fabulam Virgilianam Aen. 12, 90, 139 sq., 785, unde Ouidiana efficta est, si comparetur cum Arnobiana 3, 29: *Ianum — Vulturni generum, Iuturnae maritum*, monstrare originem ultra Lauinium repetendi numinis.

De Acca Larentia Ouidius 3, 55 non sequitur Varronem fr. 16, sed Licinium Macrum historiarum libro primo, uti cognoscitur ex Macrob. sat. 1, 10.

LIBER QVINTVS DECIMVS.

* Fragm. 1. August. c. d. 7, 17: *de diis incertis dicere ingressus ait: Cum in hoc libello dubias de deis opiniones posuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit iudicari oportere et posse, cum audierit, faciet ipse. Ego citius perduci possem, ut in primo libro quae dixi, in dubitationem reuocem, quam in hoc quae perscribam omnia ad aliquam dirigam summam.*

* 2. Macrob. sat. 3, 2: *Varro etiam in libro quinto decimo rerum diuinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam uitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν uocant.*

3. August. c. d. 4, 23: *Sicut enim apud ipsos legitur, Romani ueteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis, quam Iouem, sed postquam Ioui templum insigne ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut uix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit.*

4. Seru. ad ge. 3, 1: *Pales autem, ut diximus, dea est pabuli, quam alii Vestam, alii Matrem deum uolunt. Hanc Virgilius genere feminino appellat; alii, inter quos Varro, masculino genere, ut hic Pales.*

5. Tertull. ad nat. 2, 9: *Est et Sanctus propter hospitalitatem a rege Plotio fanum consecutus.*

6. Gell. 16, 16: *Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nisos sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris. Nam pedes cruraque arboris appellat ramos, caput stirpem et caudicem. Quando igitur, inquit, contra naturam forte conuersi in pedes brachiis plerumque diductis retineri solent, aegriusque tunc mulieres enituntur, huius periculi deprecandi gratia arae statutae sunt*

Romae duabus Carmentibus, quarum altera Postuerta cognominata est, Prorsa altera, recti peruersique partus et potestate et nomine.

7. Interpp. Maii ad Aen. 5, 241: *Portunus, ut Varro ait, port[uum porta]rumque praeses. Quare huius dies festus Portunalia, qua aput ueteres claues in forum add[uctas] mare* [l. *piare*] *institutum.*

* 8. Charis. lib. 1 p. 119 P: *Varro antiquitatum diuinarum decimo quinto: Volgus rumorem.*

9. Seru. ad Aen. 8, 564: *Quam Varro libertorum deam dicit Feroniam, quasi Fidoniam.*

10. Seru. ad Aen. 9, 4: *Pilumnum et Picumnum — Varro coniugales deos suspicatur.* Cfr. August. c. d. 6, 9: *Intercidonam — Pilumnum — Deuerram.* Possit etiam referri ad librum priorem, aut coll. Seru. ad Aen. 10, 76 et Non. p. 528, 11 ad lib. II de uita populi Romani.

11. Seru. ad Aen. 9, 584: *Palicos nauticos deos Varro appellat.*

12. Arnob. 4, 3: *Quod abiectis infantibus pepercit lupa non mitis, Luperca, inquit, dea est auctore appellata Varrone.*

Dei certi cum ii fuerint, quorum propter nominis perspicuitatem aut fabulae simplicitatem et proprietatem dubitationis causa nulla erat, incerti igitur erunt, in quibus aut parum aut nimium praesto est ad faciendum iudicium. Supra aliquando p. LII iam monui quod ex Varrone Augustinus c. d. 7, 3 confirmat, *diis quibusdam patribus et deabus matribus sicut hominibus ignobilitatem accidisse.* Deinde uero si recte conieci libro quarto decimo Varronem non solum suae scientiae et rationis, sed etiam religionis Romanorum elementa tradidisse, haec elementa naturam subinde suam mutarunt, maxime per graecarum fabularum et cerimoniarum additamenta, de qua re librum scripsit Clausenius. Ea mutatio ubi feliciter cessit coalescentibus arcte peregrinis et uernaculis, atque publica auctoritate sancita et stabilita est, nati sunt dei selecti: affecta nec perculta eo modo elementa pristina maiorem partem deorum incertorum efficiunt.

Deos aliquot, quorum uis et natura ipso nomine continebatur, sed ipsum nomen intelligi desierat, hoc libro a Varrone esse explicatos fidem facit fragm. 2 de dea *Vitula,* uid. Macrob. l. ind. Pertinet huc fortasse Salacia, uid. August. c. d. 4, 10, 11; pertinent frr. 7, 8, 10. Sed uenio ad Ouidium, cuius de Summano uersus 6, 725 sq. nescio an probent fr. 3 plura continere Varronis, quam

uerba *inuenitur* et *potest* indicare uideantur. Testimonia ueterum de hoc deo habebis, si adieris Muellerum Etrusc. 2, p. 60, 61, sed adieceris Festum p. 229, 1 sin., qui conuenit cum Augustini uerbis et Arnob. 6, 3, ubi etiam pro Dite ponitur. Altera igitur de deo fulguratore ex Etruscorum disciplina petita uidetur sententia, altera Sabinorum fuerit, uide Varr. de L. l. 5, 74. Vtraque cum facillime concilietur, in nomine potissimum haesisse Varronem putauerim. Muellerus quia apud Plautum Bacchid. 4, 8, 54 libri: *Submanus, Sol, Saturnus dique omnes ament* habent, ideo nomen latinum non fuisse suspicatur. Mihi eandem ob causam Summanus idem fuisse Nocturno Etruscorum, Muell. 2, p. 131 ann. 26, sed neutrum nomen a lingua Etrusca repetendum uidetur. Nam quemadmodum dei inferi ominis causa non nigri, sed *aquilii* uocati sunt, uid. Placidi gloss. p. 451 M., Paul. Diac. p. 22, 2, et quemadmodum Sophocles in Oedipo rege Ditem patrem noluit nocturnum uocare, ἕσπερον θεὸν dixit, ita fieri potuit, ut a meliore proximo matutino tempore Submanus nominaretur, fere ut Romani teste Festo p. 306, 26 sin. *substillum* appellarunt tempus ante pluuiam.

Quod Varro fr. 4 Palem masculum deum fecit, spectare potuit Etruscorum disciplinam, qui inter Penates secundum Arnob. 3, 40 colunt *Palem, sed non illam feminam, quam uulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Iouis ac uillicum.* Ipsum hunc Arnobii locum ubi attigit Muellerus, Etr. 2, p. 61, suspicatur Palis nomen non esse Etruscum, sed mutuo sumptum a Romanis. Sane mirum foret apud utrumque populum idem nomen sine ullo translationis uestigio deprehendi: uerum nihilo probabilius est grammaticum istum in tanta, quae notatur, numinis Etrusci et romani dissimilitudine huius appellationem contulisse in illud. Aut igitur simile nomen Etruscum romanam formam, terminationem maxime, induit, aut admonitio de diuersitate sexus et officii est Arnobii, priores, fortassis uterque populus, causam inuenerant, cur numina compararent. Eam causam intelligo, quod indicia quaedam docere uidentur Romae quoque Palem aliquem pertinuisse ad Penates. Hi culti sunt Romae et Lauinii cum Vesta et Palladio, Strabo 6, p. 264 BC Casaub.: καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ καὶ ἐν Λαουινίῳ — Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα, Clausen. p. 623. Id Palladium, de cuius obscuritate uide Clausenium p. 700, excogitatum est a Graecis, uti coniicere licebit, propter simile aliquod nomen cum Penatibus coniungi solitum. Eodem modo Pallantis nomen graecum refertur ad Lauiniam, hoc est, ad patriam Penatium apud Polybium, Dionys. Hal. 1, 32, Clausen. p. 888, quemadmodum Pa-

lanto siue Pallantia Latini mater aut uxor dicta est, Varro de l. l. 5, 53, Seru. Aen. 8, 51, Paul. Diac. p. 220, 6. Rursus Pales dea refertur ad Vestam, uid. Seru. fr. 4, et sacrum eius Parilibus a Vesta pendet, Ou. 4, 731 sq.: Pales dea eadem substituitur Pallanti Palatii ἐπωνύμῳ apud Solinum 2, §. 31 ed. Goth. Versus Ennii apud Varronem de l. l. 7, 37: *Corpore Tartarino prognata Paluda uirago* audaci sollertia graecae fabulae auxilio patriarum discordiam de Palladio aut Pallante cum Penatibus coniuncto conciliauisse uidetur. Fac igitur Parilibus non Vestam cultam fuisse, sed Penates, qui proxime pertinebant ad Romam quadratam circa Palatium, id sacrum Palatuar dictum fuisse negare uidentur Festus p. 348, 26 dext. et Muell. suppl. ann. p. 396, et lustrationis ritus, de quo supra p. CLXXX dixi, difficilem explicatum habere uidetur. Verum fieri potuit, ut numinis diuersi, fortassis adeo Sabini, feriae propter nominis similitudinem in fastorum prima ordinatione coniungerentur cum natali urbis: quemadmodum fere Romulo numinis Sabini sub appellatione consecrato nusquam unquam, nisi in Quirinali monte templa facta sunt. Eae igitur feriae Palis deae, quam deam adeo obscuram fuisse, atque Muellerus Etr. 2, p. 88 existimat, uix putauerim, quamquam antiquiora Virgilio ecl. 5, 35, ge. 3, 1; 294 et Tibullo 1, 1, 36; 2, 5, 28, quos Ouidius sequitur, testimonia nulla noui, si quasi oppresserunt sacra Palis dei, potuit certe Varro si antiquissima indagauit, nouissima deprehendit, media ignorauit (ac de fastorum ordine coniecturas tantum eum fecisse supra demonstraui p. LXXVIII), numen incertum habere et de diuerso, quo olim fuisse uideatur, sexu disputare. Alio modo rem expedire conatur Goettlingius uir ingeniosissimus de rep. Ro. p. 168, *Φυλῆν* Graecorum ad partes uocans, uid. Aristoph. Acharn. 251 et scholl. Non satis dispicio sacri similitudinem: et tamen mea interforet, ut agnoscerem. Namque apud Ouidium cum 4, 746 ederem *Palen*, libros sequendos esse existimabam, nec eram nescius disputationis Huschkianae ad Tibull. p. 23. Nunc in tali re, ubi de unius lineolae ui, ut puto, agitur, nollem rationi obluctatus esse.

Item sola uetustas incertum deum reddidisse uidetur Sancum, de quo multo doctior fuit dubitatio, quam quae commemoratur ab Ouidio 6, 213 sq. Ibi quod Fidii nomen a Sabinis uenisse dicitur, non ualde est credibile: abusus ea appellatione olim Aelius Stilo, ut *Dius Fidius* esset *Diouis filius*, uid. Varr. de l. l. 5, 66; Graeci *Πίςιον* reddunt, Dionys. Hal. 2, 49. *Semonis* nomen si diuum significat, prout docuit Hartungus 1, p. 42, Sabinorum uox ergo esse uidetur. *Dius* quoque uix aliud est ac *diuus*, uide ingentem exemplo-

rum elisae inter uocales *V* litterae copiam apud Schneider. gramm. lat. copios. 1, 1, p. 361, 362. *Sanci* igitur nomen ex indigitamentis Sabinorum desumptum existimo et significare deum qui sancit, uelut Aium qui ait, Subigum qui subigit. Ab eodem uerbo dicta sunt secundum Festum p. 321, 21 sin. *sagmina*, uerbenae ex loco sancto decerpendae *a consule, praetore, legatis proficiscentibus ad foedus faciendum*. Eam ob causam qui uiam proficiscebantur sacrificabant Sanco, qui hospitia sancta seruaret, uid. Fest. p. 229, 12 sin. Scilicet propter hospitii sanctimoniam hic deus consecratus dicitur a Tertulliano fr. 5. Denique in titulis ueteribus, quos uide apud interpretes Ouidii, scribi solet *Sancus Sanctus*, quod ita dictum est ad exprimendam numinis uim, ut Faunus Fatuus, Anna Perenna, Aius Locutius, Mater Matuta, Fortuna Fors. Vetustam in Sanco hanc esse rationem docuerit Augustinus c. d. 18, 19: *Sabini etiam regem suum primum Sancum, siue, ut alii qui appellant, Sanctum retulerunt in deos.* Semonem Sancum qui Sabinis diceretur et in rebus sollemnioribus, feriis fastorum, dedicationibus et ostentis, Liu. 8, 20; 32, 1 dictus est, latine, uelut in sacris Argeorum apud Varr. de l. l. 5, 52, Dium Fidium enunciatum, eique explicationi nihil obstare credo, nisi quod facillima est, hoc est, quod si uera sit ueteres latere non potuisse uidetur. Et tamen si de Iouis filio et Hercule interpretationem primus Aelius Stilo excogitauit ac Dionysius Hal. 2, 49 uera tradit his uerbis: *Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σάβου τοῦ Σάγκου δαίμονος ἐπιχωρίου, τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίςιον καλεῖσθαι Δία*, altera sententia, quam Cato nouit, praeter traditam a supra nominatis et Lactantio 1, 15 aut ea fuit, de qua coniecturam feci, aut illa, quam ex Varrone referre uidetur Dionysius 2, 48 de Modio Fabidio siue Medio Fidio, Quirini filio, Curium conditore. Haec fabula si recentior non est Catoniana, cum absurdior sit, utraque certe recedere a religionis Sabinae ingenio, quantum iudicare licet, uidetur et altera alteram euertit: inauditum enim est Sancum et Fidium diuersos esse deos, nec Ouidius in eo discrimine aliud quid, quam lusit.

Hactenus de deis, quorum nomina tantum obsoleuerant. Venio ad alterum genus deorum incertorum. Carmenta post Varronem fere habita est pro dea fatidica, a Virgilio Aen. 8, 339—341, Strabone 5, 3, p. 373 Tauchn., Dionysio Hal. 1, 31, 40, Ouidio 1, 515—536, 584, quibus in locis uix est, quin uetustioris alicuius poetae, Ennii fortassis, fictio repetatur, unde deinde Ouidius 6, 535—542 exemplum sumpsit. *Porrima* siue *Anteuorta*, Macrob.

sat. 1, 7, et *Postuorta* ita acceptae sunt, uti legis apud Ouidium 1, 633—636, cfr. Charisium lib. 2 p. 190, 191 P., Macrobium l. i., cuius uerba: *sicut Anteuorta et Postuorta diuinitatis scilicet aptissimae comites apud Romanos coluntur* fortassis ne ad Carmentam quidem spectant: ueterem imaginem in schedis Pighii ineditis bibl. Berol. ita inuenio descriptam: *tales uidemus Romae prope thermas Agrippae ante aedem D. Mariae in Monterona in arca sepulcrali marmorea sculptas in historia iudicii Paridis, ubi Iouem medium inter hasce duas Carmentas seu Carmentae comites sedentem cernere licet, non secus ac in fastis Eidus primas Ioui peculiariter sacras inter utraque Carmentalia aequa dierum distantia consistere cognoscimus. Nam altera, quae Porrima uel Prosa, tota praeter caput pallae inuoluta dextro cubito incumbit, caput sub mento manu sustentans, meditantis gestu, Iouem ipsum intuens; altera uero a tergo Iouis auerso capite genu dextro stat innixa cubito, non ut altera omnino inuoluta, sed seminuda* —. A Varrone uero istanc interpretationem ad cultus ciuilis, de quo supra p. CLXXII dixi, cerimonias accommodatam et Prorsae Postuertae appellationes longe aliter acceptas uides fr. 6 et superioris libri 5. Similem rationem diuersa conciliandi iniit Clausenius p. 885. Videtur sane carmen, quod propter prodigiosos partus iussu pontificum aut decemuirorum canitur a. V. C. 545 et 552, Liu. 27, 37; 31, 12, uetustatem Varronianae sententiae docere. Cum tamen fabulam de uaticinatione maxime cum Euandri rebus gestis tradi eamque narrationem ad uetustissimam et exploratam numinis notionem non quadrare et Porrimae ac Postuertae interpretationem mutasse constet, quaeri potest, num canendi significatus proprius in ueteri numine esse debuerit. Noui Parcas uel sine nominis adminiculo saepe canentes induci a poetis: quae tamen si Varrone teste a partu dictae et Nona ac Decima nominibus fuerunt, a Fatis Scribundis post primam a puerperio hebdomadem placari solitis teste Tertull. de anima c. 38 diuersae olim iure pontificio fuisse uidentur. Singulare nescio quid Carmenta habet, quae simul parturientibus opitulatur et de eo, quod partu editur, uaticinatur. Nimium est officii in numine ex minusculis illis, de quibus iocatur Augustinus c. d. 7, 4. Putabam per duumuiros aut decemuiros propter prodigia graecum numen latino nomine introductum, cuiusmodi supra Clausenii et meas coniecturas posui: *Ελλειθυῖαν*, quae *Εὔλίνου* cognomine pro *Πεπρωμένῃ* commendata ab Olene uate teste Pausania 8, 21 sub fin. interuenire potuerit carminibus Sibyllarum. *Εὔλινον* nescio an Romani interpretari potuerint *Carmentem*, h. e. quae lanam aut linum de colo *careret*, siqui-

dem mea sententia non necesse est *carminare* magis a *carendo*, quam a *carpendo* dictum esse: nam *decermina* sunt a *decerpendo*: *carpere* uero saepe est pro *nendo*, uide Forcell.: quidni ergo *carere* in uetusta lingua fuerit pro *carpendo*? uel, si mauis, quidni a *carpendo* dicta sit *Carmenta*?

Consus commemoratur ab Ouidio 3, 199. Varro superiori libro deum certum, consiliorum potentem fecit. Eidem tamen nota esse debuit altera interpretatio de Neptuno Equestri, qui cultus est multis Arcadiae locis, uid. Paus. 8, 10; 14; 25; 36; 37, et allatus dicebatur ab Euandro, Dionys. Hal. 1, 33. Namque est religionum Arcadicarum illa animaduersio uetustior Varrone, uide p. CCIII, secundum quam de hoc Neptuno commemorauit schol. Ciceronis ad Verrin. 1, p. 142 Or.

Virbii numen paene totum obruit mythologia graeca. Scimus Ariciae in nemore Dianae, Virg. Aen. 7, 775, Ou. 6, 749, ubi asylum erat fugitiuorum, Ou. 3, 271, Seru. ad Aen. 6, 136, Strabo 5, 3 p. 388 Tauchn., deum, uti uidetur, ex homine post mortem Latinorum more consecratum, fuisse, Dianae ita adiunctum teste Seruio ad Aen. 7, 761, ut Matri deorum Atyn, Mineruae Erichthonium. Signum eius nefas fuisse attingi Seruius ibid. u. 776, uultum non iuuenilem habuisse Ouidius met. 15, 539 tradunt. Quod equos arceri ab eo nemore Virg. 7, 779, Ou. 3, 266, Lactant. 1, 17 affirmant, id ipsum ex graeca superstitione institutum existimo: quemadmodum nec Aesculapii officium, Virg. 7, 769, Ou. 6, 740 sq., facile in uetustiori fabula fuit, posthac ipsos Aricinos de eo narrasse testatur Pausanias 2, 27, 4: mutatum ritum sacrificiorum fatetur Seruius ad Aen. 6, 136. Virbius igitur habitus est pro Hippolyto non quia ulla in re, nisi forte de nomine in Osca lingua suspicari lubeat, similis illi fuerit, sed quia similis est coniunctio in graecis urbibus Dianae et herois. Dianae Saroniae fanum fuit ubi Hippolytus curru excidisse putabatur, Pausan. 2, 32 fin. *Ἀρτέμιδι Λυκαίᾳ* fanum fecisse Troezene dicitur Hippolytus Pausan. 2, 31, 4, qui maxime ipse ibidem colitur, c. 32. De Epidauria Diana in luco Aesculapii uide Paus. 2, 27, 5. Hermionae *Ἄρτεμις Ἰφιγένεια* commemoratur et ibidem asylum Cereris apud Photium lex. p. 16, 5 Pors., quod indicari uidetur a Pausania 2, 35, 10: *ὄπισθεν δὲ τοῦ ναοῦ τῆς χθονίας χωρία ἐςίν, ἃ καλοῦσιν Ἑρμιονεῖς τὸ μὲν Κλυμένου, τὸ δὲ Πλούτωνος, τὸ τρίτον δὲ αὐτῶν λίμνην Ἀχερουσίαν. περιείργεται μὲν δὴ πάντα θριγκοῖς λίθων* — nec procul fuisse uidetur fanum Ilithyiae, §. 11. Ad haec cum conueniant fere Ariciae asylum, lacus, et Egeriae uenerandae ritus Ou. 3, 269,

non tamen ausim cum Clausenio p. 1169 ipsam Dianam Aricinam pro inferno numine habere, quia nusquam traditur aut ab illa, aut ab Egeria (Claus. p. 956) Hippolytum restitutum. A grammaticis Hermionensia sacra cum Aricinis comparata fuisse uidetur mihi colligi fortasse posse ex eo, quod Virgilius teste Seruio Aen. 6, 136 de ramo aureo Tartarum recludente colorem mutuatus est ex ritu Maniorum asyli Aricini, et quod Ouidius 6, 751 Hermionensi Plutonis appellatione usus est, quemadmodum u. 749 *Dictynnae* nomen est Dianae Cretensis, Pausan. 2, 30, 3, unde explicandus poeta metam. 15, 540, et Tauricae, quae delata credebatur ab Oreste Ariciam, uid. Seru. 2, 116. Fabulam Hippolyti delatam esse in Italiam a Troezeniis, qui cum Achaeis Sybarin, mox ab his expulsi (Aristot. polit. 5, 2) Paestum condiderint, quod proximum est Neapoli coloniae Cumanorum, docte exposuit Clausenius p. 1163 sqq. Quod de lingua Osca commemoraui, quaerendum est, num ex Hippolyto Virbius euadere potuerit, quemadmodum ex Hipponio urbe Vibo.

Vediouis multis modis deus est incertus. Nominis altera est originatio quae proditur a Gellio 5, 12, nec fortasse adeo est inscita; nititur certe quadam dei proprietate separatim notanda. Scimus ex Macrobio sat. 3, 9 Vediouem inuocari solitum in urbium deuotionibus una cum Dite patre et Manibus: obseruauit Clausenius p. 1089 cupresseum, ex funestae arboris ligno, simulacrum eius commemorari a Plinio loco supra p. CXXVIII exscripto: postremo pro ipso Plutone habetur a Martiano Capella 2, 9. Dirum eius modi numen apud Etruscos tradi docuit Muellerus Etr. 2, p. 59, 131. His cum multo maior necessitudo cum Sabinis fuerit, quantum ad deorum cultum attinet, quam cum Latinis, absonum non foret coniectare de Sabino Vediouis numine, uid. Varr. de l. l. 5, 74, quod in indigitamentis extiterit. Fac ab his *Iouem* dictum, quod traditur apud Varr. de l. l. 5, 67 et Gell. l. l., quia iuuaret, potuerunt par deorum colere Iouem Veiouem, ut Altorem Rusorem, Porrimam Postuertam, quae nomina, ut pleraque Sabinorum numinum, adiectiuorum uim habent: neque ad aliud uocabulorum genus *ue* syllaba accedere potuit. Altera nominis explicatio est apud Ouidium 3, 445 sq. et quem indicaui supra p. XCIX, coniuncta ea cum fabula de Ioue iuuene, Ou. u. 437, quam a deo terribili esse alienam, ratio, satis uetustam esse numi a Clausenio ann. 2182 et 2172 indicati, a Fogginio p. 38 partim exhibiti, originis esse Latinae siue Albanae inscriptio Orell. 1287, cfr. Clausen. p. 1086, tum ipsa eius natura docet. Coaluisse utrumque numinis cultum Romae cum templa illa

consecrarentur, de quibus quae dicta sunt p. cxxiv, cxxviii conferre poteris cum Clausenianis p. 1092, 1093, facile intelligitur: cui coninnctioni inseruiunt fortassis sagittae, uel uenabula, quae indicantur ab Ouidio u. 438, cfr. annotata ad Ibin u. 48, commemorantur a Gellio, extant in numis. Deinde accessisse uidetur fabula graecanica de Ione infante, u. 443 sq., cuius primum ex Ciceronis aetate, si Vaillantius recte iudicauit, superest testimonium in numo Fonteiorum, num. fam. Romam. 1, p. 450: nisi forte caprae illud simulacrum, quod supra lib. VI, fr. 4 Varronem nouisse uidimus, fabulae iamiam fuit argumentum. Postremo extiterunt, qui Apollinem hunc deum esse docerent, grammatici sine dubio, testante Gellio. Clausenius more suo iam pridem a. V. C. 560 propter cognationem cum Aesculapio in insula Tiberina consecratum putat p. 1091 et uetustissimis Latinis in feriarum Latinarum cerimoniis instituendis notam fuisse graecam fabulam scripsit p. 801: *Veiouis tummelt sich auf der springenden Ziege. Wie der Gott als Knabe Sprung und Schwung geliebt und ietzt in ihm sich in die Lüfte erhoben hat, so schwingt man in ausgelassener Fröhlichkeit sich auf Schaukeln hin und her, als wenn man in seinem Reiche nach ihm suchte.* Talia non semper aequo animo legi possunt.

In Anna Perenna definienda necesse est cerimonias et cultum discernere ab opinionibus et fabulis, quod supra p. clxxvi, clxxvii factum est a nobis. Deinde uero segregandae sunt fabulae populares et grammaticorum. Posterioris generis quae prudenter perspici possunt, fortiter sunt abiiciendae. Neutrum hic quoque satis obseruauit Clausenius. Nam quia decreuit Annam Perennam mollioris aquae numen esse, eius commenti praesidia etiam ex Ouidii uu. 657—660 petiuit. *Lunae* et *Themidis* interpretationem ad *anni* uocabulum spectare intellexit: Themis enim mater est Horarum apud Pausan. 5, 17: sed aut aquae mollis usum toto anno, aut anni h. e. temporis per clepsydram mensionem ait indicari. De *Ione* coniecturam, quae nata est ex fabulae popularis argumento et Isidis cum Luna comparatione, repetit inde, quod Nili aqua mollissima fuerit. De *nympha Atlantide* postquam ita dixit: *Bei Anna tritt die ernährende Kraft des Gewässers uornämlich in der Sage heruor, dass sie dem Iupiter die erste Speise gereicht habe*, punctum temporis suboluisse uidetur de grammaticorum artificio, neque tamen assecutus est rem ipsam, et si assecutus esset, sat scio, denuo peruertisset. Disputauerat enim aliquis Annam esse intelligendam Arcadicam Iouis nutricem Ἁγνώ, Paus. 8, 38, a qua fons perennis in Lycaeo monte dictus fuit. His igitur prorsus sepositis ac relictis fabulae popula-

res diuersas admittere solent interpretationes. Clausenius utraque illa, quam Ouidius tradit, de Anna Numicii nupta et de Anna Bouillana, inuenit, quomodo aquatilem suam opinionem astrueret. Nam Annam Aeneae hospitium fugientem eidem Aeneae, Indigeti Ioui, in flumine iunctam et cum eo Lauinii cultam existimat et Bouillis, quia id oppidum ad aquam Albanam situm fortasse fuerit, eius aquae nympham Annam consecratam fuisse, et quia plebs a Bouillensibus sustentata fuerit, eius rei in memoriam diuam ab his cultam Romae quoque coli coeptam esse. Cautissimum puto ex hac fabula historicum nihil elici, nisi hoc, paulo recentiorem secessione in montem sacrum Annae cultum Romae fuisse. Hoc tempus si traditum fuit, ex cerimoniarum argumento, quas plerasque ad uictus commoditatem et saturitatem spectare dixi, animaduerso sine negotio fabula illa de Annae Bouillanae officio nascebatur. Tertiae apud Ouidium fabulae de Annae lenocinio, quam nihil interest, grammaticam, an popularem habere uelis, subest nequitiarum cantatio, fortassis etiam patratio. Quod igitur tribus uerbis Clausenius dixit, esse hoc sumptum a cultu Channae Punicae, id uerissime dictum existimo. Si in minutis rebus saepenumero in Clausenio notandam putauimus quandam licentiam, non ideo derogatum esto eius laudi, cum quid generose et sagaciter excogitauit in re adeo, quae testimoniis et testimoniorum aestimatione confici non potest. Nihil est inexpugnabile coniecturae, si modo ipsa legitima uenusta uitalis nascitur. Deae Caelesti Carthaginiensium adiuncta uidentur pro duplici eius numine duo numina, alterum Didonis castissimum, templo suo cultum, Iustin. 18, 6, alterius Channae indicia supersunt nomen Ebedchanna, quod significare dicitur Channae inseruientem, Claus. p. 510, et fabula uetusta a Varrone tradita teste Seruio Aen. 4, 682; 5, 4, secundum quam Aeneas rem habuit cum Anna, non Didone: scilicet, ut Clausenius docet, Siculis, qui Aeneam pro Sicharba interposuerunt, non audentibus ante deuictam Carthaginem Didonis famam laedere. Ad Channam igitur referendus est cultus Veneris Carthaginiensis, de qua ex numis docuit Claus. ann. 743, Vestae Phoeniciae, quam Augustinus dicit c. d. 4, 10, puellarum prostitutio, de qua Iustin. 18, 5. Eodem uero ritu colitur Venus Erycina, Strab. 6, p. 272 CD Cas., quae nouenis quotannis diebus Carthaginem proficiscitur, Aelian. uar. hist. 1, 15 extr. Nihil igitur probabilius, quam in Sicilia quoque et notam et cultam fuisse Annam. Haec plenius multa cum oblectatione leges apud Clausenium p. 487 sq., p. 506 sqq. Si uero culta est a Siculis Anna eodem fere ac Venus ritu, licebit coniectare ab iis Romam delatam, qui in penuria post secessionem plebis, Liu. 2,

34, Dionys. 7, 1, post semestrem in Sicilia commorationem et insulae circumuectionem, Dion. c. 2, frumentum plebi esurienti conquisiuerunt. Hinc est, quod a *plebe* Anna colitur, Ou. 3, 525. Nomen mansit, numen mutatum et ad annonae leuationem accommodatum est, quae eius deae auspicio facta uideretur: sed tamen probra illa et obscaena ex peregrino cultu transmigrauerunt; neque miraberis cum Aeneae fabula Lanuuina Annam coaluisse denuo, cum primum de Veneris filio fama increbuit. Magni interforet scire, quo modo Melitae et ad Crathidem amnem, Ou. 3, 567, 581, culta fuerit Anna: cultam fuisse non dubito, quin recte Clausenius diuinauerit p. 720.

De Proserpina, quam superioris libri fr. 7 deam certam indigitamentorum, apud Ouidium autem 4, 417 sq. communem habes, commodius una cum Cerere matre agetur. De Laribus Praestitibus 5, 129 et de lemuribus u. 483 quantum opus erit, paulo inferius, ubi de Lara siue Mania, agam.

In Matre Matuta, quemadmodum Romae cultam supra p. CLXXXIV ostendi, uix quicquam est, quin a Graecis profectum existimari possit, praeter quidem ipsum nomen. Hoc difficilem explicatum habet: apud Festum p. 158, 30 sin., p. 161, 5 dext. deducitur a *mano*, i. e. bono, aut a *maturo*. Notabile admodum est in ritibus sacris Romanis nihil tradi, quod ad Leucotheam maritimam deam referri postulet, omnia ad Bacchicam religionem esse accommodata; nulla etiam Latinorum urbs, quae Matutam coluit, neque Satricum, Liu. 6, 33, neque Cora, Orell. inscr. 1501, mare attigit. Ratio igitur est existimare Bacchicas cerimonias eo tempore romano numini obductas, quo Bacchanalia *tota Italia iam pridem* ante annum V. C. 566 teste Postumio consule apud Liuium 39, 15 ingruerant. Eodem tempore Stimulae numen interpolatum esse paulo inferius demonstrabo, de Bona dea idem suspicari licebit. Quod ad Leucotheae numen marinum attinet, id aliquot saeculis ante Ciceronem Tusc. 1, 12, 28 et Varronem apud August. c. d. 18, 14 notum fuisse facile concesserim, cultum fuisse publice uereor, ut probari possit. Non est negandum inde ab anno V. C. 443 siue 437 rem maritimam Romanorum eo numine indiguisse, uid. Liu. 9, 30, Nieb. h. R. 3, p. 282; neque illicita foret coniectura Atilium Regulum Matutae marinae templum uouisse, uide supra p. CXL. Sed certioribus opus est argumentis, quae uideamus, num ex eo peti possint, quod Matutae filius Portunus dicitur apud Ouidium 6, 537 sqq. Huius dei triplex fuit existimatio. Prima graecanica, qualis est apud Ouidium l. ind., Virgilium ge. 1, 437, Aen. 5, 823, ubi cum Glauco coniungitur, Arnobium 3, 23, Martianum Capellam 1, 4, ubi cum

Ioue et Dite pro Neptuno poni uidetur. Hanc iure negauit Clausenius p. 878 pertinuisse ad religionem romanam. Proxima est uulgi, a qua noluit recedere Varro de l. l. 6, 19: *Portunalia dicta a Portuno, quoi eo die aedes in portu Tiberino facta et feriae institutae;* cfr. Ou. 6, 540. Doctius Varro dixit fragm. huius libri 7. Namque illa aedes in portu, siue ad pontem Aemilium, ut est in fastis Capran. et Amitern. XVI Kl' Sept., si uetustissima nec post ferias institutas et portum instructum, qui, quod sciam, ante annum V. C. 573, Liu. 40, 51, non commemoratur, eo in loco dedicata fuit, facere sane potuit, ut de dei nomine populus erraret, Matutae filium iam tunc eum habitum fuisse minime probat. Quippe secundum tabulam Capran. admonente in retractationibus Fogginio p. 143 ferias habuit Portunus una cum Iano, quemadmodum *Ianus Portunus* est in Inscriptione Orelliana 1585. Vterque igitur deus clauiger (uide de Portuno Paul. Diac. p. 56, 5) nihil aliud, quam tuebatur aditus urbis publicos, sicut uterque praefuit priuatis. Ignotum non est uocabulum, unde Portunus, deus indigitamentorum, fortassis Sabinorum (Fest. p. 217, 15 sin.), nomen accepit: sed eius uocabuli uetustior significatus, qui indicatur a Varrone fr. 7, traditur apud Festum p. 233, 28 sin.: *Portum in XII pro domo positum omnes fere consentiunt.* Potest profecto alterum quoque in usu fuisse, et satis erat causae, cur ad stationes nauales referretur deus: in cultu tamen publico eius nullum est uestigium graecae qualiscunque cerimoniae, quare a Matuta potius in eum migrauisse uidetur fabula, ut ita dicam, terrestris. Venio ad eam sententiam, qua Matuta fuisse dicitur numen Etruscum et toto illo littore maritimo proxime Romam cultum: Niebuhrius ita statuit h. R. 2, p. 538, nec dissimulat unum tantum eius delubrum esse exploratum, Pyrgis, quod Leucotheae appellatur ab Anon. oeconom. c. 19, p. 265 Bekk. et Polyaeno 5, 2, 21, p. 159 Cor. Muellerus quoque Etr. 2, p. 55 et Clausenius p. 879 dubium esse negant, quin Matuta fuerit. Clausenius demonstrauit graecam huius nominis interpretationem profectam esse a Phocaeensibus, qui Leucotheam coluerunt, et quod Strabo 5, p. 226 A Cas. Ilithyiam interpretatur, inde colligit Matutam Romanorum puerperii numen fuisse. Res foret maximi momenti uernaculam deae naturam ita deprehendi, nisi tam dubia esset. Quanto doctius probatum itur Phocaeenses cum Agyllensibus commercium et Leucotheae sacra habuisse, tanto minus necesse est illam Pyrgorum deam ualde conuenisse ad graecam, ueluti docet Strabonis iudicium. Quid igitur, si Cupram putemus, Iunonem Etruscam, de qua Strabo 5, p. 241 B Cas., quae si tota Etruria culta est, necesse est in urbibus

maritimis etiam fuerit: ac *littorea Cupra* appellatur a Silio Ital. 8, 433: Iunonem Argoam, quae de Argo nane dicta fertur, Plin. nat. h. 3, 9, ipse Muellerus 1, p. 169 pro Cupra habet, et quod Etruscum cognomen latere putat, latet fortassis etiam in portu Argoo, quem nominat Apoll. Rhod. 4, 658. Restat igitur Strabonis discrimen, quod expedire non ualeo. Ad priscam Matutae indolem indagandam fortassis prodesse possit, quod apud Liuium 32, 30; 34, 53 legimus a C. Cornelio consule in proelio aduersus Insubres anno V. C. 555 uotum esse templum Iunonis Sospitae, sed quadriennio post dedicatum Iunoni Matutae secundum libros ueteres. Vtrumque cognomen si idem expressit, non igitur perperam Verrius quemadmodum a *mane* dicitur *matutinum* et *Matuta* Lucretiana 5, 654, ita a *mano Matutam* declinauit, quod etiam Ouidius secutus uidetur u. 469: *bonae matres.* Si quis putare uelit Cornelium consulem, utpote in ueteri Etruscorum solo ad Mantuam, de qua uideatur Muell. 1, p. 138, Etruscum numen latine appellasse, idemque Coriolanum in uouenda Matutae aede, Liu. 5, 20, spectasse, Sabinis certe eadem illa Cupra esse potuit Matuta, uid. Varr. de l. l. 5, 159. Sed poenitet nugarum: monebo potius in Leucotheae recto casu apud Ouidium, ubi edi solebat *Leucothee*, praeter libros me secutum esse Huschkium ad Tibull. p. 211.

Stimula, simplicissimum numen, lib. superior. fr. 7, propemodum constat implicatum Bacchanalibus graecam personam induisse, pro Semela haberi coeptum. Liuius 39, 12 lucum Similae appellauisse uidetur; Varronem accuratius inquisiuisse de nominis uicissitudinibus indicat Augustini locus c. d. 6, 9: *Sic Bacchanalia summa celebrantur insania: ubi Varro ipse confitetur a bacchantibus talia fieri non posse, nisi mente commota:* uides eum causam inuenisse, cur etiam prisco nomine Stimula ad Bacchum attinuerit. Haec secutum esse Ouidium 6, 497 apertum est.

De dea, quae apud Ouidium 2, 569—614 describitur, separatim agere constitui. Quippe in hac poetae ingenium id fecisse uidetur, quod in superioribus populus aut populorum commercium duorum. Difficillimus in Romanorum rebus diuinis est locus de manibus, lemuribus, penatibus, geniis, laribus, quae omnia orcina apud Etruscos fuerunt numina. Horum uero ex doctrina, quippe quae enucleate praeciperet de istiusmodi rebus, ueteres iamiam docti opiniones populares aut additamentis locupletasse aut suspensas fecisse uidentur. Scilicet quia Mantus Dis pater Etruscorum fuit et quia cum mundus, qui Etrusco ritu institutus est (de hoc Ouidii uersus 4, 823 explicatos inuenies apud Mueller. Etrusc. 2,

p. 96), pateret, deorum inferum ianna patere est credita, hinc non putauerim consequi Romanorum de dis manibus superstitionem Etruscam potius fuisse, quam Italicam, fortasse Latinam. Lemures apud Appuleium de deo Socratis p. 152 ed. Oudend. et Martianum Capellam 2, 9 interponuntur subtili horum numinum distinctioni, quae potest esse Etrusca, et tamen ipsum nomen nonnisi altero manium aut minus auspicatum, aut antiquius, Ou. 5, 421, 423, uel, cuius suspicionis non deest causa, Sabinum fortasse fuit. Penates publicos Varro apud Arnob. 3, 40 et priuatos Nigidius ibidem ex Etruria repetunt docente Muellero p. 87, quibus ambagibus nihil tribuendum esse existimauerim. De Genio posthac dicetur. Lares igitur ex Etruscorum disciplina habitos fuisse pro deis animalibus ex inferis reuocatis ostendit Muellerus 2, p. 90, 92: eam opinionem Romanos semper secutos esse minime credo, cum ipse Varro apud Arnobium 3, 41 inter hanc et alteram graecanicam haesitauerit. Sed tamen temporis decursu demum depositam Etruscam superstitionem censeo, olim altius penetrasse in religionem Romanam, quam expectauerit qui tralationis modum perspexerit. Libri idonei apud Ouidium 5, 131 et Varro de l. l. 5, 74 docent a Sabinis lares cognomine Praestites et Larundam consecratos esse: hinc igitur, ex una larium ara, cum mille factas diserte tradat Ouidius u. 145, tota illa publica et priuata religio fluxit. Sabini uero cognomen laribus Praestitibus fecerunt ex sua deorum certorum nomenclatura, ipsum numen, ut et alia, acceperunt ab Etruscis, uid. Muell. 2, p. 64: quod indicet doctrinam abstrusiorem ab iisdem fuisse assumptam, praeter Larundae nomen hoc unum noui, quod Kl' Maiis, quo mense Lemuralia fuerunt, lares Praestites ferias habuerunt. Varro tamen apud Arnob. 3, 41 *antiquorum sententias sequens laruas esse* dixit *lares, quasi quosdam genios, defunctorum animas mortuorum.* Hoc totum est Etruscum mereturque componi cum eo, quod a Plutarcho Mana Genita canario sacrificio, quod conuenit cum Ou. u. 5, 137, coli dicitur. Crediderim superstitionis circa lares Etruscae, quae apud Romanos extant, uestigia omnia referenda esse ad Compitaliorum cerimonias. Ea cum instituta sunt, siue factum id est a Seruio Tullio, Plin. n. h. 36, 70 extr., siue a Tarquinio Superbo, Macr. sat. 1, 7 sub fin., culti sunt lares, sed uetusto Latinorum parentationis per oscilla ritu, Macr. l. ind., Fest. p. 194 dext., Paul. p. 121, 17, una cum Mania, Macr. l. ind., quae a Varrone de l. l. 9, 6 et apud Arnob. 3, 41 et a Macrobio mater larium, a Festo uero p. 129, 30 manium (nisi forte apud Paulum p. 128, 10 *larium* pro *laruarum* corrigendum est) mater aut auia materna nuncupatur. Hos ritus

Etrusco temperamento coiisse non est, quod negetur; caeterum Maniae cognomen Genitae facilius, quam ipsum nomen, Etruscum esse concesserim: satis est si diuersa a Larunda non fuit, quam nusquam praeter Varronem et in glossis ueteribus Philoxeni a Neapoli ad Ou. 2, 599 adhibitis commemorari memini: de Larentia sustineo iudicium. Iam uero eandem hanc larium matrem Ouidius *Tacitam* u. 570, *Mutam* u. 581, *Laram* u. 597 appellat, idque solus, nam Lactantii nulla est auctoritas. Plutarchus equidem Num. 8 ita: *Τὰ γὰρ πλεῖςα τῶν μαντευμάτων εἰς Μούσας ἀνῆγε καὶ μίαν Μουσῶν ἰδίως καὶ διαφερόντως ἐδίδαξε σέβεσθαι τοὺς Ῥωμαίους, Ταχίταν προσαγορεύσας, οἷον σιωπηλὴν ἢ ἐνεών.* Sed quaeritur, nec expedire possum, utrum Lara, an Tacita re uera culta illis ritibus fuerit: neutra si fuerit, sed aut Mania, aut Larunda, satis audacter fecit Ouidius, praesertim si de Feralibus, non de Compitalibus, uti supra conieci aliquando, loquitur: potuisset in *maenis*, u. 576, in *compitis* u. 613, in canis sacrificio, uid. Theocr. 2, 12 et Kiessl. ad u. 36, Hecates admoneri. Quae ponitur fabula grammatica de Lala nympha, de cuius nomine egregie meruit Heinsius, quantumuis artificiose concinnata interprete non indiget.

Postremo licebit incertis accensere ***Palaestinas deas*** quas appellauit Ouidius 4, 236. Has explicandas doctiori alicui et acutiori relinquo. Quaesiui de dea Syria, nihil satis idoneum potui inuenire. Video Paulum Marsum interpretem Ouidii saeculi sexti decimi ineuntis ita annotare: *nobis autem cum de hoc loco quaereremus, fidelissimus utriusque linguae interpres omni doctrinarum laude cumulatissimus, in quo nuper magnam iacturam fecimus, in antiquissimo lyricorum principiorum interprete ostendit furiarum templum in Epiro fuisse: item et in alio graeco codice uetustissimo. Hoc non solum mihi, sed Pomponio quoque uetustatis indagatori diligentissimo demonstrauit.* Nugas puto: in Eustathii certe *προλόγῳ τῶν Πινδαρικῶν παρεκβολῶν* nihil inuenio huiusmodi. Palaesten urbem Epiri ex Caesaris commentariis et Lucano notam Syrorum coloniam dicit Laur. Lydus de magg. 3, 46. Falsus P. Victor in regione decima Palatina recenset *Rhamnusiae aedem* et notitia *Rhamnusii*, quod quid sit, nescio. Interpres Maii ad Virg. ge. 3, 12 *regionem Iudaeae Musarum numini sacram* scripsit: posset mendum latere.

LIBER SEXTVS DECIMVS.

Fr. 1. August. c. d. 7, 17: *In tertio porro isto de diis selectis posteaquam praelocutus est quod ex naturali theologia praeloquen-*

dum putauit, — De deis, inquit, po. Ro. publicis, quibus aedes dedicauerunt, eosque pluribus signis ornatos notauerunt, in hoc libro scribam: sed ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quod contendam, ponam. Hominis enim est haec opinari, dei scire.

2. Id. ib. 7, 2: *Hos certe deos selectos Varro unius libri contextione commendat: Ianum, Iouem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Mineruam, Venerem, Vestam: in quibus omnibus ferme uiginti, duodecim sunt mares, octo feminae.*

3. Id. ib. 7, 4: *De Iano quidem non mihi facile quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat. Et fortassis talis fuit, ut innocentius uixerit et a facinoribus flagitiisque remotius. Saturnum fugientem benignus excepit, cum hospite partitus est regnum, ut etiam ciuitates singulas conderent, iste Ianiculum, ille Saturniam.*

4. Lydus de menss. 4, 2, p. 146: ὁ δὲ *Βάῤῥων* ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν Θείων πραγμάτων φησὶν αὐτὸν παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν λέγεσθαι καὶ Ποπάονα διὰ τὸ ἐν ταῖς καλένδαις ἀναφέρεσθαι πόπανα.

5. Non. p. 197, 5: *Varro rerum diuinarum: Vt deum significae, non partem mundi, sic pater magnus materna (Matutinus?) hister (Falacer?) caelus.*

6. August. c. d. 7, 9: *Iuppiter — deus est, inquiunt, habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo — quoniam penes Ianum, inquit, sunt prima, penes Iouem summa.* Id. ib. 2, 29: *— non lapis Capitolinus.* Id. ib. 4, 9: *Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari.* Id. ib. 7, 11: *Dixerunt eum Victorem Inuictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centupedam, Supinalem, Tigillum, Almum, Ruminum.*

7. Tertull. adu. gent. c. 14: *Et romanus cynicus Varro trecentos Ioues, siue Iupiteres dicendum, sine capitibus introduxit.*

8. August. c. d. 7, 13: *Quid est enim Saturnus? unus, inquit, de precibus* (leg. *proceribus*; cfr. 6, 1: *turba uel quasi plebeiorum uel quasi procerum deorum*) *deus, penes quem sationum omnium dominatus est.* Id. ib. 6, 8: *Vel sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram, de qua oriuntur, iterum recidant.* Vide praeterea lib. 7 toto cap. 19; Fest. p. 186, 21.

9. Lactant. 1, 13: *Omnes ergo non tantum poetae, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt — latini Nepos et Cassius et Varro.* Cfr. Tertull. adu. gent. c. 11, ad nat. 2, 12 et 13 passim.

10. August. c. d. 7, 13: *Quid est Genius? deus est, inquit, qui praepositus est ac uim habet omnium rerum gignendarum. — Et cum alio loco genium dicit esse unius cuiusque animum rationalem et ideo esse singulos singulorum —.*

11. August. c. d. 7, 14: *Nam ideo Mercurius quasi medius currens* (*Medicurrius* Seru. ad Aen. 8, 138) *dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius — ideo et mercibus praeesse, quia inter uendentes et ementes sermo fit medius: ideo alas ei in capite et pedibus ponunt uolentes significare uolucrem ferri per aera sermonem: ideo nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enunciantur.* Velius Longus p. 2236 P: — *antiquis relinquamus, apud quos aeque et Mircurius per I dicebatur, quod mirandarum esset rerum inuentor, ut Varro dicit.*

12. August. c. d. 7, 16: *Apollinem quamuis diuinatorem et medicum uelint, tamen ut in aliqua parte mundi statuerent, ipsum etiam solem dixerunt.*

13. Id. ib. 7, 14: *Item quia nec Marti aliquod elementum uel partem mundi inuenire potuerunt — deum belli esse dixerunt.* — Tertull. ad nat. 2, 9: *Romulus aeque post mortem deus: si quia urbem condidit,* [*etiam*] *alii usque in feminas urbium auctores. Sane Romulus et fratrem interfecit et alienas uirgines dolo rapuit: ideo deus, ideo Quirinus,* [*opinor, quia*] *tunc parentibus quiritatum est per illum.*

14. Id. ib. 7, 23: *ubi erit Orcus frater Iouis atque Neptuni, quem Ditem patrem uocant? ubi eius uxor Proserpina, quae secundum aliam in eisdem libris positam opinionem non terrae fecunditas, sed pars inferior perhibetur?*

15. Id. ib. 7, 21: *Iam uero Liberi sacra, quem liquidis seminibus ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodammodo primatum uinum tenet, uerum etiam seminibus animalium praefecerunt, ad quantam turpitudinem peruenerint —: in Italiae compitis quaedam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in eius honorem pudenda uirilia colerentur —. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis et usque in urbem postea uectabatur. In oppido autem Lauinio unus Libero totus mensis tribue-*

batur, cuius diebus omnes uerbis flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transuectum esset atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. Id. ib. 7, 16: *Liberum et Cererem praeponunt seminibus, uel illum masculinis, illam femininis, uel illum liquori, illam uero ariditati seminum.* Cfr. 7, 19.

16. Id. ib. 7, 28: *Dicturus enim de feminis, hoc est, deabus: Quoniam, inquit, ut in primo libro dixi de locis, duo sunt principia deorum animaduersa, de caelo et de terra, a quo dei partim dicuntur caelestes, partim terrestres: ut in superioribus initium fecimus a caelo, cum diximus de Iano, quem alii caelum, alii dixerunt esse mundum: sic de feminis initium scribendi fecimus a Tellure.* Id. ib. 7, 23: *Cur ergo pontifices, ut ipse indicat, additis quoque aliis duobus quatuor diis faciunt rem diuinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori?* Id. ib. 7, 24: *Eandem, inquit, dicunt Matrem magnam: quod tympanum habeat, significari esse orbem terrae: quod turres in capite, oppida: quod sedes fingantur circa eam, cum omnia moueantur, ipsam non moueri: quod Gallos huic deae ut seruirent, fecerunt, significat eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere,* caet. *Tellurem, inquit, putant esse Opem quod opera fit melior: matrem, quod plurima pariat: magnam, quod cibum pariat: Proserpinam, quod ex ea poserpant fruges: Vestam, quod uestiatur herbis. Sic alias deas, inquit, non absurde ad illam reuocant. — et dicit: cum quibus opinio maiorum de his deabus, quod plures eas putarunt esse, non pugnat.*

17. Seru. ad Aen. 3, 113: *Sane dominam proprie Matrem deum dici Varro et caeteri affirmant.*

18. Aug. c. d. 7, 16: *Quandoquidem etiam matrem Magnam eandem Cererem uolunt, quam nihil aliud dicunt esse, quam Terram, eamque perhibent et Iunonem et ideo ei secundas causas tribuunt rerum —.*

19. Id ib. 7, 2: *Et hanc prouinciam fluorum menstruorum in libro selectorum deorum ipsi Iunoni idem auctor assignat, quae in diis selectis etiam Regina est.* Id. ib. 7, 29: *causas — subsequentes nouit atque ordinat.* Id. ib. 7, 24: *tot cognominibus una Iuno.*

20. Id. ib. 7, 16: *Mineruam etiam, quia eam humanis artibus praeposuerunt —.*

Deos selectos uerbis fragm. 1 definiuisse Varro uidetur: conferenda sunt quae Augustinus de c. d. 4, 23 scripsit: *nec inter deos,*

quos selectos uocant, Felicitas constituta est, ut templum aliquod ei fieret, quod et loci sublimitate et operis dignitate praeemineret. Idem 8, 5 *deos maiorum gentium* a Varrone enarratos existimat et 7, 2 de causa illius appellationis *selectorum* ualde satagit: ut appareat Varronem de ea re uerbosius non disseruisse. Ac sufficiebat intelligenti *templorum* et *signorum plurium* commemoratio, cui inest sacrorum publicorum amplificatio, artium ex superstitione incrementum, superstitionis ex artibus uernaculae nutrimentum, alienae inuitamentum. Cum hoc cultu ciuili serpsisse fabulas poetarum non ignorabat Varro, uid. lib. I, fr. 15, coll. Aug. c. d. 6, 9. Id factum esse etiam in deis incertis uidimus, ubi modo coalescentia, modo pugnantia ea elementa, interdum iniqua portione uictum atque oppressum nomine tenus alterum ab altero introspeximus. Deos igitur selectos dixerim certos utriusque generis ita olim descriptos, ut uelut ipsi Romani ad Varronis usque aeuum contumeliam et luxuriam perinde tulerint, in utraque ualuerint, ab utraque profecerint. Nullus est deus selectus, quin fabulam publica auctoritate habeat adiunctam, hoc est, quae a cultu sacrisque publicis segregari nequeat. Eae fabulae quod tantumnon omnes Augustino teste 7, 4 impudicae erant, non multum attinet: graecas omnes esse non magis potest affirmari: plerorumque numinum per fabulam mutatam esse pristinam naturam, non est negligendum. Recensebuntur singuli, si pauca monuero de re, quam a fragmentorum digestione seorsum habendam existimaui. Interpretationes deorum naturales credibile est post Epicharmum ab Ennio scriptum ita fere hominum animos insedisse, quemadmodum superiore libro graecas fabulas accessisse ad ueterem Romanorum religionem demonstraui. Constat Varronem in hoc libro de theologia ista physica denuo disseruisse: quaeritur primum, qua parte libri id fecerit. De ipso exordio testatur Augustinus fragmento 1 et lib. 7, c. 5: *De naturali enim paucissima praeloquitur in hoc libro* —. Non ualde obnitor, si quis inde sumptum putabit Augustini lib. 7 cap. 6, quod supra p. CVIII inter fragmenta libri primi feci septimum. Sed fieri tamen possit etiam, ut Varro ab iis librum exorsus fuerit, quae apud Augustinum 7, 23 leguntur post haec uerba: *Et certe idem Varro in eodem libro de diis selectis* —. Haec, quae infra ponentur, quibus *in illam naturalis theologiae uelut libertatem caput erigere paululum uoluisse, adhuc tamen hunc librum uersans*, Varro dicitur, conueniunt etiam ei libri parti, ubi post enarratos deos ad deas uentum est, uide sis fr. 16. Denique 7, 29 deorum officia eadem in suum deum confert, *quae diis selectis nescio*, inquit, *per quas physicas interpretationes Varro*

distribuere laborauit, atque in eundem sensum c. 33: *quorum sacra Varro dum quasi ad naturales rationes referre conatur* —, et 8, 5: *et ea, quae Varro ex his sacris quasi ad caelum et terram rerumque mortalium semina et actus interpretatus est — alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes siue elementa transferre* —. Non intelligitur utrum bis tantum, an toto libro eum in modum Varro disputauerit et tamen in tanta eorum, quae Punica hominis perfidia excerpsit, dissimilitudine scitu opus erat. Nescio quam sit fide dignum illud, quod traditur, a Gregorio pontifice Varronem esse combustum: causam habere potuit non furta Augustini, quae sane nec ipse dissimulat, sed malam fidem. Hanc quaestionem de deorum selectorum interpretatione eius culpa despero fructum habituram. Quaedam ex lib. 7 capp. 15 et 16 minuta prorsus abieci. Primum ad *partes mundi* eos deos Varro retulit, qui inter sidera et caelestia corpora fuerunt. De stoicorum eo placito supra p. CXIII monui: Tertullianus libri secundi ad nationes capp. 1—6 contra Varronem potissimum disputat et aliquoties locos eius allegat, incertum, num ex hoc, an ex primo libro: quod quia nec constat, nec magni momenti ipsae sententiae sunt, sola haec uerba ex cap. 5 ad partes uocanda duxi: [*ideo*] *deos credi Solem, qui diei de suo cumulet, fruges caloribus .p.......et, annum stationibus seruet: Lunam, solatium noctium, patrocinium mensum gubernaculis. Item* (*gubernaculum aestiuum*? Lucan. 1, 412) *sidera, signacula quaedam temporum ad mutationem* (*rurationem*?) *notandorum*. Itaque neque apud Augustinum 7, 15 dubium erit, quin Varro, quamquam eius nomen non ponitur, de stellis Mercurii, Martis, Veneris, Saturni dixerit, quemadmodum c. 16 Sol et Apollo, Luna et Diana pro iisdem sideribus et stellae Iouis et Iunonis commemorantur. Nec credo satis considerate Augustinum sub finem c. 15 Varronem urgere Arietis, Tauri, Cancri exemplo, quos et conuenit a Varrone pro deis habitos esse et testari uidetur Tertull. ad nat. 2, 15 init. Ita scilicet Ouidius praeter locum supra positum etiam 3, 460 *Coronam deam factam* dixit. Detractis ergo de uiginti selectorum numero his octo deis sidereis, namque plures non licet abesse a maioribus prouinciis, redeundum esse puto ad mundi descriptionem Varronianam lib. 1 fragm. 7, cui respondet haec deorum reliquorum dispositio uerbis Augustini: *Ianus est mundus* c. 7, c. 16: *solum caelum Iuppiter*, c. 16, quod oportebat referri cc. 9—12, neque corrumpi in eam sententiam, ac si Varro Iouem quoque mundum dixerit, quod mendacium Augustini puto: *Vestam quoque ipsam propterea dearum maximam putauerunt, quod ipsa sit terra*, c. 16: *Minerua summus ae-*

ther c. 16, *supra ipsum caelum* c. 28: *Iuno aer* c. 16: anima mundi *quando in terram permanat* facit *deam Tellurem* c. 23: *quod autem inde permanat in mare atque oceanum, deum Neptunum* c. 23: *dicunt animi mundani partem cum permeat terrae partem superiorem, Ditem patrem facere deum, cum uero inferiorem, Proserpinam deam* c. 23, conferes c. 28. De Vulcano haereo paululum. Varronem cum Zenone ignem mundi animam fecisse testatur Tertullianus ad nat. 2, 2 sub fin. Animam mundi per ipsum *tanquam mel per fauos* transisse Zeno dixit, Tertull. ibid. 2, 4, sed, ut puto, δι' ὧν μὲν μᾶλλον, δι' ὧν δὲ ἧττον, ut supra legisti. Quod testimoniis probare nequeo, hoc est, ipsum ignem, dum sese infundit naturae, fieri ex purissimo pinguem et uiolentum, ignem mundi leniorem, quae est Vesta, Aug. 7, 16, medium esse inter aethera et Vulcanum, de quo praeter Aug. 7, 16 et 29 uid. Varro de l. l. 5, 70. Fieri potest, ut uno in loco ita disputauerit Varro, qui in alio alia de anima mundi docuisse uidetur. Nam remotis his deis, qui ad *partes mundi* aut *elementa* accommodari poterant, restant Genius, Liber pater et Ceres. Huc igitur pertinere puto locum Varronis ab Augustino seruatum 7, 23: *Et certe idem Varro in eodem libro de diis selectis tres esse affirmat animae gradus in omni uniuersaque natura. Vnum, qui omnes partes corporis quae uiuunt transit et non habet sensum, sed tantum ad uiuendum ualetudinem. Hanc uim in nostro corpore permanare dicit in ossa, ungues, capillos, sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt et modo quodam suo uiuunt. Secundum gradum animae dicit, in quo sensus est. Hanc uim peruenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animae esse summum, qui uocatur animus, in quo intelligentia praeeminet: hoc praeter hominem omnes carere mortales: in qua quoniam homines deo uidentur esse similes, hanc partem animae mundi dicit deum, in nobis autem genium uocari. Sic ergo et in anima mundi tres gradus instituens unam partem eius lapides esse dicit et ligna et hanc terram, quam uidemus, quo non permanat sensus. Aliam uero quam sensum uocat eius ut aethera. Tertiam porro quam et animam eius nuncupat, quae scilicet peruenit in astra: eam quoque asserit facere deos et per eam quando in terram permanat deum Tellurem.* Conferendus est Seruius ad Aen. 5, 81 et 8, 564. Si anima mundi *Genius* est in hominibus et *Tellus* in terra, putauerim *Liberum patrem*, qui seminibus animalium praefuit, fr. 15, et *Liberam, quae Ceres seu Venus est feminis*, Aug. 7, 3, accommodari potuisse ad tertiam mundi partem: potuerant adeo ad duas, quas Seruius reliquas facit. Sed haec philosophis relinquamus.

Ianum deum qui nihil unquam fuisse dixerunt, quam initiorum atque introitus exitusque potentem, Hartungus et Clausenius, uidentur mihi ignorasse discrimen quod est inter deum certum et deum selectum. Deorum certorum praesertim ex indigitamentis simplex est notio, ipso nomine inclusa, qualem Ianum commemorari uidimus a Varrone lib. XIV, fr. 5, cfr. August. c. d. 7, 3. Selectorum per cultum ciuilem et additamenta peregrina amplificata est ipsa illa informatio primaria et ad maiorem euecta dignitatem. Cum primum publice ad Ianum, ut puto, imum, (nihil enim exploratum est,) Iani sacellum cum bifronte imagine dedicatum est, Ou. 1, 257, 275, cfr. Tertull. ad nat. 2, 15 et Gothofr. p. 172, unde Geminus dictus est, quicquid contra dicit Sachsius descr. Romae 1, p. 97, 127: tunc etiam *Clusii* et *Patulcii* appellationem, Ou. 129, Macrob. sat. 1, 9, coaluisse in unam notionem oportet et natum illum *deum deorum*, quem Salii cecinerunt, Macr. l. ind. Nam quod hinc et hinc initium finemque nullum habet, quod cum clauditur, idem aperitur, id perpetuum est et infinitum: deorum uero prima uirtus est infinitos esse. Nihil tribuere soleo philosophematis, nisi ubi ipsae res philosophantur. Sed quod dixi, nisi ita fuerit, credendum est Ianum Etruscorum cum Romano minus tenaciter conflatum esse, quam in deo selecto par est. Ianus Etruscorum habitus est pro caelo, uide fr. 4, Faleriis captis Romam uenisse quadrifrons propter caeli cardines dicitur, Seru. et interpp. Mail ad Aen. 7, 607. Si id traditum est de deditione anno V. C. 361, Liu. 5, 27, non est fide dignissimum. Crediderim famam ortam ex ueteri nomine dei, quod fuisse puto *diui patris Falacris*, Varr. de l. l. 5, 84; 7, 45: Etruscorum uocem existimo, qui *falandum* dixerunt caelum, Paul. Diac. p. 88, 12. Falerii autem urbs *a falis* (ita lege) dicta est, Paul. p. 91, 8. Iam eam de Iano opinionem non tantum a Varrone frr. 4 et 14 atque Ouidio u. 125, 139, sed etiam a uulgo antiquitus usurpatam esse primum mirum non foret, nam infiniti imago maxime est in caelo, deinde apparere uidetur ex eo, quod in quouis sacrificio Ianus adorabatur, Ou. u. 171 sq.: id significari suspicor more illo prisco in deo adorando se dextrorsum circumagendi, Ou. 3, 283, quo nihil frequentius apud Plautum et alios, uide Brisson. de form. p. 36, 37 ed. 1592: qua re caeli cardines collustrantur. Caeli uero regiones cum terrae etiam limites sint, praesertim ex disciplina Etruscorum, posthac Romanorum, uid. Muell. Etrusc. lib. 3 cap. 6, potuit certe Ianus ad perpetuitatem terrae referri, cuius rei tenuia sunt uestigia apud Macrob. l. ind. cum *rector uiarum* dicitur, et Ou. u. 122: *perpetuae uiae*, quibuscum conferes *pronas uias* Tibulli 1,

6, 72. Artium auspicandarum mos Kal. Ian., Ou. u. 169, uidetur spectare ad Ianum ἔφορον πάσης πράξεως, quem Varro aut Lydus fr. 4 dixit, Agonium quem sine dubio intelligit Paulus p. 10, 5. Hac in re si fortasse sufficit initialis Iani potestas, uid. Horat. serm. 2, 6, 20, at cum pro duodecim mensibus duodecim arae ei consecrantur, uid. lib. 5 fr. 4, non recte id a Macrobio referri uidetur ad *Iunonii* cognomen: propter anni dierum numerum in simulacro a Numa expressum a Plinio nat. hist. 34, 16 temporis et aeui deus, a Fronteio apud Lydum ἔφορος τοῦ παντὸς χρόνου nuncupatur: subest perpetuitatis notio. Ex utraque iam pridem populari dei interpretatione nata est doctorum explicatio de mundo, qui aeternus est, cfr. Varro, Aug. 7, 7, et Messala apud Macrob., hinc deinde Ouidii figmentum u. 103—114, de quo supra p. CI dixi. Altera pars in deo selecto est fabula. Ea quemadmodum de Iano traditur ab Ouidio 235—254 et Varrone apud Augustinum fr. 3, uetusta ac Latina esse potest: filius eius Fontus, cuius ara in Ianiculo fuit, Cic. legg. 2, 22, 56, ab Arnobio 3, 29 traditur et uxor Iuturna, ab Ouidio met. 14, 333, 381 Venilia. Illud de *uita innocentiore*, Ou. u. 247 sqq., quod cum Saturni societate bene quadrabat, dubium uix est, quin plurimi Romanorum causam claudendi pace Iani putauerint, cum ea cerimonia potius fabulae origo fuisse uideatur. Niebuhrii disputatio hist. Ro. 1, 324 adiuuatur Seruii testimonio ad Aen. 12, 198. Alterum dei matrimonium conuenit cum fabula de Lautolarum origine, de qua supra p. CXIIX sq. dictum est. Longe discesserunt grammatici, quorum Hyginus teste Macrobio sat. 1, 7 et, ut puto, Seruio ad Aen. 8, 330 uxorem Camesen, filium Tiberim tradidit: haec repetuntur a Graecis Protarcho, Xenone, Dracone, Demophilo, qui ipsum Ianum exulem una naui (Seru. Aen. 8, 357) ex Perrhaebia (Plut. quaest. ro. 22) uenisse, ibi uero sororem et uxorem Camisen siue Camasenen (Lyd. de mens. 4, 2 fin.), filium Aethecem, filiam Olistenen (Athen. 15, 692 e) habuisse ac nomen Iano fluuio et monti dedisse (Athen. 15, 693 d) commentati sunt. Aethices populus et Perrhaebi in monte Pindo sunt apud Stephanum Byz. p. 30, 28 Dind. et Plinium nat. hist. 4, 1. Oloosson urbs Perrhaebica est Stephano p. 326, 19 Dind.

De Ioue uerbosius disputandi huius loci non est, cum Ouidius sex tantum eius cognomina commemoret. Eorum duo *Elicius* 3, 328 et *Stator* 6, 787 de eo genere sunt, ut *Iuppiter Lapis* fr. 6, propter quod Varro ante illum Iouis Capitolini principatum *trecentos Ioues sine capitibus*, h. e., ut puto, sine imaginibus, uid. p. CXCI, solis cognominibus adumbratos fuisse scripsit, qui deinde nominis prope

dixerim appellatiui Latini conciliatione summi dei numina et potestates factae sunt. Cfr. August. c. d. 7, 24: *tot cognominibus unus Iuppiter*. Sed Iuppiter ille optimus maximus postquam consecratus est, alterum genus cognominum infinito prope numero certis reipublicae temporibus admisit. *Inuictus* dictus est teste Ouidio 6, 644 et Varrone fr. 6, uti supra iam annotabam p. CXLI. Idem Varro ibidem testatur de Ioue *Statore* Ou. 6, 787, uide supra p. CXLII, et de *Victore* Ou. 4, 621, uide supra p. CXXX. Iuppiter *Tonans* consecratus est anno demum V. C. 732, uid. Dion. Cass. 54, 4. Hoc cognomen pro nomine usurpatur ab Ouidio 4, 585; 6, 33; 343; 2, 69. Ablatiuo casu est *Tonante*, non *tonanti*, quamobrem met. 11, 319 legendum est *comanti*. Nolui tamen magna littera impertire, ne quis forte putaret Kal. Febr. Tonantem Dionis Cassii esse dedicatum. Restat Iuppiter *Pistor* Ouidianus 6, 344 in *arce*, non illa 2, 70, sed in Capitolio proprie dicto qui aram habuit. Saepenumero me torsit illud cognomen, quod a solo poeta et Lactantio, qui eum exscripsit, traditur, donec ad hunc Seruii locum Aen. 8, 652: *In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione, ut coriis madefactis et postea frictis uescerentur: cuius rei argumentum est, quod hodieque ara in Capitolio est Iouis Soteris in qua liberati obsidione coria et sola uetera concremauerunt*, inueni inscriptionem apud Donium class. 9 n. 11 p. 341 repertam Romae ante templum S. Laurentii in Lucina, quae ita habet: IOVI. CONSERVA || TORI. PATR. PATR || SER. SVLPICIVS. SER. LIB || STEPHANVS. II. VIR. STAT. AEN || PRO. SALVTE. IMP || CAESARIS. AVG. COLLEG (hoc est, *collegio*, docente proximo superiore apud Donium titulo) || SILIGINIARIORVM || DEDIT. Iam res salua est: neque in re adeo congrua de fraude tituli suspicionem admitto. Iouis Conseruatoris in tutela uidentur fuisse pistores: ob id ipsum Iuppiter Pistor appellari potuit, quemadmodum *Ζεὺς ἀφίκτωρ* apud Aeschylum, *Ἀφροδίτη καλλίπυγος* et *ἑταίρα* apud Athenaeum. Sed quia in Capitolio fuit, ad illam simpliciorem Seruii fabulam accessit altera illa apud Florum 1, 13, 16 et, uti fertur, Dionem Cassium apud Suidam s. u. *ὑπερμαζᾷ*, p. 3700 Gaisf.: *οἱ δὲ Γαλάται καταπλαγέντες ὡς ὑπερμαζώντων αὐτόχρημα τῶν Ῥωμαίων καὶ διὰ τὴν τρυφὴν ῥιπτούντων τοὺς ἄρτους ἐσπείσαντο.*

De Saturno primum est, ut intelligatur fabulas semigraecas fr. 9, quas etiam Ouidius 1, 233 sqq. 6, 19; 29; 280 sequitur, satis fuisse uetustas Romae: docet hoc fragmentum ueteris poetae, qui *L. Attius in annalibus* dicitur apud Macrobium sat. 1, 7 fin., ubi non de placitis, uelut in *sacra* illa *historia Ennii*, cuiuscunque

modi illa fuit, apud Lactant. 1, 14, sed de sacris popularibus agitur. Fieri potuit, ut anno V. C. 535 ex monitu librorum Sibyllinorum, quos de Saturno egisse docet Clausenius p. 230 ann., consummaretur graeca horum sacrorum forma, Liu. 22, 1, postquam anno 257, Liu. 2, 21, Dionys. 6, 1, aucta iam est; sed sciri nequit, numquid in ueteri Saturni cultu eiusmodi fuerit, quod traditur graeco ritu capite aperto ei sacrificari, Fest. p. 322, 32 dext. p. 343, 6 dext., Seru. Aen. 3, 407, Macrob. sat. 1, 8, uxor Ops fuisse, Varro de l. l. 5, 57, Macrob. sat. 1, 10, uincula lanea dempta eius feriis, Verr. Flacc. apud Macr. s. 1, 8, Arnob. 4, 24 et seruorum epulae. Videamus, quid causae in reliquis Romanorum Saturni sacris fuerit ad arcessendas graecas has superstitiones. Deum Sabinorum Saturnum facere uidentur Varro de l. l. 5, 74, Dionys. Hal. 2, 50 et nominis terminatio conuenit cum aliquot indigitamentorum numinibus: recte igitur fecit Varro, quod de prioris syllabae significatu anquisiuit, quamquam uerum eum non inuenisse bene, ut puto, iudicauit Clausenius p. 866. Sed displicet etiam huius ueriloquium a *saturitate*, quia dapes illae Saturnales num satis uetustae sint, ignoramus. Quanam igitur re, quae graeca non sit, illa Varroniana allegoria apud Augustinum 7, 19 nititur? ut opinor, *falce*, quae ibidem et apud Arnobium 6, 25, Festum p. 325, 9 sin., Macrob. sat. 1, 7 deo tribuitur. Haec explicari potuit de δρεπάνῳ Croni, Pausan. 7, 23, 4, de agricultura, uti a Varrone factum est assentientibus reliquis, quos posui, denique de collucandis arboribus, prout ab Arnobio 6, 12 *ramorum detonsor*, a Macrobio surculorum pomorumque educator dicitur. Huius postremae opinionis nullam inuenire causam possis, nisi posita fuerit in reconditiori nominis significatu, immo uetustiori eius forma, quam latere suspicor apud Paul. Diac. p. 323, 9 et Festum p. 325, 16 sin. Priore loco cum codex Lips. et Berol. habeant *Satrurnus*, meliores non longe diuersa, adiuuante ordine proximorum uocabulorum, quorum prima syllaba est *Sar*, emendauerim *Sarturnum* a *sarpendo*, Fest. p. 322, 10, unde etiam *sarmenta*, *sartura* apud Plin. nat. hist. 18, 67 et fortasse *sartio* apud Festum dicuntur. Littera r ante d certe elisa est in *iudex*, *pedo* = πέρδω. *Lucem facere Saturno* quid esset, uarie interpretati sunt grammatici: *capita detegere* Paulus p. 119, 14, graeci oraculi similem sacris Iouis Elicii euitationem Macrobius sat. 1, 7 siue Varro. Latet superstitio romana propter deorum certam potestatem συνωνύμοις operandi; dea Mania, Rubigo, Lucina (coll. met. 9, 298) facile exempla suppeditant: Saturnus uero, uti dixi, *collucando* praeerat. Vxor eius uetustissima, hoc est, quae in indigitamentis cum

eo coniungi solita est, Lua fuit, uid. Gell. 13, 22, Varro de l. l. 8, 36. Hanc Varro certe nomen habere a *luendo* potuit coniicere, uid. de l. l. 5, 137: nec aliter statuerim, cum quod iustae analogiae decedit, compensetur meo iudicio generosa illa facetia, mox cerimonia, post pugnam arma occisorum per campum horrentia Luae matri consecrandi, Liu. 8, 1, aut, quasi dumi ac sentes excisi essent, succendendi, Liu. 45, 33. Hoc igitur Sabinum par deorum existimauerim: Saturnum uero et Opem Latinum, de quo infra leges. Namque postquam ille nominis Saturni intellectus obsoleuit, alter de satione increbuit, fieri potuit, ut Saturnus idem haberetur Sterci siue Stercutio, Pici patri, qui primus est in stemmate regum Laurentum. Id uero factum esse claris uerbis ex Varronis de gente pop. ro. libro tertio tradit Augustinus de c. d. 18, 15 et Macrobius sat. 1, 7 med. Scilicet sementem facere et stercorare agros minus sunt diuersa, quam frumentum serere et arbores putare. Iam ergo regnasse olim in terra ante Picum, Faunum, Latinum reges creditus est Saturnus, eaque fides non longe aberat ab Euhemeri narratione, a quo aureum saeculum non sub deo Titane, sed sub rege Cretensi (Seru. Aen. 8, 319) traditum: atque haec sunt Romanorum Saturnia regna. Opis matrimonium quomodo initum esse uideatur, infra dicetur. Hoc iam in fundamento quicquid libitum est cerimoniarum graecarum, strui poterat: ex quibus cum Romanorum rursus peculiares quaedam, uelut quam de legatis gentium suscipiendis commemorat Plutarchus quaest. ro. 43, ortae essent, posthac ipsum fundamentum abiectum, de Saturni naui aduentu illa excogitata sunt, quae Ou. 1, 235—240 praeeunte Virgilio Aen. 8, 319 retulit: causam commenti puto ueriloquium *Latii*, quod quamuis Varronis non sit teste Seruio ad l. ind., non tamen uideo, cur Augustini illa 7, 4, fragm. 3 solius Virgilii potius, quam Varronis habeantur, qui oppidum Saturniam certe agnoscit de l. l. 5, 42, ex quo loco probabile fit Ennium secutos esse Virgilium et Nasonem.

Varro cum secundum Augustinum 7, 13 Genium dixit rerum omnium gignendarum praesidem et secundum eundem 7, 6 coniunxit heroas lares et genios, manifesto secutus est Etruscam disciplinam, uti egregie docuit Muellerus Etr. 2, p. 89 collatis Paulo Diac. p. 94, 16 et Festo p. 359, 15 sin., tum p. 92 ex Labeone apud Seru. Aen. 3, 168 collato Arnob. 2, 62 et Fulgent. s. u. *manales*. Neque id non pertinebat ad Romanorum religionem ciuilem, quando ipse ille Etruscus Iouis Genius cultus est liberae reipublicae temporibus in Latio arguente titulo Orelliano n. 2488, nec potest negari lares Romanos ita fuisse cultos, uti dictum est supra p. CCXIX. Verum

restant duo geniorum genera, de quibus Etruscos praecepisse non inuenio. Alterum locorum est; Seru. ad Aen. 5, 85; 95: *nullus locus sine genio est.* Quaeritur igitur, utrum penates et ipsi lares familiares fuerint genii domuum, an genii locorum manes defunctorum, qui quasi reciderint in terram, quemadmodum Seruius ad Aen. 6, 152 animas in suis domibus sepultorum lares appellat: quod tantumnon probare mihi uidetur Clausenius p. 1016 sqq. Sed idem Seruius ibidem cum penates hoc nomine distinguit a laribus, demonstrat non per omnes huius modi religiones aeque inualuisse Etruscorum placita. Itaque alterum quoque geniorum genus, quod est hominum dum uiuunt, *anima cuiusque rationalis*, ut Varro dixit fr. 10, proprium Romanorum putauerim. De hoc maxime Ouidius commemorauit, si unum locum excipias, 2, 543, ubi in re Virgilium 6, 75 sqq., in locutione Varronis sententiam, idque primus, quantum sciam, scriptorum romanorum, est secutus: aliud enim est iudicare eundem esse genium et larem, quod praeter Varronem multos fecisse testatur Censorinus c. 3, aliud promiscue usurpare. In eundem sensum, sed perperam, alius locus Ouidianus 3, 58: *Acceptus geniis illa* (Larentalia) *December habet* explicatur ab Hartungo 1, 39 et Clausenio p. 1024. Nusquam legi Larentalibus genios placari: Saturnalia genialiter acta et mense Decembri quis ignorat? Tertium quoque, quod apud Ouidium est, eodem modo peruerti potuit 5, 145: *Mille lares geniumque ducis, qui tradidit illos, Vrbs habet.* Vides lares priscos coniungi cum genio Augusti, quod titulus apud Orellium n. 1667 confirmare uidetur. At factum est ex quo princeps deos *tradidit*, h. e. denuo consecrauit, uti docet inscr. Orell. n. 1668, Compitalia bina uere et Augusto mense, uti u. 147 docet, instituit teste Suetonio Oct. c. 31, ergo ante eius mortem, quo tempore quintus quoque liber scriptus est a poeta; immo ante annum V. C. 741 scriptumque ab Horatio uersiculum lib. 4, 5, 34: *et laribus tuum Miscet numen* caet., nisi hoc intelligendum est ut apud Ouidium 2, 635 secundum bonos libros, de laribus priuatis.

Mercurii interpretationes Varronianae nulla in re differunt ab Ouidianis. De *sermone medio currente* cfr. 5, 668, addito Martiani Capellae testimonio de Facundia Mercurio nupta, *ut Etrusci dicunt*, 2, 10, 1: de *mirandarum rerum inuentione* cfr. Ou. 5, 104, 663, Seru. Aen. 4, 577, de mercimoniis Ou. 5, 671. Sunt praeterea graecae fabulae apud Ouidium, de animarum in Orcum deductione notissima 5, 447: quae 2, 606 sqq. ingeniose est conuersa ad larium infernorum deorum, qui apud Romanos hermarum fere loco sunt, procreationem: de internuncio Cereris et Proserpinae 4, 605 sqq. ex

graecis Cereris sacris desumpta, ut cognoscitur ex Pausania 8, 31, 7: de hospitio apud Orionis patrem 5, 496, de qua uide supra p. XCII et Seru. ad Aen. 10, 763: quarta commemoratio cultus Arcadici 5, 88 sqq., de quo uide Pausaniam 8, 17, 1; 5; 31, 7; 36, 10; 39, 6; 47, 4; 16, 1, neque negligito postremis in locis, uel certe postremo et altero 10, 32, 5 idem tradi, quod supra p. CLXXXII apud Lydum conuenire cum Ouidio demonstraui; id si apud Varronem non extitisse credendum est Augustino, qui negat illum *inuenisse, quomodo Mercurium referret ad aliquas partes mundi, quae sunt elementa,* non tamen neglectum putauerim ab iis, quicunque primum, ut supra indicaui p. CXCVIII, quam plurimas religiones Romanas ex Arcadia repetere sunt conati. Mercatorum maxime deum Mercurium fuisse cognoscitur ex prima aedis dedicatione apud Liuium 2, 27 cum collegii mercatorum institutione coniuncta. Vota mercatoris apud Ouidium 5, 681 sq. Mercurii *ἀγοραίου* et *δολίου* Graecorum, Paus. 7, 22, 2; 27, 1, admonent. Quaeritur, quando primum graecae usurpatae fuerint fabulae aut cerimoniae, quas non recentissimas fuisse in Italia docet Varronis apud Censorinum c. 22 testimonium de sacris toto Latio Mercurio et Maiae fieri solitis, uel Plauti Amphitruonis prologus. Leue inuenio indicium ex libris Sibyllinis graecum cultum inualuisse. Mercurii aedem Liuius loco indicato et c. 21 eo anno dedicatum dicit, quo pugnatum est cum Volscis, Sabinis, Auruncis: uotum ergo fuit paulo ante. Iam uero Dionysius 6, 17 ante Volscorum bellum uota narrat templa Cereris Liberi et Liberae: *ἐσπάνισαν γάρ*, inquit, *αἱ τροφαὶ τοῦ πολέμου κατ' ἀρχὰς καὶ πολὺν αὐτοῖς παρέσχον φόβον ὡς ἐπιλείψουσαι, τῆς τε γῆς ἀκάρπου γενομένης καὶ τῆς ἔξωθεν ἀγορᾶς οὐκέτι παρακομιζομένης διὰ τὸν πόλεμον.* Frumenti mercatus non facile pertinuit aut ad Cererem, aut ad Liberum Liberamue, sed ad mercatores et praefectum annonae, qui nuncupantur in aedis Mercurii dedicatione apud Liuium c. 27, cfr. Niebuhr. 1, p. 665. Quamobrem cum proxima a modo positis Dionysii uerba sint haec: *διὰ τοῦτο τὸ δέος ἀνασκέψασθαι τὰ Σιβύλλεια τοὺς φύλακας αὐτῶν κελεύσας* etc., et cum anno etiam V. C. 535 post Trasimeniam pugnam decemuiris Sibyllinis curantibus, ut ego interpretor, propter annonae domi natae et peregre aduehendae praeuisam penuriam, lectisternium eodem die Mercurio et Cereri factum sit secundum Liuium 22, 10, coniicio eodem etiam anno V. C. 258 eandem ob causam iisdem libris auctoribus uota esse templa Cereris et Mercurii, sed dedicata seorsum. Superest, ut moneam aedem Cereris a Graecis artificibus adornatam dici apud Plinium nat. hist. 35, 45.

Apollinem diuinatorem et medicum dixit Varro, officia dei uetustioribus Romanis nota complexus. Nam demonstratum est a Clausenio p. 616 ex narratiuncula de Sibyllae Romam aduentu et de consulto a Tarquiniis oraculo Delphico, qua in re Ouidius 2, 711 sqq. alium auctorem sequitur ac Dionysius 4, 69, sed eundem cum Liuio 1, 56, colligi posse priuata Apollinis sacra a Phocaeensibus (Iustin. 43, 3) Tarquiniis tradita: Phocaeenses enim coluisse Apollinem docetur ann. 1100ay. Hunc Apollinem diuinatorem fuisse magis apparet ex narrationibus istis, quam ex coniectura, audaciori fortassis, Clausenii de Thymbraeo deo. Publice cultum esse cognoscitur ex Liuii uerbis 3, 63 de ueteri pratorum Flaminiorum nomine, quae certiora sunt Varronianis de l. l. 5, 52, tum ex eo, quod anno V. C. 356 legati Delphos missi sunt sciscitatum de prodigiis, Liu. 5, 15. In indigitamentis Sabinis hic deus, qui solus inter selectos graecum nomen seruauit, esse non potuit; uid. Arnob. 2, 73. Quamquam id nomen Romani corruperunt maturo ad Sabinorum numinum similitudinem dixeruntque *Apertam*, Paul. Diac. 22, 15. Praeterea inde ab anno V. C. 322 ex iussu librorum Sibyllinorum teste Liuio 4, 25 is Apollo, quem Macrobius sat. 1, 17 a uirginibus Vestalibus *Medicum et Paeana* inuocatum dicit, coli coepit, uide Ambrosch. p. 171 ann. 66 et Clausen. p. 258—271, p. 1098 sqq., plerumque propter pestilentias, abortus, uel similia morbosa prodigia expianda, plane ut apud Graecos ἐπικούριος et ἀλεξίκακος, docente Pausania 8, 40, 7; 8. Quia tamen hoc quoque alterum apud Varronem dei numen latina *Apellinis* originatione Romani informarunt, Paul. Diac. 22, 14, Macrob. 1, 17, inde interpretor factum esse, ut Marcius uates anno V. C. 540 ad depellendum Italia Hannibalem iuberet ludos institui Apollini; nisi *uomicae* uocabulum premere uelis apud Liu. 25, 12: Clausenii displicet ratio p. 259: *also dem Wolfgott Apoll, der den Feinden ein Wolf werden soll, zu Ehren.* Hi uero ludi quia scenici maturo fuerunt (ita enim fortasse dissensio inter Liuium 25, 12 uel potius Valerium Antiatem, uide Liu. 36, 36, quem etiam Ouidius 4, 357 fortasse sequitur, et Festum p. 326 dext. componenda est), ideo anno V. C. 573 theatrum et proscenium ad aedem Apollinis extructum, Liu. 40, 51, et ideo mimi *parasiti Apollinis* instituti uidentur, qui commemorantur apud Festum loco proxime ind. et in titulo Orelliano n. 2625, de quibus cum non multum exploratum esse uideam, ascribo locum Augustini de c. d. 6, 7: *Epulones etiam deos parasitos Iouis ad eius mensam qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse uoluerunt?* — Haec sunt, nisi fallor, Apollinis μουσαγέτου a Romanis olim culti

uestigia. Accedit apud Ouidium Apollo Actius Palatinus, de quo scriptorum locos omnes collegit Clausenius p. 1102 ann. 2210. Huius inprimis insigne fuit litteratum officium: bibliotheca Palatina et certamina musica commemorantur a Dione Cassio 51, 1; 53, 1; sed consentaneum est ab hoc deo, utpote a Graecis ipsis assumpto, nihil graecae superstitionis alienum fuisse: habitus est praeterea pro genio quasi imperii et aeui Augustalis, cfr. Orell. inscr. n. 1435 et uide supra p. CLXXIII, ubi non memineram *Concordiae Apollinea lauru* redimitae 6, 91, quam neque pro Tiberiana, neque pro Liuia facile habuerim, sed opus Augusti dici existimo, ut in metam. 3, 728: *io comites opus haec uictoria nostrum est*, uel fast. 1, 288: *Neue suum, praesta, deserat auctor opus*, h. e. pacem. De *Clario deo* infra quaedam annotabuntur. Praeterea apud Ouidium 1, 291; 3, 826 medicus Apollo, 1, 474 coll. 6, 538; 2, 245; 259 sq.; 711; 3, 856; 4, 263 diuinator, 3, 139; 6, 111; 419; 707 notissimae graecae dei fabulae indicantur.

Venio ad Martem, in quo deo quod accurata quaestione dignissimum et inchoatum est ab Hartungo 2, p. 169 et Ambroschio p. 153, de agrario eius officio, id ad Ouidium non pertinet, qui ubique bellicum deum, 3, 1 sq., 5, 550; 598, alibi, et Romuli potissimum parentem 2, 483; 3, 3; 10 alibi, consiliarium, 3, 197, urbis conseruatorem 6, 348 facit. Itaque eodem modo Martem Vltorem, de quo uide supra p. CXXXIII, informauit et inter alia *Gradiuum* appellauit 5, 556, cuius appellationis inter causas apud Seruium ad Aen. 3, 35; 1, 292 ualde me aduertunt haec uerba: *Mars enim cum saeuit, Gradiuus dicitur, cum tranquillus est, Quirinus: denique in Vrbe duo eius templa sunt, unum Quirini intra urbem, quasi custodis, sed tranquilli, aliud in Appia uia extra urbem prope portam, quasi bellatoris, id est Gradiui.* Scilicet unde haec sumi potuerint, nisi a Varrone, non exputo. Certe templum Martis Vltoris neque Quirini, neque tranquilli fuit, et praeter hoc in urbe ullum aliud neque, quantum memini, constat fuisse, neque ipse Seruius intelligi patitur. Videtur ergo Varro Quirinum pro Marte habuisse, eiusque suspicionis duo in promptu sunt adminicula. Primo loco credibile non est Quirinum a Varrone praeteritum fuisse inter deos selectos: qui flaminem maiorem habuit, Fest. p. 185, 21 sin., qui salios Collinos siue Agonenses, uide Ambrosch. p. 174, 175, qui sacellum et templum eo ipso tempore, quo libri rerum diuinarum scripti sunt, maiore cultu restitutum, uide supra p. CXLIV, quem in his ipsis libris fortasse scripsit *diis multis, Neptuno et Plutoni fratribus Iouis et ipsi Saturno patri eorum isto honore praelatum*, uid. August. c. d. 2, 15.

Atqui in fr. 2 eius nomen non refertur, fortassis quia qui referuntur dei physicis rationibus interpretandi erant. Deinde uero Dionys. Hal. 2, 48 narrationi a Varrone desumptae haec interponuntur, quorum necesse est alterum utrum Varronis esse: τὸν δὲ Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες Κυρῖνον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβές, εἴτε Ἄρης ἐςίν, εἴτε ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς ἔχων. οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς οἴονται θεοῦ πολεμικῶν ἀγώνων ἡγεμόνος ἑκάτερον τῶν ὀνομάτων κατηγορῆσθαι, οἱ δὲ κατὰ δυοῖν τάττεσθαι δαιμόνων πολεμιςῶν τὰ ὀνόματα. Quicunque ita iudicauit, eum oportet aut ignorasse illa, quae ab Ambroschio p. 170 contra proferuntur, aut insuperabilia non putasse. Neque quicquam uideo prolatum, quod difficilius sit ad conciliandum, quam pristinum illud duorum Quirinorum discrimen, Sabini, Varr. de l. l. 5, 74, et Enniani apud Ouidium 2, 474 sqq. et Varronem apud August. 2, 15. An dubium est, quin si Iani, Saturni, aliorum deorum selectorum antiquissima sacra cognosci possent, in uno quonis eadem disparilitas deprehenderetur, ac cum apud Polybium 3, 25 Pyrrhi temporibus pro deis diuersis ponuntur? Nam quod Mars et Quirinus cum Ioue Saliis praeesse dicuntur apud Seruium Aen. 8, 663, apud eundem ib. u. 274 Mars solus, ut apud Ouidium 3, 259, et u. 285 Mars et Hercules nominantur, manifesto argumento arcte coaluisse Martem et Quirinum. Flaminem Martialem fuisse Latinorum olim, Quirinalem Sabinorum acute docuit Goettlingius hist. reip. Rom. p. 187: munia eorum quam postea fuerint coniuncta, scilicet ignoramus. Quod Ambroschius in lege Numae de spoliis opimis Martem et Quirinum discerni dixit, si uerum uideretur, posset intelligi: sed maior est Festi auctoritas p. 189, 15 sq. quam Plutarchi Marc. 8 et Seruii Aen. 6, 860. Selectorum deorum hoc est proprium, ut cum cultu ciuili numen amplificatum sit. Cultum esse insigniter Quirinum constat: numen pristinum Sabinum adeo fuit exile, ut a fabula Enniana in hominum opinione prope expugnaretur, quae non satis dispicio, num ad sacra pertinuerit: mirum ergo ni re uera a Marte alimenta duxit, cum quo toties coniungitur, quoties ab eo distinguitur. Cuiuscunque illa fuit originatio *Quirini* a *curi*, hasta, quae extat apud Dionysium Hal. 2, 48, Seruium ad Aen. 1, 292, Paulum Diac. p. 49, 10 conferri meretur cum eo, quod Varro testibus Clemente Alex. c. 4 et Arnob. 6, 11 hastam Martis simulacrum aliquando Romanos habuisse scripsit.

Vulcano apud Ouidium 5, 725 attribuitur Tubilustrium posterius X Kl' Iun. Causa additur, quod is deus tubas siue tubos

aheneos illos fabricetur; quae non satisfacit, cum id artificium in Vulcanum collatum esse possit una cum nomine Mulciberi ex Graecorum auctoritate: nihil uideo impedimenti, quin ita statuatur, praeter fortasse quod Vulcano arma capta incenduntur, Liu. 1, 37; 8, 10, quem ritum ad lustralem ignis uim etiam retulerim. Probabile est utrumque Tubilustrium aeque ad Vulcanum et ad proximum diem Q. R. C. F. pertinuisse et binis diebus lustrationem factam. In eum modum si cerimoniam illam obscurissimam a Varrone de l. l. 6, 31, Plutarcho qu. r. 63, Paul. Diac. p. 259, 4 descriptam accipere licet, non est illicitum Vulcanum ad hanc quoque referre. Vulcani aream, Vulcanale, τὸ ἱερὸν τοῦ Ἡφαίςου, quod supra comitium fuit, Fest. p. 290, 18 dext., iam pridem Sabinorum Latinorumque coniunctionis quoddam sacrarium fuisse traditur a Dionys. Hal. 2, 50, Plut. qu. r. 47: uti interpretor, propter foedus aqua et igni (Seru. ad Aen. 12, 119) olim ibi ictum, quemadmodum utrumque elementum sacrificio Vulcani expiatorio, uti uidetur, *pro animis humanis* coniungi solitum tradit Festus p. 238, 27 dext. Hartungus 2, p. 107 Vulcanale quoddam impluuium uel focum populi Romani fuisse existimat, cfr. Clausen. p. 644. In domibus priuatis quin aliquid rei Vulcano cum penatibus laribusue fuerit, dubitari non potest. Ita enim Seruium Tullium regem, quem spurio patre Festus p. 174, 16 dext., ex lare familiari alii procreatum scripserunt, uid. Dionys. Hal. 4, 2, Plut. fort. Ro. c. 10, Ouidius 6, 621 Vulcani filium fecit manifesto translata fabula Caeculi Praenestina, de qua testibus, quos supra p. CXLVI ascripsi, adde quos collegit Clausenius p. 762: et ad ea, quae de uico Virbio disputaui, confer Ambroschium p. 184, ubi demonstratur Aricina sacra multo ante Praenestina Romam delata esse. Tertium apud Ouidium est de Caco Vulcani filio 1, 554, quod ex Campana fabulae origine et Campano Vulcani cultu, uid. Solin. 1, 8, Strab. p. 377 A Wolt. sufficienter est explicatum a Clausenio.

De Sole a Romanis culto poteris adire Ambroschium p. 171 et Clausenium p. 1027. Apud Ouidium saepe, 1, 164; 3, 361; 416; 6, 17; 420; 694; 6, 199, poetarum Alexandrinorum more *Phoebus* dicitur: 3, 44 et sexies praeterea apud Ouidium *nitidus* dicitur, unde ante hos quinque annos suspicabar apud Tibullum 3, 68 *nitidis alitibus* legendum.

Plutonis fabulam 4, 445 sqq. abunde exposuerunt interpretes, nisi quod locum notissimum Ciceronis Verr. 4, 48, §. 107 desidero, cuius haec uerba: *et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras* suaserint fortassis emendationem u. 449: *Panditur in terram.* Lib. 5, u. 448 *Stygius Iuppiter* est Ζεὺς ἐνέρων Aeschyli aut Pin-

dari, nam memoria me destituit, cfr. tamen Virg. Aen. 4, 638. De Clymeno 6, 751 uide supra p. ccxıı et Heinsium.

Liberum patrem quandoquidem consentaneum est olim numen proprium fuisse, in tam difficili nominis originatione multo, nisi fallor, praestat Varronem fr. 15, cfr. August. c. d. 6, 9, sequi, quam Clausenium, qui si recte λείβειν, λοιβὴν adhibuit p. 752, reliqua certe mirifice conturbauit. Itaque de nomine fateor ignorantiam, deum seminum cuiuscunque modi et fascinorum potentem, prout fr. 15 testatur, et Latinorum quidem deum agnosco. Harum rerum neutra longe aberat a Bacchi proximis in Campania religionibus. Vinum quod Varro scripsit quodammodo principatum fructuum tenere, nihil nisi eius interpretatio uidetur: minime enim constat ueteres Latinos ita iudicasse, qui Iouem potius uindemiae praefecisse uidentur testante Varrone de l. l. 6, 16 et fabula illa de Mezentio, uide supra p. LXXXIII. Memini de hac re alicubi in museo Rhenano disputare Conradum Schwenckium, incorrupti iudicii uirum. Sed tamen graecas cerimonias hac parte ad rusticos Latinos peruenisse non est, quin Virgilio et Horatio credatur. Alterum quoque de seminibus animalium Bacchum attraxit, quem Neapolitani teste Macrobio sat. 1, 18 aduenerati sunt Ἥβωνος cognomine; neque dubito eo referre Oscae, ut puto, linguae uocabulum *hirquitallos* siue *irquitallos* apud Paul. Diac., quod significat pueros τραγίζοντας, pubertati proximos. Vtraque etiam prouincia Libero attributa est in sacris publicis urbis Romae. Ferias et templum nactus est anno V. C. 260 una cum Cerere propter annonae difficultatem: ex librorum quidem Sibyllinorum monitu, sed quis credere uelit graeci dei usque eo ignoti nomen *Λυαίου* aut Ἐλευθερίως tunc translatum et introductum fuisse? accedit quod Dionysius 6, 17 et 44 cum bis *templum* unum et bis *templa* facta dicit, ea quidem res rectius ex legis Horatiae uerbis apud Liuium 3, 55, quam ex Seruio ad ge. 1, 7 diiudicari uidetur: sed si XIII Kl' Mai. feriae fuerunt Cereris et Liberi testante fere Ouidio 3, 786, ergo XVI Kl' April. solius Liberi feriae consignantur, quas recentiores alteris cur fuisse putemus, nihil est causae: nomen ergo fuit uetustius. Hisce Liberalibus consuetudo fuit pueros uesticipes toga uirili induendi: quae cerimonia etsi non publica, Propert. 5, 1, 128, sanctissima tamen fuit et uetustissima et cum Iouis Capitolini sacrificio coniuncta teste Seruio ad ecl. 4, 50. Quin adeo quod Ouidius 3, 785 de ludis antehac eo die factis se comperisse scripsit, nihil aliud putauerim, quam memoriam publicae alicuius celebritatis olim institutae, cum neque bini ludi tantulo interuallo, neque priorum in mensem

Aprilem translatio satis placeat. De togae purae sollemnibus qui scripserunt indicantur a Beiero ad Cic. Lael. c. 10, §. 33, p. 56 ed. Teubn. Hanc igitur alteram ueteris romanae religionis partem existimo. Dubium non est, quin ex utraque graecae theologiae beneficio luculenta Bacchi sacra nata fuissent, nisi ex S. C. anno V. C. 566, cum gliscerent licentius, repressa fuissent. Hinc igitur est, quod rerum omnium apud Graecos sollemnium non nisi umbra quaedam usurpata est, ut supra dixi p. CLXXVII: pro bacchis furentibus anus innocuae, pro orgiis secretis discubitus publicus, pro uino liba mellita.

Tellurem non sine causa Varro coniunxit cum Ope et Magna matre, fr. 16, quae apud Augustinum fr. 2 non enumerantur: lenibus enim sese attingunt discriminibus. *Tellurem*, *Tellumonem*, *Altorem*, *Rusorem* a Varrone nominatos ex indigitamentis proferri intellexit Ambroschius p. 63 ann., non tamen satis obseruasse uidetur ex illis indigitamentorum iterationibus nata demum numina maiora et selecta, non subesse iis. Velut Tellus culta est feriis sementiuis cum Cerere, Ou. 1, 671, et Fordicidiis paucis diebus post Cererem, 4, 665. Quaeri possit, num secundum indigitamenta, in quibus tot dei agricolae traditi sunt, uide supra p. CLXXXVII, ad agriculturam aeque pertinuerit, atque ad deos inferos, prout legitur in Deciorum deuotione Liu. 8, 9; 10, 29. Si mutauit officium dea Sabina, commutauit cum Ope numine Latinorum aeque uetusto, quippe in regia cum iis, quos Ambroschius indicauit, deis culto. Varro de l. l. 6, 21, eo in loco Opem Consiuiam dictam prodit et idem sine dubio olim Festus p. 249, 17 dext. De Ope Tatii regis apud Varr. de l. l. 5, 74 uarie iudicari potest. Ops Consiuia primum culta est separatim VIII Kl' Sept. Deinde cur cum Saturno coniuncta sit, docet Festus p. 186, 25, scilicet propter officii communionem; postquam feriis (Macr. sat. 1, 10) et templo (Liu. 39, 22 et fortasse Festus p. 189, 20 sin.; P. Victorem insuper habeo) coniuncta est, interueniente fabula graeca deposuit illud conserendi officium habitaque est pro Terra, quemadmodum *'Ρέα* Graecorum a tragicis etiam uetustioribus, uid. Clausen. p. 9, ann. 17. Vetustam satis esse hanc Opis interpretationem a Varrone de l. l. 5, 57 traditam docent ritus ueteres, Macrob. sat. 1, 10: *Huic deae sedentes uota concipiunt terramque de industria tangunt* (cfr. de Tellure eundem ib. 3, 9) et apud Varronem, uide supra p. CLXXXVI. Hinc deinde fieri potuit, ut Ouidius 6, 279 ex Ope Iunonem, Cererem, Vestam natas scriberet. Vides his uicissitudinibus usquequaque uersatam priscam Terrae religionem nihil noui aut egregii prodidisse. Quid esset uene-

randum in eo numine, demum intellexerunt Romani quarto decimo belli Punici secundi anno, quando patriae solum obsessum et quasi profanatum erat ab hoste Punico: cfr. Ou. 4, 259; 264 cum Liu. 29, 10; 11 et Clausen. ann. 4100. Vel potius propemodum intellexerunt. De matris Magnae Idaeae notione ac numine omnia occupauit Clausenius ac nisi fecisset, tam feliciter docteque ego non disputauissem. Primum demonstratur Rheam quae culta est in Troade circa Idam montem a Corybantibus, p. 29, 195, et Phrygiam in Dindymo monte Agdistin, cui Galli seruiunt, p. 24, fuisse coniunctas, p. 23, 28: eius rei indicia sunt apud Ouidium 4, 181; 191; 207; 214; 234; 249 sq. Acuta deinde coniectura docetur p. 166 Vestam a Graecis cultam esse sub lapidis imagine a Saturno deuorati et redditi collatis Pausan. 10, 24, 6 et hymn. Hom. 24, 3: deinde in Troade sacra fuisse Vestae Victricis, p. 167: fortasse ergo hic quoque lapidis pignori subesse creditam, ac certe, quemadmodum Tenedi Pindarus Nem. 11, 1 testatur, iunctam Rheae siue matri Idaeae, quae pro Terra habita est, fuisse. Iam uero Pessinunte matrem Idaeam sub lapidis simulacro cultam constat, uid. Arnob. 7, 46. Ex ritibus deae Phrygiae uiolentissimis et Graecorum sententiis humanissimis, si coirent, nasci propemodum debuit numen eiusmodi, uti indicatur in loco Seruii supra p. c indicato, ad Aen. 3, 113, qui Clausenianae disputationis summam complectitur; idque nouisse Sibyllam consentaneum est, quam Idaeam ipsam fuisse Clausenius disputauit diligentissime. Pessinuntem et Italiam a Liuio additas credibile est 29, 10 in oraculi uerbis, quod iam lege: *Quandoque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia uincique posse, si mater Idaea a Pessinunte Romam aduecta foret.* Caeterum ex Varronis illa allegoria minime probatur Matrem magnam ea mente, qua arcessita uel arcessenda fuit, cultam fuisse etiam a Romanis; barbariem et furorem hac parte maxime regnasse, Phrygias religiones graecis potiores habitas esse demonstrauit Clausen. p. 859, 860. Atque eius rei causam indicauit Niebuhrius aureis illis uerbis h. R. 3, p. 725: *Zufrieden mit Italiens Herrschaft wäre das ächte römische Volk glücklicher edler und reiner geblieben.* Singulari fato numen clarissimum quod esse debebat et poterat, inuenustum et in ipso cerimoniarum strepitu et apparatu incertum relictum est. Quandoquidem nullus prope deus selectus sine peregrinarum fabularum admixtione confieri potuit, adiunxissent Matri magnae pro Attine Genium populi Romani, libassent fortem et castum sanguinem, subscripsissent sedili legem Iuliam de ciuitate Italis tribuenda.

Cereris numen quale fuerit, antequam per libros Sibyllinos,

uti supra indicabam p. ccxxxiii, pro *Δήμητρι* Graecorum haberi coepit, ualde est obscurum. Nomen apud Varron. de l. l. a gerendo repetitur. Nescio an quod Paul. Diac. p. 122, 4 tradit in saliari carmine *cerum manum* significasse *creatorem bonum*, huc pertineat: *Cĕres* et *procĕrus* dici uidetur ut a *dūce domidūca*, alia. Plebis romanae deam fuisse idoneis argumentis docuit Niebuhrius h. R. I, p. 690: adde mutitationes plebeias Cerealibus, Gell. 18, 2 et quae supra de Anna Perenna disseruimus. Coniunctionem cum Libero et Libera Clausenius p. 275 repetit a cultu Gergithio, nec est, quin assentiar. De Libera ingens restat dubitatio. Quaeritur primum, utrum Varro, qui teste Augustino 6, 9 Liberam feminis id praestare scripsit, quod Liberum maribus, spectauerit ueterem religionem Latinorum rusticam, an cultum ciuilem urbanum. Non habeo, quid iudicem, nisi e *Κόρας* nomine Liberam factam esse non probabiliter statuere Hartungum 2, p. 137. Deinde ignoramus, utrum Liberae de Venere interpretatio desumpta sit a coniunctione cum Baccho, cui Ceres interfuit, et num ideo legamus apud August. 7, 3: *confert hoc idem Libera, quae Ceres seu Venus est feminis* et quae fr. 15 extremo enotaui, an quia Varro decreuerit Liberam eandem esse, quam Venerem Lubentinam siue Libitinam, de l. l. 6, 47 et apud Non. p. 64, 14. Certe autem quia Varro Liberam diuersam a Proserpina scripserat, ausus est Ouidius 3, 512 Ariadnam facere Liberam. Libentina et Liburnus par deorum fuit, quod bifariam accipiebatur: *lubidinum superesse tutelis* testatur Arnobius 4, 9 et Libentinam Venerem existimasse multos Dionys. Hal. 4, 15 et Plutarch. Num. 12 tradunt. Atqui Libitina quo iure ab eodem Plutarcho cum *Περσεφόνῃ* comparetur, notum est, et eodem modo Liburnus ad regnum infernum pertinuisse uidetur secundum ea, quae Clausenius ann. 1384 ex Suida et Dionis Cass. excerptis apposuit. Quamquam igitur nemo unquam, quod sciamus, Liberam pro Libitina, aut Libitinam pro Proserpina, aut, cum de sacris, non de Graecis fabulis, ut apud Ciceronem Verr. 4, 48, ageretur, Liberam pro Proserpina usurpauit: tamen dea inferna nec fortasse nisi casu Libero agresti cognominis potuit cum Cerere coniungi. Scilicet eodem modo mutatam Tellurem suspicabar et contrariam conuersionem passa est Proserpina, numen indigitamentorum agreste, uid. supra p. clxxxvii, sed postmodo Diti patri adiungi solitum, maxime in Tauriis ludis, quibus quo auctore *Liberam* placandam fuisse scripserit Clausenius p. 264, non inuenio. Proserpinam Varro modo terrae fecunditatem, quod ex ea proserperent fruges, August. 7, 23, 24, modo partem terrae inferiorem dixerat, id. 7, 23. Ludo-

rum illorum institutio auctoritate carminum Sibyllinorum non satis constat: tamen in illis et in Cereris sacro propter graecam fabulam idem numen diuersis nominibus consecratum esse tam est mirum, quam uerosimile.

Iunonis cognomina indicat Ouidius: 1, 55 *Calendaris*, ut uidetur. Ita enim appellata est a Laurentibus testante Macrobio sat. 1, 9; 15, culta Romae, nota apud Etruscos coniiciente Muellero Etr. 2, p. 324, qui quod ab Ouidio sacra Iunonis Kl' Iun. tradi scripsit, non ita est. Cum apud Macrobium ll. ind. propter istoc Iunonis nomen et munus Ianus Iunonius secundum Varronem dictus traditur, intelligendus est cultus utriusque numinis aliquis communis, cuius indicia extant apud Ouidium 1, 265 sq. Similia sunt apud Virg. Aen. 7, 620—623. Cfr. Seruius ad u. 610: *Idem* (Ianus) *Iunonius*; *inde pulchre Iuno portas aperire dicitur* et ad 2, 610: *ut portas Iunonem, quarum dea est: nam portam luminis nascentibus praebet.* Iuno Sororia culta est cum Iano Curiatio, Dionys. Hal. 3, 22. Proximum est *Sospitae* cognomen 2, 56, a Lanuuinis acceptum, uide Ambroschii disputationem p. 184, 185. Ferias has Kl' Februar. neglexit Muellerus l. ind. Dubium non est, quin dedicationes prudenti dierum delectu fieri consueuerint. Nam *Lucinae* quoque sacrum, quae apud Ouidium est 2, 433—450; 3, 247—258 in Kl' Mart. incidit. Nominis originationes Ouidianas inuenies apud Varr. de l. l. 5, 49, 69, Seru. l. supra ind., tertiam, quae est 6, 39, fortassis apud Laur. Lyd. 4, 29, p. 186: *Κατὰ δὲ τὴν πρώτην τοῦ Μαρτίου μηνὸς Ἥραν ἐτίμων οἱονεὶ τὴν Σελήνην διὰ τὴν νεομηνίαν.* Fieri enim potest ut Ouidius meminerit Iunonis *Couellae* apud Varr. de l. l. 6, 27, quamquam simplicior loci intellectus in promptu est. *Nomina* eo in loco idem significant, quod *titulus* 4, 115: *titulus secundus* hoc in loco ita dicitur, ut *rumor secundus* apud Virg. Aen. 8, 92, *sacra secunda* apud Seru. Aen. 11, 739, *secunda loqui* apud Ennium Gell. 12, 4, *omnia secunda et obedientia* nescio ubi apud Sallustium. In lupercali sacro ab Ouidio 2, 447 putauerim Iunonem Februlim, Paul. Diac. p. 85, 14, pro Lucina nominandam fuisse: u. 439 *sacer hircus* admonet Iunonis Caprotinae apud Varr. de l. l. 6, 18 et amiculi Iunonis apud Cicer. de nat. deor. 1, 29, 82. Iuno *Regina*, Ou. 6, 37, Varr. fr. 18, de l. l. 5, 67, Veiis euocata aedem habuit in monte Auentino, Liu. 5, 23; 22, 2. Haec cognomina Iunoni addita uidentur post principatum illum Capitolinum, Ou. 6, 73. Quod restat *Monetae*, 6, 183, ex indigitamentis repetitum putauerim et superesse ex eo tempore, quo Iunonis nomen generale et appellatiuum, quod dicitur, fuit: cuius rei indicium est quod de Iunoni-

bus mulierum traditur, uid. Hartung. 1, p. 37, et exemplum Iuno ista Couella, qualiscunque fuit. Diuam Monetam Liuius Andronicus apud Prisc. t. 1, p. 220 Kr. dixit, quam Iunonem Monetam consecrauit Camillus eodem profecto iure, quo alii Pecuniam deam, August. c. d. 4, 21, alii Iouem Pecuniam, id. 7, 11; 12. Manifestum est Iunonem selectam Domiducam, August. 7, 3, olim eiusdem ordinis fuisse cum deo minuto Domiduco, id. 6, 9, nec de multis aliis difficilius est iudicium. Nihil igitur causae existimo esse, cur cum Hartungo 2, p. 69 officinam monetalem nomen dedisse deae putemus. Ea officina cur aedi adiuncta fuerit, uti Liuius 6, 20 testatur, ignoro: locus Suidae s. u. *Μονῆτα* indicatus est ab Hartungo, ex quo coniecturam instituendam aliis relinquo.

Lunam ut Sabinorum numen putemus, non sufficiunt Varronis de l. l. 5, 74 et apud Augustinum c. d. 4, 23 testimonia de Tatii consecratione recte monente Ambroschio p. 172 ann. 68, ubi de cultu eius deae quae nota sunt, inuenies. Templum in Auentino, Ou. 3 fin., ne confunderetur cum Auentinensi Dianae aede, supra monui p. XLIV. Ipsa dea ut permutaretur cum Diana a *quibusdam*, Varr. de l. l. 5, 68, factum est graeca huius interpretatione, quae fere continetur uerbis Augustini c. d. 7, 16: *Dianamque germanam eius similiter lunam et uiarum praesidem. Vnde et uirginem uolunt, quod uia nihil pariat.* Ἄρτεμις φωσφόρος et σελασφόρος est apud Pausaniam; nec facile *Triuia* praeter quam a poetis commemoratur, uid. Varr. de l. l. 7, 16. Diana Latina est apud Ouidium 3, 261 sq., ubi quae traduntur, aliorum fanorum cerimoniis facile astruuntur: castitas deae Hippolytum amantis indicatur seuera lege aedis in uico patricio apud Plutarch. qu. r. 3: nemus et stagnum Aricinum et luci aliis in locis, uid. Ambrosch. p. 161, ann. 13 pertinent ad horrificum deae numen, quod metuunt pastores Ouidiani 4, 761: inprimis memorabile est asylum Aricinum, cui simile fuisse in aede Auentina apparet ex Festo p. 343, 7 sin., maxime ex argutia grammaticorum a Muellero illustrata, qui hunc quoque ritum ex graeco ἐλάφου significatu explicuerunt. Per decemuiros Sibyllinos graecas religiones inductas deae esse monet Clausenius p. 265.

De Minerua certatim exposuerunt Muell. Etr. 2, p. 48—51, Hartungus 2, p. 78 sq., Ambroschius p. 173, Clausenius p. 691—704. Nemo animaduertit Mineruam fuisse inter deos minutos indigitamentorum, uide p. CLXXXVII ima. Hinc credibile est Sabinorum numen fuisse, prout testatur Varro de l. l. 5, 74, cuius significatus (uid. Fest. p. 205, 12) facillime effecerit, ut maturo artificia illa omnia, quae Ouidius 3, 815—834 Quinquatribus, *artificum die*, ut est in

fast. Praenest., enumerat, ad patrocinium deae referrentur: quamquam ualde memorabile est apud Etruscos idem nomen eam habuisse, quemadmodum in Capitolio ueteri in Quirinali monte tres illi dei fulguratores Etruscorum (Muell. Etr. 2, p. 84) antiquitus cultos fuisse testatur Varro de l. l. 5, 158. Cultam ab Aboriginibus testatur Dionys. Hal. 1, 14. Insigniorem cultum Quinquatribus repetendum esse ex Etruria sine dubio recte iudicauit Muellerus. De nomine earum feriarum nihil definiuerim: non tamen diffido coniecturae sagacissimi uiri p. 49 ann. 29: de tempore circa aequinoctium uernum docta certe est obseruatio p. 50 ann. 30: maxime uero apud me ualet ludorum gladiatoriorum, Ou. 3, 811—814, origo Etrusca, de qua Muellerus 4, 1, 10 praeclare exposuit. De Tubilustrio et Quinquatribus minoribus quae disseruntur p. 50, 51, minus mihi certa uidentur. Scilicet si qua fides est Varroni de l. l. 6, 14 et Festo p. 254, 31 dext., Tubilustrium temporis demum decursu adiunctum est feriis Minerualibus: nec ante, quam id factum esset, illud de Minerua Neriene cognominata, quod supra indicabam p. CLXVIII, comminisci docti potuerunt: meliori uero non constat testimonio Mineruam Tubilustrio cultam fuisse. Nec negauerim Romanos tubas et tibias ab Etruscis accepisse: euictum id enim est a Muellero 2, p. 200 et 209 sq. Mineruae quod utrumque artificium consecratur, graecanicum potius, quam Etruscum institutum putauerim, sed acceptum a Romanis saeculo fere quinto, prout docet Liuius 9, 30. Minerua Σάλπιγξ in Italia inferiori nota fuisse uidetur teste Lycophrone u. 986, uti Clausenius indicauit: Tubilustrium e Graecia repetitur apud Festum p. 352, 24 sin. Fabula de tibiae inuentione Ou. 6, 691—704 graeca est, de qua quaedam annotaui supra p. CCIV, alia disputauit Muellerus proleg. mythol. p. 113. *Graia ars* est apud Ouidium 6, 656. De Captae cognomine 3, 837 quae difficiliora sunt, explicaui supra p. CXXI. Alios alia uideo sequi: Sabinum uel obsoletum uocabulum subesse puto, quale consignauit Lydus de magg. 1, 46: *τότε πρῶτον διωρίσθη τοῖς ςρατιώταις παρασχεῖν τὸ δημόσιον καὶ ὑπὲρ ἵππου δαπάνης τὰ λεγόμενα καπιτά· οὕτω δὲ τοὺς ἀπὸ ῥάβδων κοφίνους ἐκάλεσαν.* Restat Palladium, quod indicatur apud Ouidium 3, 423 et 6, 415—430, una cum Vesta custoditum. Diiudicari nequit, quidnam patrii sacri sub graeca fabula, quae ipso illo nomine continetur, lateat: nusquam, quod sciam, Minerua cum Vesta commemoratur, nisi apud poetas: unde idyllium illud, quod Clausenius composuit de utriusque deae consortione a ueritate recedere uidetur. Nautiorum gens sacra priuata habuit Mineruae et interponebat proauum suum Nau-

ten fabulae illi de Palladio a Diomede aut Ulysse reddito, Ou. 6, 427, Seru. ad Aen. 3, 550 et Claus. ann. 1288. Verum ex eo, quod Nantii inter minores gentes fuerunt Niebuhrii indicio h. R. 1, p. 676, minime colligi potest publicum Albanum sacrum ab iis Romam esse translatum, uti fecit Clausenius p. 698: neque quod Dionysius Hal. 6, 69 Ἀθήνην Πολιάδα Troia ablatam scripsit a Nantio comite Aeneae (quid enim aliud scribi potuit de Palladio?), illepida coniectura locum habet, cuius summa haec est, p. 701 et 702: *Minerua leitet das Staatsschiff als nautische Göttin, — Minerua Nautia als Schiffslenkerinn des Staats entspricht der italischen und italiotischen Auffassung der Göttin als Gebieterin des Meers und der Stürme.* Nego igitur sciri adeo posse, Romaene, an Lauinii aut Albae, uid. Clausen. p. 623, primum adhaeserit Vestae sacrario Palladii fabula: coniecturam quam supra p. CCVIII sq. institui, non lubet ulterius persequi.

Venerem hoc ipso nomine uix notam fuisse Romae sub regibus scripserunt Varro et Cincius teste Macrobio sat. 1, 12. Videtur ergo culta fuisse sacris Albanis, de quibus indicia scriptorum, Ciceronis pro Mil. 31 §. 85, Strab. 5, p. 353 Wolt., Liu. 1, 31, debeo Ambroschio p. 142, 220. Namque Iuliam gentem Romae coluisse Venerem ipse C. Caesar testatur apud Suet. Caes. 5, cfr. Clausen. p. 731: Alba oriundam fuisse inscriptio Orelliana n. 1287: Albae quoque sacerdotium habuisse publicum Dionysius Hal. 1, 70; unde apparet per illam potissimum gentem, cuius stemma est apud Ouidium 4, 27—56, fabulam de Aenea Romam esse delatam, quam toto Latio notam fuisse adeo, ut Venus illa Lanuuina, κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν teste Strabone 5, p. 355 A Wolt., Aeneadum mater credita sit, non est quod dubitari queat. Qualis fuerit illa dea Latinorum ante perlatam illuc graecam fabulam, utrum ad Veniliam referenda sit, de qua Clausen. p. 783, an ab ea repetenda sit hortensis Veneris Romanae prouincia, de qua uid. Muell. ad Paul. p. 58, 15, quemadmodum contra Mueller. Etr. 2, p. 74 disputat Clausen. p. 503, 753, non facile diiudicauerim. Verum cum primum in urbe Roma innotuit, graeci numinis naturam induerat, et necesse est Romanos ex quo ab Aenea se ortos crediderunt, Venerem quoque coluisse. Idque ita factum traditur quinquaginta fere annorum spatio, quando bello Punico primo cum Segestanis cognationis per Aeneam nomine foedus est initum, uide testes apud Clausen. p. 565, et post pugnam Trasimeniam monitu librorum Sibyllinorum primum templum uotum Veneri Erycinae, uide supra p. CXXXVI. Martem per eam placari posse creditum est, uide Clausen. p. 282. Factum

deinde est quod in omnibus prope deis selectis: quicquid pristinorum minutorum deorum potuit, conflatum est cum illustriori, alia deinde cognomina nouis dedicationibus sunt excogitata. Murciae uetustum fanum, de quo uide supra p. CLXXXVII, Clausen. p. 733 ann. 1343, factum est Veneris Myrteae: Cloacina, uid. supra l. ind., Venus Cloacina, Claus. p. 736 ann. 1347: diua Libentia, Arnob. 4, 9, Venus Libentina, Varro de l. l. 6, 47, Seru. Aen. 1, 720, quae deinde confusa est cum Libitina, magis, ut puto, a doctis uiris propter ea, quae proferuntur a Clausenio p. 499, 502 (mirifice enim quae de *Κυθήρᾳ Πασιφαέσσᾳ* et *Φιρσιφαάσσᾳ* annotantur conueniunt cum eo quod est apud Varronem de l. l. de Diana Proserpina), quam a populo propter argutias illas p. 752. Venerem Obsequentem Fabii Gurgitis Seruius ad Aen. 1, 720 prisco nomine diuam Postuotam nuncupatam tradere uidetur: Plutarchus parall. c. 37 *νικηφόρον Ἀφροδίτην* appellat. Cognomen posthac impositum fuit Verticordiae, de quo supra p. CXXXVII dictis adde testimonium Seruii Aen. 8, 636: *alii quod fanum Veneris Verticordiae ibi fuerit, circa quod nemus e murtetis fuisset, inde mutata littera Murciam appellatam.* Clarissima fuerunt Victricis et Genetricis, de quibus uide Clausen. p. 731. Vtramque Caesar dictator dedicauit. Prior in numis Iuliorum saeculi septimi deprehenditur, uid. Claus. p. 731, 1068: publice consecratam olim fuisse neque Varronis locus de l. l. 5, 62 ex comoedia, cuius fortasse fabula acta est Argis, Paus. 2, 19, 6, neque Plutarchi supra indicatus euincit. Posteriorem quoque fuerunt qui praepostere facerent uetustissimam secundum Festi p. 238, 10 sin. reliquias. Huius non Lucretianam aut Verrianam tab. 3 Praen. principio, sed eam interpretationem secutus uidetur Ouidius 3, 95, quae inuenitur in titulo Orelliano n. 1365: VENERI.—GENETRICI. MATRIQVE. DEVM, si modo uetusta est.

V e s t a e sacra Alba oriunda dixit Liuius 1, 20, a Sabinis accepta Varro de l. l. 5, 74; Ouidius et qui supra p. CI indicati sunt a Numa rege eum in ordinem constituta, qui ad Caesaris Augusti pontificatum maximum integer mansit: tunc quid mutatum sit, docet Ouidius 4, 949 sq., praesertim si conferatur cum fastorum Praenestinorum lemmate IIII Kl' Mai. et Fogginii annotatis. Numinis sanctitati et quasi descriptioni accedere nihil potuit a simulacro affabre facto, praesertim cum penus interior, Fest. p. 250, 34 sin., uiris occludi, Lactant. 3, 20, matronis non nisi aliquot circa Vestalia diebus patere soleret, Ou. 6, 391, Fest. l. ind. Itaque inter erudita et graecanica figmenta ipsa imago deae referenda est, quae commemoratur a Cicerone de nat. deor. 3, 32, §. 80, Ouidio 3, 45

coll. 698 et exprimitur in numo Lepidi pont. max. apud Vaillant. Aemil. 18. Cfr. Dio Cass. 55, 9. Attici statuam habuerunt teste Paus. 1, 18, 3, Hermionenses focum tantum, id. 2, 35 in. Deinde graeco exemplo confictae sunt fabulae 6, 313 sqq., 375 sqq. Hesiodi uersum theog. 453 reddit Ouidius 6, 279. Aliquanto obscurior est origo eius fabulae, quae subest 3, 29; 418; 423; 6, 227, ubi Vesta ab Ilio repetitur, cum 1, 528 sacra Iliaca ad eam perferantur. Secutus est poeta Propertium 5, 4, 69 et Virg. Aen. 2, 296; 5, 744; 9, 259 et praeterea, ut uidetur, grammaticum aliquem, qui docuerat, quod a Clausenio egregie disputatur p. 167, insignem apud Troianos Vestae religionem fuisse. Interpretatio Vestae de terra, Ou. 6, 267 sqq., potest profecto Varronis esse, uid. fr. 16 et August. c. d. 7, 16: *Vestam quoque ipsam propterea dearum maximam putauerunt, quod ipsa sit terra.* Quamquam apud Macrobium sat. 1, 23 sunt uersus Euripidis:

Καὶ Γαῖα μῆτερ· Ἑςίαν δέ σ᾽ οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν ἡμένην ἐν αἰθέρι.

Huius pars sententiae fuit Empedoclis et Pythagorae, uid. Brandisii hist. philos. 1, p. 213, 474.

§. 5.

Pergo in contexenda carminis Ouidiani historia. Hoc enim, si nescis, beneuole lector, hucusque egimus, ut adiumenta extrinsecus quo ordine petenda fuerunt, eodem recognosceremus. Deuenimus igitur ad ipsius poetae in carmine scribendo operam collocatam. Erit autem haec quaestio non de operis uirtutibus aut de ingenio poetae, quaeue alia huiusmodi gratuita uel gratiosa disputari possunt. Non diffitebor hoc genus scriptionis, quod in Tibullo Horatio ipsoque partim Ouidio exerceri nuper coepit, ualde mihi displicere, idque plane eam ob causam, quam suspicantur uerecundissimi et elegantissimi scriptores. Non possum generatim disserere, hoc est, uti uelim, non ut illi solent, de rebus multis. Dubium non est, quin ita demum poetae artificium perspiciatur, si singula eius momenta aeque probabiliter replicentur, atque id in doctrinae subsidiis tentauimus. Quanti tamen id sit moliminis, experietur, qui uel haec tria in quaestionem uocauerit: quae ratio intercesserit Ouidio cum Virgilio praesertim in uerborum formis, usu, structura, quae cum rhetoribus in elocutione, quae cum Callimachi *Αἰτίοις* in carminis argumento. Quod ad primum attinet, cfr. Ou. 2, 43: *Naupactoo* et Virg. Aen. 3, 533 *Euroi*, ib. 3, 701 *Geloi*: Ou. 2, 109: *Flebilibus*

ueluti numeris canentia etc. cum Virgilianis in simili re Aen. 10, 192: *Cycnum — Canentem molli pluma duxisse senectam*, ubi Seru.: *canentem sen. pro albo colore neoterice dictum putant:* Ou. 4, 470 et 6, 496 *uerticibus* in libris optimis conuenit cum iisdem apud Virg. ge. 3, 241: Ou. 5, 171 *nixibus*, ut Virg. ge. 4, 199: Ou. 5, 343 coll. Virg. ge. 1, 8: postremo Ou. 2, 643 si conferatur cum Virg. ge. 1, 391; 2, 351 et Charisio p. 118 P: *testu ut genu ueteres dixere: at Maro testum dixit*, uide, sitne expungendum, quod ex bonis libris dedi: minus enim attentum me fuisse praua interpunctio in fine uersus arguit. De secundo genere quod antehac indicatum nondum sit, subit Ou. 1, 211—214 et Rutilius Lupus 2, 9: *Synoeciosis: nam quo magis eget ad sumptum ambitionis, audacius facit rapinam, ut huic ipsi ambitioni copia suppeditare possit.* De tertio praeter quae alibi me annotare memini, suppetit unum fragmentum Hecalae Callimacheae apud Blomf. n. 131: conueniunt uersus Ouidiani 6, 409 sq. Sed fateor de omnibus unum uel alterum annum quaeri oportuisse. Quod igitur hac et sequenti §§ inquirendum mihi sumpsi, tempus est, quo his libris poeta inlaborauerit: quaestio simplicissima, sed ad intelligendum carmen necessaria, quaeque neglecta multorum errorum causa esse potest. Dicit Ouidius 2, 3 se primum uela maiora elegis dedisse, quemadmodum art. am. 3, 346 se epistolas heroinarum inuenisse gloriatur. Memorabile est utrique huic gloriae titulo eodem libello derogari, quinto Propertii carminum, quem nouisse Ouidium consentaneum est. Sed nouit *iure sodalitii*, Tr. 4, 10, 46 editum fortasse non uidit cum ipse artem amatoriam et fastos scriberet. Aut si uidit, tanti non fuit opusculi imperfecti meminisse. Tamen ab eo carminis Ouidiani consilium repetiuerim, et est in eo uenustas, quam sentias imitatores excitare potuisse, quamque optes per criticorum ingenia magis magisque illustrari. Quamquam enim multa et egregia praestita sunt a uiris doctissimis Lachmanno et Iacobo, ipsi tamen negant omnia esse expedita, quae a grammaticis expectari possunt, ne saltem integri uersus intellectu careant. Lubet communicare cum lectore quae in exemplaribus meis annotaui. Sunt supplementa apparatus critici accuratiora, sat scio, quam fructuosiora, tum de uno alteroue loco pericula. Accommodantur ad ed. Lachmannianam 1829.

El. 1, uers. 4 *procubuisse* oportet fuisse in codicibus tribus Leidensibus ita indicatis a lo. Schradero: *cod. Leid. n. 117 ex bibl. I. Vossii n. 216 ex bibl. cardinalis et principis a Dietrichstain in membr. accurate scriptus: cod. Leid. n. 13 ex bibl. I. Voss. 282 in charta: cod. Leid. n. 43, p. 420, n. 67 ex libris Alex. Petauii Pauli f. in*

membr. liber optimus et accurate scriptus. Versu 9 *substulit* Groninganus, qui olim Sambuci Pannon. et A. Schotti fuit. Versu 33 ascripsi doctae Lachmanni coniecturae locum Cic. pro Planc. c. 8 §. 19: *e praefectura Atinati — non tam suburbana. Bouillae* est in margine cod. Leid. n. 82, *uouillae* in Leid. n. 13, *nouillae* in Leid. n. 43, ne Burmanno credas. Vers. 65 *Scand. quisquis* etiam ed. princeps, quam contuli, anni 1472. Vers. 71 est difficillimus. In Groningano Schraderus annotauit *uage dicere Properti*, omissa uoce *facta* editionis Plantinianae: Heinsius siue potius Franciscus Modius nihil indicauerat. Potuit excidere compendium uoculae *quid*, quod fit ex *q* et *d* contractis, uel etiam coalescere cum praecedenti uerbo, ut fortassis fuerit: *imprudens, uel quid dicere Properti?* Vers. 73 in scriptura Groningani, quemadmodum notatur a uiris doctissimis Lachmanno et Iacobo, *lacrymis* fuisse uidetur: Guelferbytana est etiam in ed. princ., sed *lachrimas* et *aduers.* In Leid. n. 43: *Acoersis lacrymis charitas.* Hinc elicuerim, sed timide: *Arcessis latias causas. Arcessere argumenta, fabulam* est apud Ciceronem et Petronium, uid. Forcell., *petere causas* in eadem re est Ou. fast. 1, 465; 5, 350. Vers. 81 *precium* et uers. 99 *cynyrae* Gron. test. Schraderi. Vers. 103 *libiae* idem teste eodem, sed uulg. Heins. Vers. 109 *calcas* Gron. Vers. 121 *pen. aedit* Gron. Vers. 142 *erit: haec* Gron. test. Schr. Vers. 146 *prima* Gron. test. Heins. Vers. 149 *cauum* Perreius non falso testante Burmanno.

El. 2, uers. 2 *signa petenda* ed. princ. Vers. 5 unice uerum existimo *Nec me turba* propter sacellum post basilicam Iuliam et uersum proximum. Quamquam *alumni* u. 9 uidentur esse uici Tusci incolae. Vers. 11 sq. quemadmodum semper intellexi, non dubito, quin pridem Lachmannus et Iacobus uu. dss. acceperint: reliquos editores non multo pluris fecerim, si in idem inciderint, quod nescio, neque puto. *Praecipere fructum* est docere quomodo fructus percipiatur. Ita apud Ouidium 6, 256 *nullo praecipiente* est *nullo docente*, nec dissimile *uuae commentor* 3, 785 a *praeceptore fructuum. Fructus Vertumni sacer* est ut *Veneris sacra Cythera* Ou. 4, 286 secundum bonos libros: disputauit de hac structura Heinsius principio aduersariorum. Iam uero corrigendum existimo *creditis* pro *credidit: creditur* nullius est pretii. Quod Lachmannus male cohaerere proxima scripsit: *Nam uersu 19 mendacia appellat quae antea ut probabilia posuerat:* hoc ipsum putauerim pulchre conuenire deo *iniquo* Horat. sat. 1, 7, 14. Vers. 21 *Oportuna* Gron. Vers. 25 *Da facilem* Gron. test. Schr. Vers. 39 *Pastorem baculum* pro pastorali, ut *ministrum* Ou. Ib. 287 acceperim, *durare* pro *curare* scripserim.

Vers. 63 *Quod me* ed. princ. Vers. 64 *cum* pro Groningani scriptura neque a Schr. neque ab Heins. tradita et punctum in longiore proximo uersu typothetis deberi reor.

El. 3, uers. *toties* Gron. Vers. 11 in scripturae uarietate turbauit typotheta Reimerianus; *sunt* om. Gron. Versu 38 quid post ineruditas Burmanni coniecturas a quoquam praestitum sit, ignoro: nulla medela opus esse puto; *docti dei posituram* intelligo regionem Apolloniatin circa Apolloniam urbem prope Tigrim fluuium apud Polybium 5, 43; 51; 52. Vers. 41 *Assidet* Gron. Vers. 43 *Hippolitae* Gron. Vers. 47 *scithyae* Gron. Vers. 53 *assueta* Gron. Vers. 62 *cadent* Gron., nisi falsus sum. Vers. 65, 66 malus liber Leid. n. 82 bonas scripturas habet *spargantur* et *increpet.*

El. 4, uers. 8 *Fictaque* Gron. pro uar. scr. test. Heins. Vers. 19 *taciu prol.* Gron. Vers. 20 dubito num Burmannus et Burmanni similes satis rem perspexerint: confero Eurip. Hippol. 220: *καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥῖψαι Θεσσαλὸν ὅρπακ᾽ ἐπίλογχον ἔχουσ᾽ ἐν χειρὶ βέλος.* Vers. 23 *caussata* Gron., si Schr. diligens fuit, et uers. prox. *tingendas.* Vers. 28 *bracchia* Gron. Vers. 34 *conspicer esse* etiam ed. princ., nec male. *taci* etiam Gron. Vers. 38 *tacius* Gron. *dextra* idem teste Schr., *destras* teste Heins. Vers. 40 *seuos* Gron. Vers. 45 *Quantum ergo auson.* ed. princ. Vers. 46 *Ingnosc.* Gron. Vers. 55 *Sic hospes* in Gron. ed. pr. et plerisque aliis putabam esse *Si cho spes, Si modo spes.* Vers. 57 *aut* in Gron. solus Heins., non Schr. testabatur. Vers. 67 *bracchia* Gron. Vers. 73 *papilia* cod. Leid. n. 117. Vers. 76 *diuitiis* etiam ed. pr. fort. recte. Vers. 81 *ratha* Gron. Vers. 83 *Asscensu* idem. Vers. 86 *tuis* in Gron. testatur Schr., quod cum in ipsa ed. Plant. extet, suspicor leuem uiri diligentissimi errorem. Vers. 89 *tacius* Gron.

El. 5, uers. 30—55 et u. 2—29 transponuntur in ed. princ. Vers. 6 *thoro* Gron. Vers. 8 *anthinoo* Gron. Vers. 16 *emeritas* haberet Gron. cum Leid. n. 117, an u. 18 *Hippomenes,* non satis perspicuum mihi erat. Idem liber fortasse u. 17 *que* omittit. Vers. 18 *foetae* Gron. Vers. 19 fort. *Exornabat* Gron. *Exorabit* et *perureł* ed. pr. Vers. 20 *Saxosa facit sed.* ed. pr. Vers. 21 Heinsii testimonio de Gron. utitur Burmannus: Schraderus uix satis accurate enotauit. *eoa iuuat dorozantumque aurea* „v. c." Perrei. *dorisantum* in scriptura a Burmanno annotata codex Scaligeri. *eoa dorotantum iuuat* cod. Leid. n. 18. *eoa dorozantum* (corr. *dorotantum*) Leid. n. 43. *eoa deroratum iuuat* Leid. n. 117. *te aeoa de rorantum iuuat auarea ripa* ed. princ. Nihil expeditum est de hoc nomine. Iacobi conatus magno stare potuit his studiis si samscritici

resciuissent. Tertullianus ad nat. 2, 8 deos *Obodanedussirem Arabum* h. e. *Obodan et Dusaren* tradit. Vtrumque id nomen extat apud Stephanum Byzantium et dicitur fuisse Arabum siue *Dacharenorum*, fortasse etiam *Dacharenum* ut *Tyrrhenum*. Vers. 24 *Textaque* ed. pr. Vers. 26 *partis* Gron. Vers. 29 *precium* Gron. *simulare metum* Perreii est. Vers. 35 *amicle* Gron. Vers. 52 *Elati* scriptura est cod. Leid. 117. et alius Heinsiani. Distichon inter uers. 54 et 55 in Gron. expunctum, fortasse alia manu, erat teste Schr. Vers. 56 *Ipsius* etiam Gron. habere puto. Vers. 57 *Dum uenat* Gron. Vers. 58 Lachmannianam scripturam etiam ed. pr. Vers. 64 *guctura* Gron. Vers. 67 *integ. putem* Gron. Vers. 68 *Torruit* Gron. teste Heins., non Schr. *pergula* „v. c." Perrei. *per ....* ed. pr. Vers. 71 *At* Gron. test. Heins. Vers. 75 docet recte me emendasse trist. 3, 11, 26, neque erat cur id displiceret eximio critico Loersio Treuiro.

El. 6 lemma differtur ad u. 11 etiam in ed. pr. Vers. 5 *thuris* Gron. Vers. 11 *referamus* ed. pr. Vers. 16 *monim.* Gron. Vers. 20 *fau. equis* Gron. test. Heins. Vers. 23 *Hic* Gron. test. eod. Vers. 27 *se iudice* id. test. eod. Vers. 28 *nothos* Gron. Vers. 39 *mih'* singulari idem compendio. Vers. 45 quae interpretationes prolatae sunt nituntur Scaligerana coniectura *proh* pro *prope:* in Perreii exemplari data opera cautum est, ne *Pro* alio loco, quam in uersus initio notari putetur. Interpunxerim ita:

Et nimium remis audent prope — turpe! — latinis
Principe te fluctus regia uela pati,

h. e. *nimium prope a classe romana mare reges sustinet.* Illud *turpe,* fateor, displicet quamuis similia sint apud Propert. 1, 20, 13 *durum,* 3, 34, 31 *satius*, et quamuis eiusdem uocis exemplum suppetat Ou. art. am. 1, 689: *Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset: Achilles* etc. Caeteris paulo magis confido. Sed si mare incusatur, sequitur ut uers. 47 siue ex libris mediocribus, siue alio iure scribamus *remigat*, neue uers. 48 a codicis Gron. auctoritate descendamus ad Guelferbytanum, Leid. n. 43, qui *et inuito*, manum secundam Leid. n. 13, ed. princ.; neque enim uel sic negligi meretur bona scriptura. Vers. 51 *caussa* Gron. Vers. 60 *deus est uestri sang.* ed. princ. Groningani scriptura non dubito quin praestantissima sit: *Sum deus* profecto, ut Lachmannus ait, inepte dicitur, nisi suspenditur a proximis; neque enim Octauianus poterat se uerum filium Caii Caesaris probare, sed cum adoptiuus esset nec nisi a poetis *sanguis* dici soleret (uide quae disputaui prolus. ad Ibin p. 379), fidem, opinor, dabat futurae consecrationis. Vers. 66 *iugurta* Gron. Vers. 73

phalern. Gron. Vers. 82 *trophaea* Gron. Vers. 83 *crassae* Gron. Vers. 84 *euphratren* Gron.

El. 7, uers. 1 *lethum* Gron. Vers. 13 *Perfidae, sperandae* Gron. Vers. 15 *uigilacis* ed. pr. Vers. 19 *pect. musto* Gron. test. Heins. Vers. 22 *nothi* Gron. Vers. 35 *Ligdamus* Gron. Vers. 37 *archanas* Gron. Vers. 41 *grau. iniq. rep.* Gron. ma. pr. Vers. 43 *monimenta* Gron. Vers. 50 *mei* Gron. test. Heins. Vers. 57 *clytemn.* Gron. Vers. 63 *Andromadeque et hip.* Gron. Vers. 70 *Caelo* Gron. Vers. 74 *Partheniae* Gron. *potuit* idem test. Heins. et ed. pr. Vers. 76 *Nec* Gron. test. Heins. Vers. 95 *querela* Gron. *sub late* Gron. test. Heins.

El. 8, uers. 4. *Hic tibi tartareae* ed. pr. Vers. 5 *arripitur* ed. pr. Vers. 6 *cauae* Gron. Vers. 22 *fana m. iocos* Gron. test. Heins. Vers. 38 *methynnaei* Gron. Vers. 39 *Nyle* Gron. Vers. 56 *Spectac.lum* Gron. Vers. 63 *gaud. et ex.* Gron. test. Heins. Vers. 67 *bracchia* Gron. Vers. 71 *uenit* Gron. t. Heins. negl. Schr. Vers. 78 non improbauerim Palmerii coniecturam *sidat,* quamquam interpretatio Brukhusii minime satisfacit. Sed scribendum censeo *operta* cum codd., quos nouerim, Heinsiano, Leidd. 13, 43, 82, 117. Nihil efficacius solet esse ad homines paulisper defigendos eleganti carpento ante portam aut theatrum quod sistit et aperitur. Vers. 79 *imprimis* Gron. Vers. 85 *lucern.* Gron. solo Heins. test. Vers. 86 *sulphuris* Gron.

El. 9, uers. 2 *eryteae* Gron. Vers. 3 non erat negligendum a Burmanno bonos codices Leid. 18 et Leid. 43 habere *Venit in aduictos,* unde in posteriori ma. sec. correctum *auictos,* et Leidensem 117 item non malum: *Venit in aductos. Venit et ad iunctos* ed. pr. Vers. 8 *iouem* etiam ed. pr. Vers. 20 *pascua festa* Gron. test. Schr. quod alio pertinere non posse uidebatur: Heins. tamen *uestra* et uers. 22 *festa min.* enotauit. Vers. 21 *torquet* ed. pr. Vers. 31 *Hm* Gron. test. Schr., *Huic* teste Heins. Vers. 43 *Quod si* ed. pr. Vers. 51 *alcydes* Gron. Vers. 57 *Magnam haec thirres.* ed. pr. Vers. 59 *Dii* Gron. ed. pr. Vers. 70 *Herculis extremum ne* ed. pr. Vers. 74 *taciae* Gron.

El. 10, uers. 1 *caussas* Gron. Vers. 5 *Induis* ed. pr. *romulae* Gron. Vers. 15 *Iupiter* Gron. Vers. 17 *uirtutumque* ed. pr. Vers. 21 *flamma* Gron. teste Heins., non Schr. Vers. 23 *uehientis* Gron. Vers. 37 *Dii* Gron. Vers. 39 *arheno* Gron. Vers. 43 possit tentari, quod nescio Schraderi an meum sit: *uirgatas maculanti sanguine braccas:* contra praeceptum Bentleianum, Hor. carm. 1, 25, 17. Sed Propertius et Ouidius non curarunt Verrium Flaccum, ille supra 2, 59: *properanti falce,* hic fast. 5, 571: *hinc stanti milite iusta.*

El. 11, uers. 1, 6 *lacrym.* Gron. Vers. 9 *tubae dum* ed. pr. Vers. 11 *Pauli* Gron. Vers. 14 *En* in litura Gron. teste Schr. Heinsius *Et ipsum quod* enotauit. Vers. 18 *huc* t. Schr. *huic* t. Heins. Gron. Vers. 20 *iudicet* Gron. ma. pr. test. Schr. Vers. 21 *minoia* Gron. t. Heins. *sella et* ed. pr. Vers. 22 *in tōto* Gron. t. Schr., *in toto* t. Heins. Vers. 23 *tac. i7ionis* Gron. Vers. 24 *tantaleus* Gron. t. Heins. Vers. 26 *laxa cat.* ed. pr. Vers. 27 *fallor* non notaui de Gron. Vers. 29 *pro auita trophaea* Gron. t. Schr. Vers. 31 *exequet t. ligones* Gron. t. Heins. Vers. 35 *paule* Gron. Vers. 39 *stimulant.* Gron. t. Heins. Vers. 47 *dictas* Gron. t. Heins. Vers. 48 *possis* Gron. t. Heins. Vers. 50 *At prior* Gron. t. Heins. *ascensu* Gron. Vers. 70 *uncturis* Gron. t. Heins. Vers. 79 *erit* Gron. t. Heins. Vers. 81 *sunt* Gron. t. Schr., non Heins. Vers. 84 *responsurum s. u. tace* Gron. t. Heins. Vers. 95 *est* om. Gron. t. Heins., ma. sec. add. t. Schr. Vers. 96 *paulum* Gron. Vers. 97 *lubricia sumtum* Gron. t. Heins.

De tempore, quo hic Propertii liber scriptus, difficilis est quaestio: tria tamen inesse uidentur eius indicia. De anno V. C. 738 el. 11, u. 65, 66 interpretes intelligunt, P. Corn. Scipionem consulem, qui commemoratur apud Dion. Cass. 54, 19. De el. 3 anceps est iudicium, tamen *Noricus hostis* si recte scribitur n. 8, indicatur expeditio Tiberii, a. V. C. 739, Dio Cass. 54, 22, et fortasse u. 7 per *iteratos ortus* expeditiones annorum 734 et 740, Dio 54, 9 et 24, ut *Araxes* u. 35 sit Armeniae. El. 6, u. 80 siue Groningani libri scriptura probatur, siue uulgata, idem tempus indicatur, quo Horatii lib. 3 carm. 5 scriptum est, h. e. ante annum 734, sed non sexennio ante, uti iudicare uideo Frankium meum: de qua re piget exponere, adeo saepe uersata est: *Caelo Tonantem* scribendum censeo. Propertius hoc causarum argumentum inchoauit: *sacra diesque canere* uoluit ante id tempus, quo fasti ab Augusto sunt emendati, sacraue sunt curata. Quid mirum si post pontificatum max. ab hoc initum poetae qui aliis in generibus *successores* in elegia Propertii fuerunt, uti fatetur Ouidius trist. 4, 10, 53, si ii potissimum, qui *epistolam*, Ou. art. am. 3, 345, ab illo nouatam illustrauerunt, *causas* etiam contexendi opportunitatem arripuerunt. Ouidium dico et eius aemulatorem Sabinum, de quo notissimus est locus Ou. am. 2, 18, 27 sq. et pudendus fuit doctorum error in tribus poematiis eius sub nomine traditis in edd. Vicentinis et Venetis saeculi quinti decimi: Ottonem Iahnium Kiliensem memini egregie rem expedire in ephem. Darmstadiensibus. De eodem Sabino scripsit Ouidius Pont. 4, 16, 15:

Quique sua heroon interruptumque dierum
Destituit celeri morte Sabinus opus.

Ita enim legendum esse existimo. Libri *sua trocrem, troien, tromen, troicem*, alia. *Heroon* opus graeca tituli terminatione, ut assolet, dici potuit: errant enim qui *heroida* uocabulum adiectiuum putant, arguente inscriptione corporis cuiusdam Theocritei. Praeterea autem fastos scripsisse uidetur Sabinus: sunt qui malunt Hesiodum imitatum; manifestum est aetatem hominis, pontificatu Augusti, mediam inter Propertii et Ouidii similia carmina conuenire priori interpretationi. Si ante absolutum opus diem obiit, probabile est coeptum illud fuisse aut cum heroum epistolis, aut post eas. In epistolis eodem tempore uersatus est, quo Ouidius in suis et in arte amatoria, si quicquam tribuendum est uersibus his am. 2, 18, 19:

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris:
Hei mihi praeceptis urgeor ipse meis.

Haec etenim nolim cum Leutschio, uiro optimo, ad amorum libros potius, quam ad artem referre: amorum carmina non sunt *praecepta*; si essent, non foret haerendum in *praeceptis Propertii* trist. 2, 465, de quibus disputauit doctissimus Lachmannus praef. Prop. p. XXI. Vtut est, siue inter prima, siue inter ultima in amorum libris carmina illud poeta scripsit, erit, cur putemus eodem tempore fastis etiam cum Sabino eum inlaborasse. Neuter enim ante annum V. C. 746 tale opus animum inducere potuit. Si proxime ab hoc anno incoepisse Sabinum quis putabit, non diffitebor Ouidii uersum 2, 280: *Flamen ad haec prisco more Dialis erit*

scriptum posse uideri non ita multo post Diale flaminium post octoginta prope annorum intercapedinem restitutum ab Augusto teste Dione Cassio 54, 36: *κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ ὅ, τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερούλαν ἀπεδείχθη* — anno V. C. 744 Iulo Antonio et Fabio Max. coss. Nam *erit* dici cum quid instauratum confirmatumue est, notum puto: cfr. 6, 450. Anno uero 752 sero istius restitutionis meminisset poeta. Circa hunc enim annum conuenit, ut nouo poemati operam nauatam putemus, quo ars amatoria e manibus est deposita, arguente loco 1, 171 sqq. coll. Val. Paterc. 2, 100. Tunc supremum caelibem uixisse Ouidium probabili ratiocinatione docuit Leutschius uit. Ou. p. 45. Atqui a marito illa non sunt scripta 4, 5: *Scis, dea, respondi, de uolnere*, et eiusdem libri uersus 305—312 de Claudia conferendi sunt cum Macrobii uerbis sat. 2, 5: *inde blandiebatur sibi Augustus laetum in filia animum usque ad speciem procacitatis, sed reatu liberum; et talem fuisse apud maiores Claudiam credere audebat*; quae si uera

sunt, prope oportet Ouidii locum scriptum esse dum Iuliae causa agitur sub finem anni 752. Prioribus eiusdem anni mensibus Patris patriae cognomen in Augustum collatum, uide supra p. LXI et Martis Vltoris templum dedicatum, uide p. CXXXIII et Vellei. loc. ind., de quibus rebus egit poeta 2, 119—144 et 5, 551—598. Priore in loco u. 133 ea indicantur, quae apud Dionem Cass. anno 747 lib. 55, 6 et 8: *τά τε τοῦ πωμηρίου ὅρια ἐπηύξησε — οἱ δὲ δὴ ϛενωποὶ ἐπιμελητῶν τινων ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ ϛενωπάρχους καλοῦμεν· — καίτοι καὶ ἐκείνων καὶ τῶν δημάρχων τῶν τε ϛρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν κλήρῳ προϛαχθέντων.* Quatuordecim regiones num tunc primum institutae fuerint, ignoratur. Earum una assignificatur apud Ouidium 4, 51 *locus*, h. e. regio XIII a monte Auentino diuersa. Ante annum 757 scripti sunt uersus 2, 9—14, quia militaris aetas anno aetatis quadragesimo sexto definiebatur, uide quos indicauit Creuzer. comp. ant. ro. §. 224. Vxorem tertiam aut duxerat, aut ducturus erat poeta cum sub finem libri sexti scripsit de Marcia Fabii Maximi uxore: uide Pont. 3, 1, 75; 78. Filiae nuptiae quae commemorantur 6, 219 sqq. aeque bene primae aut secundae esse possunt, trist. 4, 10, 76, nihil conferunt ad temporis cognitionem. Sed uersus 4, 348 si recte disputaui supra p. XLV, scribi non potuit ante annum 756: simile quid de aede Cereris dictum est p. XLVI. Vers. 4, 384 scriptum esse post a. 741 docet Dio 54, 26, cum non multo ante exilium rem gestam colligi fortasse possit ex Pont. 3, 5, 23. De uersibus 3, 879—882 ita disputatum est supra p. XLIII, ut nisi fallor probabilius sit rem indicari initio eius anni gestam, quo relegatus est Ouidius, quam illustrari feriarum notam in fastis Maff. VI Kl' Apr. Hoc enim animum induci non potest nisi remotis uersibus 876, 877 propter 4, 901—904. Atqui docui p. LXXIII, LXXIV, utri fidem mereantur. Ex his modo propositis cum pleraque coniectura sint inuestigata, ea grauiora existimo, quae ostendunt Ouidium ultimis potissimum ante relegationem annis immoratum esse his libris: ut non male plerique existimauerint ab anno 755 coeptos esse fastos, qui medius est inter primam informationem et curam seueriorem. Nescio tamen an hi maxime id spectauerint, quod trist. 2, 549 post amatoria fastorum priore loco, quam metamorphoseon libri ponuntur: quod ideo fit, quia illi propius ad publicum carminum genus, quod flagitare consueuit Augustus, accedebant, quam aut tragoedia, aut metamorphoses, quas cum eodem fere tempore incoepisse uideatur poeta, dubium uix est, quin diligentius fastis elaborauerit. Scilicet nisi ipse loco trist. indicato et 1, 7, 14; 28; 30; 40 negaret

perfectum opus fuisse, potuit id latere criticos. Accedit, quod in fastis ad metamorphoseon librum III et V remittitur lector 3, 724 et 4, 418. Ergo quantumuis desultor studiorum noster fuerit, post editam artem amatoriam proximorum decem annorum maior pars concedenda est quindecim libris metam. tantumnon elimatis, quam fastis, quorum dimidiam tantum partem eatenus elaboratam habemus, ut quid desit ad perfectionem, aestimare plane possimus: id quod iam faciendum esse uideo. Ipse igitur poeta tristium loco indicato haec reliquit: *Sex ego fastorum scripsi totidemque libellos,*

Cumque suo finem mense libellus habet:
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Vides eum *nuper* dicere de tempore poenae proximo: uides *sex totidemque* libros scriptos et tamen *ruptum opus* testari, quemadmodum etiam metamorphoses. De hoc librorum numero duodenario uetus mihi lis est cum quibusdam doctis uiris. Chr. Iahnius negauerat *sex et totidem* esse duodecim, hoc est, apud Latinos: docui fuisse uno exemplo idoneo: possem nunc plura etiam addere, si opus esset, quam ascripsi in editis a me tristibus p. 140. Sed mirifica erat Iahnii interpretatio illius uersus. Docebat *fastos* dici, quia duodecim essent menses, quorum unus quisque unus fastus fuisset: sex igitur ex his fastis enarratos esse ab Ouidio. Hoc igitur magis latinum erat, quam *sex totidemque.* Praeteriissem hoc ut tot alia, in quibus luctandum mihi est cum peruersitate, praesertim maleuola. Sed uir beneuolentissimus S. Obbarius in ephem. Darmst. 1839 n. 120 eandem denuo sententiam tuetur. Sciat se amari propter honorificum de hoc homine iudicium, sed rem denuo perpendat censeo. Apud Ouidium mentio nulla est diei qui prior signatur Q. REX. C. F, IX Kl' April., post 3, 849, uide supra p. XLII. Praetermissus est proxime dies feriatus VI Kl' April. et Alexandriae captae memoria, uide p. ead. Credibile est noluisse eum coniungere ludos circenses cum scenicis Cerealibus 4, 392, 393, sed excidisse diei III Id. indicium, uide supra p. XLV. Non oportuit omitti inter Fabios et Quintilios lupercos Iulios, de quibus lege Dionem Cass. 44, 6; 45, 30: scimus enim intermissum aliquandiu id sacerdotium, cfr. Cic. Phil. 13, 15, 31 reductum esse ab Augusto, Suet. Oct. 31; Iulii luperci quod posthac non commemorari uidentur, non crediderim probare nullos fuisse; Dio Cassius cur omiserit mentionem, ipse fatetur 51, 20; lacuna apud Festum p. 257, 16 dext. et uerbis Dionysii Hal. 1, 80: *τριχῇ γὰρ ἐνενέμηντο* uti nolo. Laudabiliter fecit poeta differendo quam potuit

longissime praeconium de toga uirili Tiberii VIII Kl' Mai. et de adoptione eius VI Kl' Iun., quae tamen annotantur in fastis Praenestinis et Amiterninis. De Concordiae in arce aede, uide supra p. LXI, de Athenis captis Kl' Mart. a Sulla, uid. Plut. Sull. 14, de Statilii Tauri triumpho Africano prid. Kl' Iul., Orell. inscr. n. 619, cfr. Dio Cass. 54, 24, fatendum est arbitrium fuisse. De ludis Honoris et Virtutis supra dixi p. XIX, de Hilariis p. CLXXVIII. De Compitalibus uernis quae suspicatus sum p. CLVI, id cuiuis iudicandum relinquo. Nam si dixero etiam eius libri post u. 378 aliquid excidisse uideri propter uocem *causas* u. 357, uid. Heinsii et Burmanni annotata, et 3, 442, 443 poetam parturiisse montes et gigantomachiam illam iamdudum debitam, am. 2, 1, 11, natam ridicule capram, et 4, 949—954 sex uersus non esse multo *grandius opus* quinque uersibus qui praecedunt, ac 5, 149 similiter promitti uideri plura, quam praestari: audire iamiam uideor quosdam iurare de reconditiore elegantia deque furore poetico. Velim nunc relegi quae supra dicta sunt p. LXXIII, LXXIV et quaeri ab unoquouis, possitne rerum mirabilium commodior causa inueniri, quam quod in interrupto opere deprehenduntur. Possent multo plura proferri, nisi, quia de operis condicione ante suum exilium relicti poeta in illis uersibus tristium loquitur, subsistendum foret in anno V. C. 761. Verum eorum uersuum tertio scriptum fastorum opus dicitur *sub nomine* Augusti, et ne quis argutetur de ea locutione, Augusto *sacratum* fuisse. Numquid ergo Germanico olim non fuit inscriptum, ut hodie habetur? Ita plane existimo, et quemadmodum in libro primo nihil inueni, quod desideretur, inscriptionem quoque illi potissimum adhaerere, reliquos quinque, si unum locum exclpias, scriptos esse ad Augustum, eodemque hodie esse statu, quo fuerunt anno 762: de uerbis singulis a me restitutis hoc non dicitur. Locum illum iam nunc amoliar; est 4, 81:

Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae:
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est!
Ergo age, tam longas sed supprime, Musa, querelas;
Non tibi sunt maesta sacra canenda lyra.

Sunt haec profecto scripta tempore longe diuerso ab eo, quod paulo ante descripsi et loco alio, quam qui indicatur 3, 10: *huic urbi*, cfr. Bentlei. praef. ad Manil. p. x, aut 6, 9: *nemus arboribus densum*, cfr. Pont. 3, 1, 19, trist. 3, 10, 75; 12, 16. Plane igitur eodem modo iudico de his uersibus, atque Muellerus de aliquot Varronis de l. l. locis praef. p. VIII et Niebuhrius de Liuii lib. 4 c. 20 posteriore parte hist. Ro. 2, p. 517 ann. 11, cuius haec sunt uerba:

eine völlig vom Text abgesonderte Anmerkung, dergleichen wohl sonst in keiner Schrift des Alterthums vorkommt. Atqui locus Ouidianus nihilo incertius eiusdem rei erit exemplum quamdiu quae posthac disputabuntur, aliis et grauioribus argumentis euersa non erunt. Est etiam alter fastorum locus, qui eadem excusatione fortassis egere alicui uidebitur, nec eget, 6, 660:

Exilium quodam tempore Tibur erat.

Scilicet hoc cum suspirio enunciandum non est, quantumuis simili loco Pont. 1, 3, 81, 82 suadente. Nihil assignificatur, nisi uetustum exilii siue municipii ius, de quo ad auctoritatem Ciceronis exposuit admirabilem in modum Niebuhrius hist. Ro. 2, p. 72, 73; p. 267; p. 475; p. 683; 3, p. 165: monuit quaedam contra Goettlingius, hist. reip. p. 118, quae meum nunc non est examinare. Praeter unum illum locum quicquam mutatum esse ab Ouidio exule in libris fastorum quinque posterioribus duplici hoc argumento nego, quod nihil rerum post annum 761 gestarum commemoratur, quodque nihil inest, quod cum pristina Caesaris Augusti inscriptione non conueniat. Quod ad prius attinet, neque litem mouere poterit, nisi qui forte docuerit, quando Bonae deae aedes a Liuia restituta fuerit, uel quae alia non multa inexplorata reliqui, neque ipse aliter tueri sententiam possum, quam quod longe plurima cuius aetatis sint, docui: inutile foret exponere de iis, quae posteriorum annorum potuissent commemorari, nec commemorantur; poterant enim omitti cum illis, quae supra indicaui. Alterum persequar nunc ea accuratione, ut nullum locum praetermittam, qui uel uocatiuo casu uel alio Caesaris mentionem faciat, quiue ad Caesarem aliquem referri postulet: uidebis posthac, quid mihi uelim, et quo rem deducturus sim. Lib. 2, u. 15:

At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos:
Ergo ades et placido paulum mea munera uoltu
Respice, pacando si quid ab hoste uacat.

Haec manifesto ad eum dicuntur, cui totum opus inscribitur, habentque magnam similitudinem cum 1, 15, 16, 17; inprimis *ingredi per titulos* plane idem est, quod *ire per laudes*, quemadmodum *ire per titulum* est trist. 5, 9, 32. Verum illic habes *laudes tuorum*, hic *titulos tuos*, qui nonnisi promittuntur Germanico 1, 11: meruitne hos igitur post scriptum primum librum et ante coeptum secundum? cuius demonstraui primos uersus compositos biennio postquam liberam togam sumpsit Germanicus. Non igitur hic is fuit, qui *hostes pacaret*, sed Augustus, qui circa id tempus Parthorum res composuit, lege Dion. Cass. 55, 11. Huc pertinet etiam 3, 115:

Illa (signa) *quidem faeni: sed erat reuerentia faeno,*
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.

Nomen nullum inuocatur, intelligendus igitur aut Germanicus, aut Augustus carminis patronus. *Aquilas* Augusti *signa* dixit Manilius 1, 798:

— *caelumque repleuit,*
Quod regit Augustus socio per signa Tonante.

Et quidni signa eius fuerint, cuius legiones et nomen gesserunt aliquot et curam expertae sunt omnes teste Dione Cassio 55, 23 anno V. C. 759. Bellum Pannonicum non nisi eminus speculatus est Augustus: tamen de eo Ou. trist. 2, 169:

Sic assueta tuis semper Victoria castris
Nunc quoque se praestet notaque signa petat.

Paulo difficilior, fateor, locus est fast. 6, 757:

Non ego te, quamuis properabis uincere, Caesar,
Si uetet auspicium, signa mouere uelim.

Pugnae Trasimeniae exemplum uidetur proprium *signorum mouendorum* significatum innuere. Ratio non patitur *properare* aliud quid, quam impatientiam significare. Atqui non is fuit Augustus, qui belli discriminibus unquam laetatus sit: *nihil minus in perfecto duce quam festinationem temeritatemque conuenire* arbitratus, Suet. Oct. 25: nec exercitum ipse duxisse uidetur post annum uitae quinquagesimum quartum, Dio Cass. 55, 6. Verum adulationis uulgare est artificium suadere res non nimis difficiles, dissuadere inconsuetas. Vigorem quendam circa rem bellicam etiam post annum V. C. 759 in Augusto commemorari legas, ex suspicione et metu potissimum natum, uid. Dion. Cass. 55, 34: πρὸς μέντοι τὰς τῶν πολέμων διαχειρίσεις οὕτω ἔῤῥωτο —, 56, 23. Potuit in illa bellorum frequentia, Dio 55, 28, de ipsius Augusti expeditione Ouidius ominari. Ardor ille, si credibile est, pietate temperatus effertur etiam 5, 570 sqq., ubi princeps inuocatur, et 3, 710, ubi eadem, qua supra, simplicitate *Caesar* appellatur. Solet haec appellatio omni tempore, etiam de mortuo Augusto usurpari, ubi ambiguitas nulla est: ὅτι πᾶσι τοῖς τὸ τῶν Ῥωμαίων κράτος λαμβάνουσιν ἡ προσηγορία αὕτη ἐκνενίκηκεν, Dio Cass. 46, 47. Praeterea adoptionem in familiam principis indicabat: neque enim Tiberium excepta inscriptione in templo Castoris et Pollucis, Dio 55, 27, neque Germanicum memini usquam nisi apud poetas gente Iulia censeri. Hinc ergo est apud Ouidium 4, 859:

Cuncta regas et sis magno sub Caesare semper,
Saepe etiam plures nominis huius habe.

Valde dispar foret coniunctio Augusti et principum iuuentutis: pro-

babilius est indicari id tempus, ubi mortuis Caio et Lucio adoptatus est ab Augusto Tiberius cum Agrippa Postumo, a Tiberio Germanicus, uid. Dio Cass. 55, 13, Vellei. 2, 112. Iidem intelligendi sunt 3, 847: — *Pallas*,

Pro **ducibus nostris** *aegida semper habe*,

sed maxime Augustus et Tiberius tribuniciae potestatis collegae inde ab anno 748, Dio 55, 9, 13. Cfr. trist. 2, 171 sqq. *Ducis* appellatio patet latissime, uid. 6, 576, estque aestimanda ex eo, quod in his libris quinque adiicitur. *Pacificus dux* qui 4, 408 secundum libros meliores dicitur, praestat, ut intelligatur ipse Augustus, tracto etiam ad *ducem* adiectiuo, quam ut nescio quid mali augurii de Tiberio subesse putetur. Rursus uero 6, 92 Concordia *placidi ducis opus*, ut supra dixi p. ccxxxv, uix est Tiberii. Ipse hic secundum tab. Praen. XVII Kl' Ian. *Concordiam Augustam* uouisse uidetur. Dedicata ea aedes ab Ouidio ante exilium commemorari non potuit: aedem dum paratur inde ab anno 747, Dio Cass. 55, 8; 9, dici potuisse *opus* concedo, ipsam deam negauerim: uerum *placidus* dux Tiberius non uidetur nisi festis diebus fuisse, uid. Pont. 2, 2, 81. Praeterea *dux* sine dubitatione Augustus nuncupatur 2, 136 ut apud Propert. 3, 8, 20, Horat. carm. 3, 14, 7, ep. 1, 18, 56, fast. 5, 145, ubi quod traditur uiuo Augusto factum esse probabile fit ex testimonio Dionis 51, 20 de anno 725: ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι et Ouidii 2, 635:

Et bene uos, bene **te patriae pater optime Caesar**
Dicite suffuso ter bona uerba mero.

Siue *uos* lares domestici sunt, siue cognati, ridiculum et sine exemplo foret Augustum in apostrophe *patrem patriae* dici mortuum. Viuus ita consalutatur 2, 127:

Sancte pater patriae, *tibi plebs, tibi curia nomen*
Hoc dedit — etc.

De Tiberio nemo haec accipiet, qui τὸ τοῦ πατρὸς τῆς πατρίδος πρόσρημα παντελῶς διεώσατο, Dio 57, 8, Suet. Tib. 26. At alterum locum aeque luculentum 2, 59 sqq. fuerunt, qui de Tiberio intelligerent:

Caetera ne simili caderent labefacta ruina,
Cauit **sacrati** *prouida cura ducis,*
Sub quo delubris sentitur nulla **senectus**,
Nec satis est homines, obligat illa deos.
Templorum **positor**, *templorum sancte* **repostor**,
Sit superis opto mutua cura tui.
Dent **tibi** *caelestes, quos tu caelestibus annos.*

Sacratus dux quamquam dici potuit Tiberius propter sacrosânctam tribuniciam potestatem, Dio 53, 17; 55, 9, 13, uel propter Augusti hereditarium cognomen, quod quomodo gesserit, uide prolus. ad Ibin p. 403 et inscriptiones quasdam apud Orell. n. 687 sqq. et Foggin. praef. p. x, tamen neque homines, neque deos multum obligare consueuit, *circa deos et religiones negligentior* teste Suet. Tib. c. 69. *Templorum repostor* si fortasse appellari meruit propter aedes quasdam dedicatas, quas Augustus coeperat, uid. Dion. 57, 10, Tacit. ann. 2, 49, *positor* non fuit, qui *princeps neque opera ulla magnifica fecit: nam et quae sola supererant, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit* —, Suet. Tib. 47. At *Augustum Caesarem templorum omnium conditorem aut restitutorem* etiam Liuius nuncupat 4, 20, nec pro alio uotum fieri potuit de non sentienda senectute. Eadem Augusti pont. max. merita indicantur 3, 419 sqq., qui locus in hunc uersum clauditur: *Viuite inextincti flammaque duxque, precor,* tum 4, 348: *Augustus nunc est*, et 4, 949 sqq., ubi ad Dion. Cass. 55, 12 interpretanda uidentur quae legis:

Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit,
Quod superest illis, tertius ipse tenet.;

Nec longe differt quod 6, 631—642 de aede et porticu in area domus Vedii Pollionis exaedificata post annum 739, quo ille obiit, Dio 54, 23, et annum 741, quo censum habuit Augustus, Dio 54, 26. Venio ad locum 4, 19:

Si qua tamen pars te de fastis tangere debet,
Caesar, in Aprili quod tuearis, habes.

De Germanico accipi solet: non nego fieri posse, si solus spectetur, nego necesse esse si conferatur cum u. 124:

— ut scilicet olim
Magnus Iuleos Caesar haberet auos.

Magnus Caesar est Augustus princeps, ut apud Propert. 2, 7, 5: qui in apostrophe u. 119 incipiente non poterat inuocari ipse. Idem indicatur 3, 157:

Non haec ille deus tantaeque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis.

Si *deus* est Diuus Iulius, ergo illa *tanta propago* erit nondum consecratus Augustus. Itaque ex his locis, quos modo recensuimus, intelligis partem non exiguam eius modi esse, quales extare negabat Burmannus ad tristium l. ind. p. 544 ita annotans: *non uerosimile mihi uidebatur unquam Augusto dedicasse fastos, quia nullam eius rei uestigium apparet et nunquam ad Augustum orationem dirigat,*

sed ad Germanicum aliquoties. Singuli uero propemodum argumento sunt scriptos hos quinque libros esse superstite Augusto.

§. 6.

Librum primum non putauerim iudicandum esse ex illis tristium 2, 549—552 uersibus. Neque enim inscribitur Augusto, sed Germanico Caesari: neque omnia in eo scribi potuerunt ante quam poeta relegaretur, sed multo post editum librum trist. secundum et obitum Augusti: neque imperfectus esse uidetur, sed retractatus totus, lacunis, quae fuisse uidentur, suppletis, prioris curae indiciis, quae cum nouo statu, tempore, consilio non conuenirent, deletis.

Hic liber si eadem condicione cum reliquis esset, non dubito, quin omnium minime elaboratus foret. Nam si supra p. LXXIII recte suspicatus sum de astronomicis quibusdam et de feriis sementinis, cum de Compitalibus satis sciam, quam incertam coniecturam protulerim p. CLVI, fortasse dimidiato posteriore mense nihil praeter uu. 705—724 elaboratum Romae fuit. Vtut est, in Agonalibus u. 337—456 ualde similes sunt embolio, u. 391—440 uero, ut docui p. CLXV, uix aliud quid sunt habendi. Kalendarum et Carmentaliorum lemmata insigniter esse amplificata paulo post disces. Quod Kalendis commemorari potuit aedes Seiae Fortunae dedicata, quae est in inscriptione a Morcellio de st. inscr. 1, p. 43 illustrata, quod VII Id. argumentum marmoris Narbonensis, uide supra p. LXII, quod Iuturnalia u. 463 poterant uel adeo debebant propter u. 465 uberius tractari, his non multum tribuo.

Res gestae recentiores illis, quas e posterioribus libris enotaui, commemorantur, primum ipsius poetae iter in exilium, u. 389:

Exta canum uidi Triuiae libare Sapaeos
Et quicunque tuas accolit, Haeme, niues,

uide Neapolis annotationem. Deinde ipsum exilium indicatur u. 483:

Non meriti poenam pateris, sed numinis iram

et u. 540: *Felix, exilium cui locus ille fuit.* Vers. 645 notatur aedis Concordiae Augustae dedicatio anni 763, uid. supra p. CXXV, non post triumphum Pannonicum anni 765, uti uideri possit secundum Suetonii uerba Tib. 20, qui adeo Castoris et Pollucis templum differt in id tempus. *Triumphatam gentem* quam Ouidius u. 647 dicit, sunt Sigambri, de quibus eo anno τὰ νικητήρια ἤγαγε Tiberius, quo Concordiae templum uouit, uid. Dion. 55, 8, V. C. 747. Manifestum est haec omnia quouis etiam posteriori tempore perscribi potuisse, uti etiam u. 536:

Sic Augusta nouum Iulia numen erit.

Nam quod dicitur factum quidem non est ante Claudii imp. tempora, Dio 58, 2; 60, 5, Augustae Iuliae uero nomen ex testamento Augusti demum inualuit, uid. Vellei. 2, 75, Tac. ann. 1, 8, Suet. Oct. 107. Neque necesse erit u. 533 eo tempore ipso scriptum putare, quo Tiberius re uera detrectauit principatum, Dio 57, 7. Versibus 191—222 Ianus temporis acti laudator inducitur tueturque eas partes commode et grauiter, nisi quod u. 222 paulo ieiunior est. Sed dubium mihi uix est, quin uu. 223—226 cum illa insperatissima clausula: *Mos tamen est aeque dignus uterque coli* additi sint postea quam res gesta est, quae ad priscam illam dei simplicitatem non optime conueniebat. Probabile est Ouidium cum primum uersum 257 scriberet, unum tantum Iani sacellum, siue templum inter duo fora nouisse et u. 277 ad hoc retulisse ueterem ritum claudendi et aperiendi, prout etiam, paulo aliter fortasse, fecit Varro de l. l. 5, 165. Mirum foret de *paruo sacello* copiose exponi, si alterum templum superfuisset, de quo Liuius 1, 19: *Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit.* Nomen huius templi et locum notum fuisse docet poeta 2, 201, ubi Carmentalis porta *proxima Iano* dicitur. Verum cum huius portae duo *Iani* fuerint teste Liuio 2, 49, cfr. supra p. CXLIX, si simulacrum dei fuisset illo in loco, quomodo dici potuit 1, 257 *sacratus in uno* stare? nam *sacratus*, ut puto, non nisi in sacello prope fornicem stabat: ipse pace latet, u. 277, *tectis* Pax emittitur u. 121. Deinde Tacitus ann. 2, 49 anno V. C. 770 haec facta narrat: *Iisdem temporibus deum aedes uetustate aut igni abolitas coeptasque ab Augusto dedicauit* (Tiberius), *Libero Liberaeque et Cereri iuxta circum maximum —, eodemque in loco aedem Florae —, et Iano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius struxerat.* De hoc loco in certiorum argumentorum penuria ita censeo, quandoquidem Cereris templum superfuerit anno V. C. 747 teste Dionysio Hal. 6, 94, uerosimilius esse hoc igne, quam uetustate abolitum, eundem autem ignem proximam Florae aedem absumere potuisse, Iani ergo templum fortasse solum uetustate collapsum esse. Concedendum certe est Ouidium uel hanc ob causam, uel quia lentius instauratum est, praetermittere olim potuisse. Illud uero de *aureo templo* u. 223 appositum posthac circa tempus dedicationis Tiberianae, nec, ut dixi, aptissime: incidit ea dedicatio in XV Kl. Nou. secundum fastos Amiterninos. Aureum tunc templum factum esse nescio, an probet Plinii locus nat. hist. 36, 4, 8, ita interpungendus: *item Ianus pater in suo templo dicatus, ab Augusto ex Aegypto aduectus, cuius manus sit,*

iam quidem a u r o *occultatus*. Eodem fere tempore insertos huic libro oportet uu. 285 sq.:

Pax erat et, uestri, Germanice, causa triumphi,
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.

Hic triumphus ductus est VII Kl' Iun. anni V. C. 770 teste Tacito ann. 2, 41: decretus est biennio ante, id. ib. 1, 55; 2, 26: *uester* dicitur quippe res *ductu Germanici auspiciis Tiberii* gestae perscribebantur in arcu propter aedem Saturni. Nihil interest quo tempore de eo triumpho scripsisse poetam existimes; de pace illa posthac leges.

Quaestio de huius libri retractatione non potest subsistere infra annum 768. Data est opera a poeta, ne quid huic tempori, quos *suos annos* appellat u. 537, non conueniret. Itaque nulla est Augusti uiuentis neque omnino ulla nisi necessaria et infrequentior quam Tiberii mentio. Vu. 529, 530 Augustus est intelligendus, non, ut memini uelle quosdam, C. Caesar dict., sed proximi quatuor de Tiberio, quia *inde* particula non temporis successionem, sed originem ex domo Augusta indicat, ut her. 2, 54, met. 1, 626 et centies fit. V. 599 creditum est Augustum uiuum designari ab iis, qui ignorarunt saepenumero apud poetas eo modo coniunctiuum praesentis temporis modum pro imperfecto aut plus quam perfecto poni. Her. 9, 69, 71 coniunguntur *Si uidisset*, *detrahat*, ib. 12, 119, 121 *subeamus* et *elisissent*, fast. 6, 365, 366, Propert. 3, 10, 5, 6. V. 613 nihil habet offensionis, si memineris, ut supra docui, Tiberium quoque Augustum haud raro dictum fuisse. Caeterum incredibile non est tralaticium iam tunc apud seruilem turbam illud uotum factum esse, de quo Tertulliani adu. gent. c. 35 sunt uerba: — *etiam illa hora, qua acclamant: De nostris annis augeat tibi Iuppiter annos. Haec christianus tam enunciare nouit, quam de nouo Caesare optare.* Praeiuit quodammodo uerba posteritati Ouidius, nec ad solum Tiberium se conuertit, sed ad omnem, quae sperari poterat (δεκατρεῖς, Dio 57, 18), Augustam prosapiam. Ciuicam coronam Tiberius recusauit teste Suet. Tib. c. 26: sed, ut opinor, non ante, quam principatum sibi obtrudi passus est; prius enim quid iuris ei fuit in domum ab Augusto publicam factam teste Dione 55, 12? tunc uero, quamuis recusans, reapse iam aliquamdiu susceperat ONERosa, ut in tabula Praenestina fortasse fuit, imperii munia, Suet. Tib. c. 24, et eo omine, quo Augustus, OB. CIVES. SERVATOS. Hoc igitur ausus est Ouidius, ut optaret, ne is titulus tolleretur, propter futuros hereditatis istius successores. Venustus, si quid uideo, color et quouis egregio poeta dignus. Scilicet, si

quernam coronam, cuius in Augustum eo die collatae memoria extat etiam in fastis Praenestinis, aut omisisset, aut a Tiberio separasset poeta, in grauiorem offensionem potuit incurrere, quam si aut dissimularet, aut negligeret istius de semet ipso iudicium: utrum enim fecerit, non diiudicauerim, quia duplex est *protegendi* significatus, alter tuendi, alter tegendi simplicis, ut met. 12, 273; 351; 431. De futuris Caesaribus palatii incolis uerbo *uestras* auguratur ita, ut trist. 3, 1, 58 cum *iisdem sub dominis* dixit, certe cogitauit alios. Tiberium deinde affatur ipsum u. 645 sqq. et appellat *uenerandum ducem*, quae appellatio aptissima est in eo, qui *imperatoris* non praenomen, de quo uide Dionem 52, 41 fin., sed militare illud cognomen tantum admisit, Suet. Tib. 26, Dio 57, 8, quod primum accepit anno 746, Dio 55, 6. Idem cognomen cum illo tempore praeter Germanicum Caesarem nemo gesserit, uid. Tac. ann. 2, 26, 44, intelligitur, qui sint *duces* uu. 67 et 714, quibus in locis eadem inest sententia, quae uu. 287, 701, 721. Omnes simul contemplare:

— *ducibus, quorum secura labore*
Otia terra ferax, otia pontus habet. —
Tu ducibus bello gloria maior eris. —
Iane face aeternos pacem pacisque ministros
Neue suum, praesta, deserat auctor opus. —
Gratia dis domuique tuae: religata catenis
Iam pridem uestro sub pede bella iacent. —
Vtque domus, quae praestat eam, cum pace perennet —.

Haec pax toties uno libro decantata alia uix esse potest, atque illa, de qua locum u. 285 supra exscripsi, post proauos nostros a Germanico domitos. Namque *nullum tunc alium hostem* fuisse Tacitus testatur c. 26, et *bellum pro confecto* acceptum esse c. 41. Ex quo Ouidium fastos elaborasse supra indicaui, uix unus annus sine graui bello fuit. Caius Caesar paulo post annum 752 fortasse contra Parthos profectus, Ou. art. am. 1, 177 sqq., Vellei. 2, 101, antequam ei expeditioni immoreretur anno 757, exarsit bellum in Germania, Vellei. 2, 104, cui quomodo post adoptionem interfuerit Tiberius ibidem leges c. 105—109, cfr. Dio 55, 23: *Χαλεπῶς δὲ δὴ τῶν ςρατιωτῶν πρὸς τὴν τῶν ἄθλων σμικρότητα διὰ τοὺς πολέμους τοὺς τότε ἐνεςηκότας οὐχ ἥκιςα ἐχόντων* —, et c. 28: *κἂν τοῖς αὐτοῖς τούτοις χρόνοις καὶ πόλεμοι πολλοὶ ἐγένοντο.* Secutum bellum Pannonicum, Vellei. 2, 110, Dio 55, 29, clades Variana, expeditiones Tiberii Germanicae, unde post biennium ad triumphum non huius, sed superioris Pannonici belli auocatus, Suet. Tib. 20, successorem *reliqua belli patraturum* habuit Germanicum, Vellei. 2,

123, qui tamen aliis rebus intentus, Tac. ann. 1, 31, paulo post mortem Augusti demum signa denuo mouet, Tac. ib. c. 50. Vides nihil esse causae, cur hisce annis aut Ianum tertium clausum, de qua re magna est doctorum dissensio, idque innui ab Ouidio u. 281, aut cur reliquos supra positos uersus ad tempus triumpho Germanici Germanico prius aliquod spectare putemus. Pertinent ergo ad annum 769 aut 770 et ad pacem quae in spe tunc fuit. Fuisse colligo ex opusculi exordio alius, quod nescio an circa idem tempus scriptum esse oporteat. Ibi est:

Quantum etenim possent anni certissima signa —
Si non parta quies te praeside puppibus aequor
Cultorique daret terras, procul arma silerent? —
Pax tua tuque adsis nato numenque secundes.

Agnoscis Aratea ipsius Germanici, quae post annum 767 scripta esse docet u. 561, ubi de Augusti consecratione, et u. 186, ubi *maiestas* Tiberii commemoratur, cfr. Plin. paneg. c. 11: *dicauit caelo Tiberius Augustum, sed ut maiestatis numen induceret*, tum in primis uersibus Tiberii et Iouis comparatio, *auctoritas, sacra*, cfr. Sueton. Tib. c. 27, qui primis temporibus eadem uocabula auersatum Tiberium tradit. Alia quaedam olim disserui prolus. ad Ibin p. 379. Germanicum non est probabile de pace cecinisse ante hiberna anni 769 et reditum Romam, Tac. ann. 2, 26. Quidni ergo eius exemplo potissimum Ouidium scripsisse quae supra legisti credamus, qui si forte Pont. 4, 16, 39 libros Germanici *ineditam curam* dixit, at tamen *otia pontum habere* u. 68 uidetur dixisse qaia in prognosticorum fr. 2, u. 88 Orell.: *Pacem mundus habet* legerat. Itaque uentum iamiam est ad Germanicum Caesarem, cuius honori praeter u. 285 supra positum primi uiginti sex huius libri uersus dicati sunt, quibus fortassis sex circa annum 753 scripti inserti sunt 1, 2, 7, 8, 13, 14. Consentaneum est cum res gestas temporisque indicia, quae in hoc libro alio atque in reliquis modo obseruantur desiderantur ue, demonstrauerimus ad eundem terminum collineare: consentaneum est, inquam, eadem opera Augusti uiuentis mentionem deletam, Tiberii eiusque actorum et Germanici suppletam atque adiectam existimare. Manifesto id docet uersus 285 et proxime coniuncti qui sunt. In libri uestibulo nihil est certi de ea re argumenti. Quod facundiam illam principalem, de qua Dio Cass. 56, 26, *sensisse* se dixit poeta, potest et uidetur legisse, ut orationes Maximi Cottae Pont. 3, 5. Poemata eodem quo illic modo laudat Pont. 4, 8, 69—78. Id carmen cum arguente u. 63 scriptum sit aliquanto post excessum Augusti, simul argumento est neque dedicatum quicquam antea Ger-

manico, u. 34, nam ne epistola quidem libri secundi prima nomine eius inscribenda erat, neque, ut uidetur secundum uu. 71, 87, fastos et elegos destinari, sed heroica. Suillius, ad quem scribitur, Ouidii priuignae maritus, u. 10, 90, et, ut recte coniici puto ex Tac. ann. 4, 31, Germanici quaestor, aut in Germania anno 768, ant posthac in oriente fuit. Potuit hoc intercessore iouenis imperator infelicissimo sexagenario poetae conciliari, nisi alioquin uterque habuisset quod in altero admiraretur. Poeta num ab illo restitutionem expectauerit cum fastos ei inscriberet, an potius fortiter iamiam desperauerit, nescio: notabilis utcunque est in locis istis 1, 481 sqq., 4, 81 sqq. constantia et querelarum insolita moderatio. Ante hoc quinquennium faciebam coniecturam de occasione, qua carmen Ouidianum patronum Germanicum nactum esset, quae certe dilucidare possit, cur id patrocinium primo libro tantumnon definiatur. Scimus ex S. C. Germanicum ad pacandum orientem cum imperio missum in prouincias, quae mari diuiderentur, Tac. ann. 2, 43, anno V. C. 770, quo etiam iter ingressus per Illyricum Nicopolim peruenit. Ibi inito secundo consulatu Athenas adiit, deinde Euboeam, Lesbum, tum Perinthum, Byzantium, Propontidem et os Ponticum, Tac. ann. 2, 54. Non ergo longissime aberat a poeta nostro in *oriente Sarmatarum*, qui dicitur in inscriptione Orelliana n. 750, abstruso: quem quis negabit de imperatoris consilio *ueteres locos et fama celebratos noscendi* certiorem temperi fieri potuisse, adeo quidem, ut quia nosset Germanicum appulsurum *Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur*, scriberet uersum 20: *ut Clario missa legenda deo?* Est etiam, qui ad Germanici consulatum referri possit, u. 63:

Ecce tibi faustum, Germanice, nunciat annum Ianus —,

ut u. 67 *ducibus* indicentur Tiberius et Germanicus collegae eius anni. Non scimus accurate, quo die Ouidius obierit: ut opinor, postremis mensibus anni 770. Non reperio in quanam uita Leutschius u. dss. p. 53 mense Maio mortuum tradi dicat: apud Burmannum et Mucciolum frustra quaesiui. Si id fidem testimonium mereatur, crediderim eum mensem proximi anni 771 intelligendum. Pendet haec res ex ratione chronologica Hieronymi, qui Eusebium latine uertit inseruitque lemmata ex Suetonii libris uariis petita, uid. praef. p. 4. Is sub numero MMXXXIII tradit ita: *Ouidius poeta in exilio diem obiit et iuxta oppidum Tomos sepelitur.* Annus indicatur Varronis 770 L. Pomponio, C. Caecilio coss. Iam uero Eusebii anni computantur a creatione mundi et initium ducunt ab autumno Antiochenorum aut Alexandrinorum more, uid. Ideler. enchir. chron. 2, p. 448. Quaeritur, num conueniant cum consularibus Romano-

rum prioribus octo aut postremis quatuor mensibus: deinde, num eandem legem secutus fuerit Hieronymus in adiiciendis titulis eruditis. Io. Massonus potissimum in uitis Horatii et Ouidii aliquot locis contendit annos Eusebianos siue Abrahae parte sua maiore incidere in eos qui consulibus designantur, sed desinere in eorum mensem Augustum. Mihi uero uidetur Hieronymus certe in excerpendo Suetonio contrario modo rem instituisse. Nam fasti consulares si conferantur cum numeris Hieronymi iis, quibus res aliqua ascribitur accuratius a Suetonio designata, mira diuersitas deprehenditur cum quid altero utro, quod indicaui, spatio gestum est. Numerus MMXXXIII si est consulum eorum, quos dixi, ergo n. MDCCCCLII est L. Aurel. Cottae, L. Manlii Torquati, n. MCCCCCXLVII Cn. Pompeii, M. Licin. Crassi, n. MDCCCCXCVII Sentii Saturnini, Lucretii Vespillonis, n. MML Fabii Persici, L. Vitellii, n. MMLXXIII Rubrii Marii, Asinii Galli consulatus, quibus numeris et consulibus apud Hieronymum et Suetonium natus Horatius, nati aut mortui Virgilius et Persius poetae produntur, sed VI Id. Dec., Id. Oct., Kl' Oct., prid. Non. Dec., VIII Kl' Dec. Possent ex uitis Suetonii plurima alia exempla poni. Haec igitur si recte se habent, casu factum esse non potest, quod Augusti obitus, Tiberii mors, Caligulae nex, Vespasiani excessus, quae omnia sunt Ianuarii, Martii, Maii, Augusti mensium, non annotantur iis numeris, qui respondent consulibus Suetonianis, sed proxime praecedentibus, ualde indignante plerumque Scaligero. Vides, quid sequatur: numero MMXXXIII Hieronymi contineri anni V. C. 770 postremos et anni 771 priores menses. Cui cum Ouidii mors ascribitur, non est necesse optare mensem, quo contigerit: semestri tamen spatio opus fuit, ut de senatus consulto, quo dixi, certior poeta fieret; uid. Pont. 4, 11, 15 sq. et ib. 9, 3, quae epistola scripta est ad Graecinum consulem designatum anni 769, sed sufficiendum inde a Kal. Mai. fortasse, docente lapide apud Fabrett. synt. inscr. n. 224, quod scire non potuit Ouidius nisi post comitia anni 768, mensis fortassis eiusdem, uid. supra p. XLIII. Quod apud Hieronymum eodem numero alterum lemma est: *Germanicus Caesar de Parthis triumphauit*, non continuo Scaligero concesserim emendandum esse: *de Cattis*. Triumphus de Cheruscis, Cattis, Angriuariis ductus est mense Maio anni 770, ascribendus igitur fuisset numero MMXXXII: cum Parthorum rege Artabano foedus certe splendide renouatum est a Germanico anno 771, Tac. ann. 2, 58. Haec habebam, quibus probarem Ouidium refingendo corpori fastorum, quod missurus ad Germanicum, si in Asiam uenisset, fuerit, immortuum esse absoluto primo libro. Vnde factum sit, ut non absolutos quin-

que tantum habeamus, num propter temporis exiguitatem hos tantum recognoscendos sumpserit et fortasse his unum alterumue excursum ex sex posterioribus, ad quos ablegauit lectorem 3, 57; 200, 5, 147, interposuerit, cuius suspicionis leues quasdam causas poteris inuenire in iis, quae supra p. XLVII et LXIII disputata sunt, non habeo dicere: uersum 6, 792: *coeptis addite summa meis* uix eo retulerim, quia quae sequuntur proxime de Marciae forma et facie u. 798, 799, 800 non uidentur conuenire in Fabii Maximi uiduam, Tac. ann. 1, 5, debebantque anno 770 retractari ante omnia. Illud, quod p. LXXIV de aliena manu in Ouidii reliquiis grassata suspicatus sum, si quis in ipsum poetam festinantem conferre uoluerit, huc pertinebit.

§. 7.

Proximis octo saeculis a morte poetae quae fuerit huius carminis fortuna, non constat optime, et tamen scitu dignissimum foret; neque facile ulla res magis optimorum grammaticorum curam efflagitabit, quum aliquando quicquid semibarbarorum uoluminum auxilio potest, profligatum et expugnatum erit, hac cognitione, quomodo in uersandis ueteribus scriptis, maxime poetis, ueteres illi Valerii Probi ac Domitii artem nostram factitauerint. Pendebit ea quaestio inprimis ex ipsa librorum scriptorum, qui supersunt, peruestigatione, cum exploratur quid seqnioribus temporibus committi auderiue potuerit, aut non potuerit: atque eo nomine aliquid opella nostra profectum esse infra, nisi fallor, intelliges. Sed opus est, antequam decerni quicquam possit, simili labore in pluribus eiusdem generis ac sortis scriptis collocato. Itaque nudis scriptorum testimoniis hanc § multo, quam optauerim, breuiorem et fortasse aliquanto, quam potuisset esse, nisi fructum citius desperauissem, exiliorem instruam: omittentur quae in annotatione uerbis carminis subiecta minoris rei indicata sunt.

Inscriptionem carminis astruunt Priscianus t. 1, p. 267 Kr.: *Ouidius fastorum inscripsit libros*, Agroetius p. 2274 P.: *Iuuenta dea ipsa, ut Graeci dicunt, aut poetae, Iunonis filia, uxor Herculis, a qua Iunium mensem appellatum in libris fastorum legimus.* Iisdem modis Lactantius 1, 12 et 13. Cfr. On. 4, 19.

Loci sunt, ubi scripturae aut meliores, quam quae in codicibus sunt, aut memorabiles seruantur: lib. 2, 55 apud Priscian. 1, p. 183, p. 336, quorum locorum altero omnes praeter unum Krehlii codices, altero omnes habent: *Phrygiae contermina matris*, quod meorum unus infimae notae. Lib. 2, u. 597 ueram scripturam prae-

ter suspectos plerosque libros tuetur Lactantius 1, 20: *Hanc esse dicunt ex qua sint nati lares et ipsam Laram nominant uel Larundam.* Lib. 4, u. 45 Seruius, ut annotaui, non longissime abest ab egregia Scaligeri coniectura. Ib. u. 209 *sudibus* ex Lactantio cum Heinsio recipiendum putaui. Lib. 4, u. 934 non est spernenda Prisciani 1, p. 225 auctoritas in tanta melioris scripturae quamuis bonorum testium paucitate. Nec lib. 5, 371 negligenda scriptura unius Krehlii libri apud Priscian. 1, p. 327: *claudantur rete leones*, cfr. Ou. 4, 216.

Est codicum par non mediocrium, Arundelianus et Vossianus, qui singulares plerumque habent scripturas, quarum uetustatem quod docere possit, nihil est praetermittendum. Illi potissimum tradunt 2, 284: *ipse feras*, quae est pars improbatae iure a Gronouio scripturae, quam tamen nouisse uidetur Seruius ad ge. 1, 17: *feras solitum a cubilibus excitare et ideo capripedem figuratum.* Iidem codices praebent 2, 378: *memorem famam qui bene gessit habet*, quod tueri uidetur Seruius ad Aen. 8, 663 ita circumlocutus: *propter rem a nudis prospere gestam consuetudo permansit, ut nudi Lupercalia celebrarent.* Alter eorundem 2, 523 habet: *Facta deae est fornax*, quam scripturam olim praeferebat Heinsius, et poterat profecto praeferri, nisi Lactantius 1, 20 deam Fornacem alioquin ignotam referret. Idem liber 3, 11 scripturam hercle non casu natam *Ilia Vestalis* suppeditat, quam laeteris redargui a Prisciano 1, p. 456 et 526 Kr., ubi *Siluia* et *Syluia*. Idem codex Arundelianus aduersatur 4, 391 Prisciano 1, p. 118 testanti: *Ouidius tamen saluber dixit et celeber in IV fastorum: — Circus erit pompa celeber.* Idem cum Vossiano ib. 805 eidem 1, p. 570: *Idem in IV fastorum: Per flammam* (ita codd. Kr.) *saluisse* p. *saluisse* col.

Scripturas a nobis improbatas tradunt 3, 115 Seruius in annotatione indicatus: 3, 377 Isidorus Hispalensis orig. 18, 12, 3 p. 569 Lind., qui tamen seq. uers. scripturae receptae auctoritatem auget: 4, 779 scripturam cod. Ilfeldensis uidetur nouisse Paulus Diaconus p. 63, 12, leniter inde emendandus: 4, 933 non probo scripturam a Krehlio receptam e cod. Lips. apud Priscian. 1, p. 225: *Dixerat; ac dextra*: 5, 310 improbo scripturam in eo disticho apud Eutychem p. 189 a Lindemanno admissam.

Praeterea sine discrimine loci allegantur in annotatione non indicati: 1, 239, 240 apud Lactantium 1, 13: 1, 339 apud Diomedem p. 377 P.: 1, 385 apud Lactant. 1, 21: 1, 521 apud Priscianum 1, p. 326: 2, 261 indicatur apud Caprum de orthogr. p. 2242 P., coll. Bentl. ad Hor. carm. 1, 13, 2: 2, 287 apud schol. Statii ad Theb.

4, 275: 4, 151 sq. apud Eutychem p. 190 Lind.: 4, 583 sq. apud Priscianum 1, p. 501, 512: 4, 787—792 dissolui uidentur apud Lactant. 2, 9: 4, 888 apud Priscianum extant 1, p. 353: 5, 25 fortasse legit Tertull. adu. Marcion. lib. 2 init: *Vnicus sol est o homo qui hunc mundum temperat*: 6, 285 —288 est apud Lact. 1, 12.

§. 8.

Historia fastorum Ouidianorum inde a saeculo nono continetur codicum manu scriptorum notitia: quorum cum tantum mihi accreuisse numerum uiderem, quantum mox intelliges, duas potissimum inueni causas, cur omnes eorum scripturas commode digestas lectori sisterem. Primum enim insigni, qua usus sum, fortuna, siue potius magna illustrissimorum uirorum humanitate, qui copias Berolinenses et Monacenses mihi indulserunt, nequaquam tamen factum est, ut aliud quid, quam coeptam rem, de qua agitur, putem. Quamquam, si quid uideo, absolui non poterit assiduitate et industria, sed ratione: mirum foret, si codices tres aut quatuor uetusti, quos extare non collatos nouerim, praeter unum alterumne locum rectius seruatum ad summam quaestionis multum conferrent. Verum in re ita nata et in hac qua me natum noui mediocritate ita mihi sententiam ferendam putaui, ut cuiuis dissentiendi copiam facerem et materiam suppeditarem. Deinde cum quae in annotatione mea critica maximi pretii sunt, minus expediant rem, quam implicent, in parte deteriori nihil fortasse est, quin prodesse possit ad iudicium de aliorum scriptorum statu faciendum: multi sunt, quorum historia critica ultra saeculum tertium decimum non repetitur, post quod tempus in his fastorum libris nulla fere est codicum constantia, turbata incredibiliter, neque tamen sine lege quadam et ordine, ueri uestigia. Exponam nunc de horum librorum pretio eo ordine, quo in quatuor classes distinctos intelligis in annotatione: nam accurate collatorum uetustiores aut non recentiores saeculo duodecimo latinis magnis litteris indicantur; saeculi tertii decimi qui sunt, graecis; hoc recentiores minutis; numeris insigniuntur, qui integri non sunt excussi.

1. Vetustissimus omnium liber est Petauianus primus, si recte de eo scripsit Heinsius: *cod. Pet. ante annos octingentos scriptus, sed non integer et qui ad initium libri V* (u. 24) *deficit.* Collatus est a tribus, I. F. Gronouio qui Parisiis ab ipso *Alex. Petauio consiliario* utendum accepisse uidetur, cuiusque ubi ab Heinsio testimonium discedit (differt antem saepe et est ubi grauiter, uelut 2, 780) maxima qua potui diligentia id indicaui. Nam ipse Hein-

sius eundem librum, nescio num in Suecia an alibi, contulit insigni cum cura. Scripturas ab his proditas notaui littera *A*. Postremo Is. Vossius eundem obiter collatum reliquisse uidetur. Extant enim schedae Heinsii aliquot codicum collationes complexae, in quibus si detraxeris eas scripturas, quae ab ipsius Vossii manu alibi notatae supersunt, restant eae, quas in notis impressis *excerptorum Vossii* Heinsius nuncupare solet: ego numero 43 indicaui: Petauiani libri esse ignorauisse uidetur Heinsius, quod tamen dubium minime est. Hunc codicem hodie putauerim esse inter Petauianos bibl. Vaticanae, qui apud Montfauc. bibl. bibl. 1, p. 91 C n. 1025, 1217, 904 recensentur. Eximia eius est auctoritas nec nisi grauem ob causam deserenda, sed origo ab aliis paulo minus uetustis longe remota et in scripturis manifesta saepenumero corruptio et barbaries: in orthographia multa solus offerebat digna assensu.

2, 3. Notis *B* et *C* indicantur duo libri ita descripti ab Heinsio: *Arundelianae bibliothecae codex in membrana ante annos 700 scriptus; certe quoad uetustatem Vossiano codici praeferendus uidetur. — Vossianus codex, aut quem ille mihi commodauerat, ante annos 700 aut 600 scriptus, qui ex bibliotheca S. Nazarii, ut frons exhibebat, profluxerat. Membranaceus bonae notae est.* Posteriorem etiam contulerat Is. Vossius in exemplari ed. Amstel. 1630, quod seruari dicitur in bibliotheca Leidensi. Inde uarias scripturas enotauerunt Io. Fr. Gronouius et Laur. Santenius in exemplaribus Micylli Francof. et Plantini Antwerp., quod utrumque diligenter excussi et sicubi ab Heinsio uel adeo inter ipsos differentiam deprehendi, annotaui. Neuter codex ubi nunc sit, rescire potui. Arundelianus cum in museo Britannico non sit, reperietur fortasse in catalogo *of the Arundel mss. in the library of the college of arms*, quem nancisci non potui. Vossianus alter eorum esse possit, qui recensentur in bibliotheca Vossii Windsoriana, *catall. librorum mss. Angliae et Hiberniae* 1697, t. 2, p. 66 n. 2448. 123 et p. 69 n. 2651. 326. Vtriusque singularis et eadem est origo: nisi me fallit iudicium, e museo grammatici alicuius Mauortii et Asterii illorum similis, qui *legit et ut potuit emendauit, operi sedulus incubuit.* Interpolationis non sunt immunes uisi nec sequendi sine necessitate, aliquanto recentioribus nonnunquam posthabendi. Proferantur loci quot sufficiunt non ad tuendum hoc iudicium, sed ad illustrandum. Lib. 1, 393; 626; 2, 149; 3, 30 fortasse glossemata quia casu quodam in uersum quadrabant recepta quis dixerit. At 2, 106; 339; 362; 368; 378; 470; 3, 231; 236 et centies praeterea manifestum est ornatioris aut emendatioris locutionis studium. Audendumne igitur

fuit 3, 34 ut sine alio firmo praesidio illos sequerer? Quando discedunt quod saepe fit, Arundeliani maior meliorque solet fides esse: exemplo est 2, 274, locus, ut mihi uidetur, corruptus. Quamobrem 3, 369 et 4, 949 leuibus in rebus Arundeliani auctoritatem admisi: 2, 392 haesitaui adhuc. Est enim ubi et is difficultatem suspiciosum in modum delinit, 2, 499. Vossiani elegantias, uelut 2, 551; 3, 371; 6, 78, ualde amabat Heinsius. Ego si quando hunc potissimum librum secutus sum, factum id est in locis eiusmodi, ut 5, 131; 6, 522, ubi uel interpolatissimum quemuis admittere ratio fuisset.

4. Fragmentum Ilfeldense insigni beneuolentia transmissum habui a Wiedaschio uiro doctissimo: ac liceat hoc loco argumenti ieiunitatem animi gratissimi professione interpellare idque repetere, quod cum creditum thesaurum remitterem testabar, maiorem humanitatis fructum me percepisse ex tanta liberalitate, quam in haec studia utilitatis inde redundauit, quod tamen plurimum est. Ex Nahmmacheri scriptione quadam scholastica anni 1765 iam pridem noueram esse aliquot bonae membranae folia in inuolucro sacri corporis inuenta, mirae uetustatis. Aspectus erat miserabilis plagularum octo in sedecim octonae minoris formae folia complicatarum quibus continebantur uersus huius carminis a 2, 568 ad 3, 204 rursusque libri 4, 317 ad 814; adiectae praeterea erant laciniae minores octo duorum triumue digitorum latitudine: omnia quamuis indignitatem et contumeliam perpessa. Frequentes rasurae et correctiones et uariae scripturae ascriptae et glossemata a septem uti Nahmmacherus iudicauit, ut mihi uisum est quatuor diuersis manibus profecta fidem faciebant studiose lectitatum et tractatum uolumen fuisse cum integrum esset: neque hoc sine magno horum studiorum detrimento, ut intelliges ex annotatis meis, ubi quid quoque loco discerni potuerit aut nequiuerit, sedulo indicaui. Quantum ad tempus scriptionis attinet, in litterarum forma atque ductu nihil fere deprehendebam, quin in libris saeculi duodecimi animaduertissem. Agnoscebam quatuor librariorum manus, primam quae desiit prima pagina in uersu 589: postremi tres quatuorue uersus festinantis ad finem pensi minorem curam arguebant: redit eadem manus pag. nona a uersu 841 dimidiato usque ad pag. undecimae finem u. 3, 49. Alia manus, nisi forte eadem est argutiore calamo usa, scripsit paginas 5, 6, 7, 8, 9 ad uersum 2, 841 dimidiatum laxioribus hic quoque sub finem litteris et uersu 840 prae festinatione omisso, redit p. 12, 13, 14, 15, 16, deinde p. 27 et p. 30, 31. Tertia manus incipit a uersu pag. primae 590, desinit in calce pag. secundae, redit pagg. 17—25, in cuius fine et ipsa delassata uidetur. Quarta est in pagg. 3, 4, 26,

28, 29, 32. Consentiunt omnes in uetusta forma litterarum *r*, *s*, quod tamen semel, 4, 324, certa fide rotundum est, uti saepissime in cod. Monac. *E* aliisque supparis aetatis, *t*, quod ad modum graecae eius litterae scribitur et minime, ut Nahmmacherus p. IX dicit, simile est *c*: *i* ubique praeter fortasse unum locum 2, 581 sine puncto, *y* cum puncto exaratur: *d* bis terue rotundum est uetustiore forma. Discedunt maxime in compendiis syllabarum *us* et *unt*, *que* et *quid*. Omnes praeter tertium librarium aut *ae* diphthongum aut *e* aut *e* cum lineola in calce scripserunt, ille uero nunquam *ae*, raro *e*, plerumque *e* cum uirgula: idem *fecundus* et *phebus*, cum reliqui *oe* diphthongo quae plerumque exulat a codicibus saeculi duodecimi, h. e. quos uiderim, utantur suo loco, utantur alieno, praesertim in uerbis *capere*, *recipere*, fortasse etiam *incipere* p. 16, 3, 175, in quo tamen Verrii Flacci in tab. Praen. auctoritatem spectaui. In orthographia omni eximia harum membranarum utilitas est: singula indicani, pleraque exhibui, etiam in aliis carminis partibus nonnunquam, sed admonito lectore, quae desunt in ipsis; neque enim minuta illa semper in libro Petauiano satis curauit Heinsius. Secunda illa, quam dixi, manus a consueta ratione, casu nescio an consilio, deflectit aliquoties in praepositionum annexu habetque *asuetos*, *traicias*, *conubia*, *transilui*, *subposuere*: didicisse grammaticam uidetur. Quarta rusticiora infersit *Mennonis*, *mutinentia*, *loetum*, *taelis*: quam obrem cum non nisi haec *promtum* habeat p. 29, 4, 717, nihil huic auctoritati tribuere debebat Nahmmacherus p. XII. In frustulis octo quae commemoraui arduum erat discrimina huiusmodi discernere: caeterum tantum abest, ut, quod Nahmmacherus p. V dixit, paucissima in illis uerba dignosci possint, ut nullo medicamine adhibito pleraque legerim et intellexerim abscisa illa esse a quaternionibus duobus aliis. Eorum primus uersus libri 1, 291—420 habuisse uidetur, pagina eius prima, cuius duo fragmenta extant cohaerentia a summo folio, uersus 291—321, triginta unum, ut in iis quae integrae seruatae sunt, nisi ubi uersus omissus et in calce suppletus: perierunt uers. 318—321, superiores aegerrime legi possunt. Vers. 314 *subibit* est et u. 315: .... *de nubibus atris* ascripto in margine *nisi*. In auerso eodem folio primi uiginti septem uersus tantum non integri et satis bene seruati sunt, sed exciderunt inter illos librarii culpa uersus 325—330. Hinc colligi nisi fallor potest primum in codice archetypo pentametros subductos a regula sinistra fuisse, quod in nullo eorum codicum quos uidi fit, deinde u. 329 scriptum fuisse, uti assolet, cum cod. Mazariniano: *Pars etiam*, quod uerum non puto. Sed u. 322 ex hoc frustulo Ilfeldensi, quod

suo tempore non inspexi, recipiendam puto *agone*. Ascriptum est a manu tertia id quod suspectorum librorum auctoritate nolui tunc admittere. Versu 333 *Vtque* (*ea* supra lia.) *nunc certa est* est in hac membrana; uers. 335: *Victima quae cedit* ....; u. 336: *Hostibus amotis*; u. 338: *Fas erat* ma. pr. Alterum membranae proximum frustum u. 341: *Tura nec eufrates*; u. 343: *dabit fumas* sub ras. utrumque discrimen; u. 349: *ceres grauidae*, sed a manu tertia trium litterarum compendium in rasura a trium litterarum homine interpolatum; u. 351: *Non sata* et fortasse, sed uix legi ut possit: *lacta*...; u. 352: *saetigerae*. Desiit sine dubio haec pagina in uersum 358, coepta est prima secundi folii uersu 359, quia ex fragmentis eius folii duobus, quibus insunt uu. 367—372, tum 380—389 et 397—403 et 411—420 colligitur u. 389 et 420 paginas terminatas fuisse. Hic in apographo quod feci totius thesauri Ilfeldensis u. 381 notaui extare: *...o·..r.enas*. Dubium non est, quin cum solo Petauiano ueram scripturam seruauerit. Vers. 385: *hiperiona*; u. 388 ut dedi, *cadit*; u. 389: *sabeos* et pro uar. scr. ma. sec. *sacerdos*. Vers. 411: *satiris*; u. 413 *inextintae s. lib. urg*...; u. 415 sub rasura leuis est umbra scripturae *decus*. Versu 666 codicem Ilf. legisse *frigida uulnus* inde collegerim, quod prior uox in margine ad 4, 404 ascripta est. Alter quaternio oportet coeperit a uersu 667 uel 668 et quauis pagina trigiuta duos uersus praeter consuetudinem habuerit, quia fragmenta duo quae de priore folio alterum cum margine inferiori supersunt continent a parte aduersa uu. 1, 677—683 et 690—699, ab auersa autem uu. 708—714 et 1, 721—2, 6, ut utrinque desint octo summi et sex medii uersus. Vers. 677: *saciate*; u. 683 scripturae *rura* primae litterae extant. Vers. 709 *deducit*, quod ma. sec. correctum; u. 711: *ac.tiacis*. Lib. 2, u. 2 uti edidi. Alterum alterius quaternionis folium duobus continuis fragmentis a parte superiori superest, quae utriusque paginae superiores duodeuiginti uersus continent, altera a 2, 7, altera a 2, 39 incipiente, ut in calce utrobique quatuor uersus absint. Vers. 7: *..no sacrataque tempora*; u. 17 *mea*, om. *uultu*; u. 18 plane uti edidi, nisi quod *de* syllaba in ras. posita uidebatur; u. 19 *piacula*; u. 29 uti edidi; u. 33 *sepulchris*. Vers. 59 *Cetera*; u. 65 *celest*.— Est hic liber pretii eximii et ab omni interpolationis suspicione alienus. Vbi cum Petauiano conspirat acta res est in omne tempus: fitque id non raro. Vbi discrepat ab hoc res nascitur difficillima: quantum enim uetustatis decedit Ilfeldensi compensari solet scripturae non dubia praestantia, quam siue haesitatione Petauianae praetuli in leuioribus discriminibus, ut 2, 755; 3, 140; 146; 4, 395 et

in grauioribus ut 2, 632; 3, 94, ubi nisi Forum Decii Plin. nat. hist. 3, 12 aut Forulos Liu. 26, 11 intelligas Petauiani scriptura explicari uix potest, ut 3, 127, ubi *pares* sensu profecto caret, *patres* de decuriis senatorum accipiendum uidetur, Dionys. Hal. 2, 57, Lydus de magistr. 1, 16. Est ubi nihil prope interest Petauianum an Ilfeldensem sequaris, ut 4, 500: habui igitur honorem natu maiori. Cum Arund. et Voss. nonnunquam cognationem prodit Ilfeldensis, ut 3, 81 sq.; 122; 4, 368; 555. Sed longe maior est necessitudo cum fraudulentissima Italorum, Vaticani primi, Zulichemiani, Mazariniani familia, quos cum multis et grauissimis in locis teneam doli, certum tamen est originem ducere a codice singularis notae nondum interpolato et Ilfeldensi simillimo. Cum ergo in iis carminis partibus, quae extant in Ilfeldensi saepenumero cum hoc etiam illos secutus sim, cumque praeterea saepissime illorum scripturas fuisse in Ilfeldensi integriori probabile sit, tamen rarissime illos tantae auctoritatis uicarios facere potui. Nata est inaequalitas quaedam: sed minus hoc est uitium uel leuitate, quam quibusdam relinquo, codices blandos incertae aetatis (uel saeculi sexti decimi, ut Combianum Dresdensem) uetustis aequiparandi, uel audacia pro certis uenditandi probabilia.

5. Notam *D* gerit codex primus Bauaricus, Monachio Berolinum transmissus meum in usum intercessione ac permissu summorum uirorum, clarissimi et immortalis memoriae rerum diuinarum quaeque eruditione continentur nuper moderatoris liberi baronis ab Altenstein, amplissimi horumque studiorum gnarissimi aestimatoris Ioannis Schulzii, bibliothecae regiae Monacensis summi praefecti illustrissimi et uenerabilis Lichtenthaleri: quibus quantum deberem cum cogitatio subiit his annis postremis mirifice sum in tolerando labore obfirmatus. Librum ita insignitum accepi: *cod. Mallersdorfensis n. II in oct. membr. saec. XII constans foliis septuaginta uno.* Scriptus est luculente et eleganter. Insunt scripturae compendia singularia et nisi fallor uetusta, ut NT in fine coniuncta, ut uocalis *a* longobardica, quae olim dicebatur, forma infra annexa: *rom*ͣ h. e. *roma*, alia. Littera tamen *s* non raro est rotunda, *ae* plerumque *e* cum uirgula, interdum *e* simplex. Inerant etiam glossemata bonae frugis non inania nec ipsa scriptura recentiora uti aliquot argumentis colligebam, quae longum est persequi. Cum liber sit integer, cum scripturas habeat ubique proprias et plerumque egregias neque aut barbariei obnoxias aut ullo modo suspectas, cum collatus sit a me diligenter, hoc potissimum praesidio condicio critica carminis Ouidiani sese tuebitur, donec difficultates

illae in libris superioribus eorumque triplici origine expeditae fuerint. Quas quia exaggeratas a me esse minime existimo, non putauerim librum Mallersdorfianum ab ipso communi omnium principio repetendum: poterit aliis modis intelligi, cur saepius ullo alio codice optimis Petauiani et Ilfeldensis scripturis accedat, cur illius potissimum assensu fidae Arundeliani et Vossiani scripturae comprobentur, uelut 2, 327; 530; 590; 606; 3, 415; 576; 844, cur praeterea locis innumeris solus aut prope solus probabilem scripturam exhibeat, ut 2, 63; 195; 645; 672; 676; 3, 115; 185; 636; 739; 815; 859: eo enim quo in hisce modo leui paucarum litterarum discrimine solent in hoc libro ueriora inueniri. Cum codice Moretano secundo consentire saepe memini.

6. Codex Bauaricus secundus notatur *E*. Eundem eius usum impetraui, quem prioris. Indicatum accepi: *cod. bibliothecae olim electoralis Monacensis n.* 594 *foliorum nonaginta sex in oct. saec. XII.* Formae est oblongae, scriptus minuta manu additis glossematis et uariis scripturis a longe posterioribus. Diphthongus *ae* nunquam aliter quam simplici *e* extat, *s* plerumque sed non semper procerum est. Litteras paragogicas formae capitalis ad explendam lineam dextrorsum haud memini me alibi atque in hoc libro inuenire. Bibliopegus sex folia quae ponenda fuerunt post fol. 18 inseruit post fol. 26 et post fol. 40 perperam fol. 41—49. Ante me contulerunt uir doctus Batauus, fortasse Franciscus Burmannus, in ed. Heins. 1652, sed negligenter, et Xauer. Werferus uir olim ingeniosissimus qui, quod ex eius collectionibus a uiro illustrissimo Frid. Thierschio mihi permissis intellexi, insigni studio Ouidii editionem parauerat qualem hodie decet. Hic testatus est librum uideri saeculi duodecimi aut etiam undecimi et habere singularia et praestantia multa. Nihil decedit huic laudi inter codicum meorum multitudinem. Sed tamen incipit ab hoc ordo librorum secundariorum, qui neque originem peculiarem, neque aut in orthographia aut in scripturis tantam curam praeferunt, ut perpetuo in discrimen ueniant: mittuntur in suffragium ubi superiores rem destituunt, uelut 3, 206. Caeterum sciens nullam uel leuissimam scripturam reticui, uti nec in multo peioribus: poteris ipse arbitrari, num recte iudicauerim codicem eiusdem originis esse cum Petauiano primo, sed magis corruptum ab indoctis librariis, qui inprimis orthographiam ad suam ineruditam consuetudinem deflexerunt. Hic est, qui plerumque scriptum habeat *dampnum*, *sompnus*, *hyemps*, *ammonitus*, *perhennis*, *honus*, *tollerare*; rarissime ita, ut 6, 172 ad iusto subtiliora ascendit: habet sane et uera multa, ut *quotiens*, *bimenstris*, *mille*,

milia, *coniunx*, scilicet quae non modo in superioribus, sed in omnibus libris ueteribus obseruantur. Cum Mallersdorfiano, quamquam non semper, consentit in discrimine *timporum*, quae sint in capite, et *temporum*, 1, 412; 2, 26; 2, 110, quod item constat uetustum esse librariorum aut grammaticorum commentum.

7. Littera *F* signaui *codicem bibliothecae Pembrocianae Cantabrigiensis ante quingentos annos in minori forma scriptum* testimonio Heinsii, qui contulit satis, ut uidetur, accurate. In annotatione edita ad 1, 393 et in schedis ineditis aliquoties eum nuncupauit Oxoniensem, nescio quo iure. Neque enim de hoc libro plura comperire potui. Familiae est Petauianae, Monacensi secundo emendatior, saepe utilitatis egregiae, non raro ita ut 2, 595 receptae scripturae unicus auctor.

8. Liber *Gottingensis* littera *G* indicatus olim fuit Erfurtanus. Indicium eius debeo Schneidewino uir. dss. in *Gött. g. Anz.* 1838 n. 100, ubi describitur liber et saeculo duodecimo non recentior appellatur: Heinsius in ep. ad Gron. p. 377 a. 1653 *sexcentorum annorum nec tamen magnae rei quantum prima fronte appareat* scripsit. Inest lacuna a lib. 1, 511 ad init. lib. 2. Pleraque sane habet aliunde ex codicibus Petauianae originis iam nota: semel aut bis luculentas solum scripturas seruare memini. Non tamen poenitet collatum accurate habuisse a W. Muellero et partim Ernesto ab Leutsch u. dss., quibus pro officio et amicitia gratias maximas ago. Aliquot h. e. duobus uel tribus locis uisa sunt tria de hoc libro testimonia discrepare, aut de scriptura alioquin dubitaui. Satis habui haec indicare, prout etiam feci non nunquam in libris a me ipso collatis. Causa nulla erat id dissimulandi ubi pro uirili parte operam datam esse maleuoli irridebunt fortasse, sed non negabunt.

9. Venio nunc ad libros saeculi tertii decimi in quibus quicquid diuersae originis explorari potuit de superioribus, adeo commistum et conturbatum est, suspicio de interpolatione adeo saepe inualescit, ut de unoquouis certum iudicium ferri posse uix existimem. Vix memini ullius solo testimonio locos difficiles expediri, quamquam id fieri potuisse aut fieri posse per coniecturas probabiles minime negauerim. Leuioribus in discriminibus saepissime idoneam scripturam in mediocribus libris extare necesse erat, cum si unus liber praestantior delinquere potuit, potuerint omnes qui restant, non debuerint omnes qui interciderunt. Non sunt propter uiles ratiunculas deserendi libri antiquiores, sed neque prae desperatione aut fastidio spernendi deteriores, certe in Ouidio. In aliis poetis aut scriptoribus fateor interdum constare uno fonte pleraque

exemplaria quae extant fluxisse: in hoc carmine non facile unum huiusmodi par librorum inueni, quin admixtum noui quid sit. Locum de interpolatione saeculi tertii decimi infra seorsim pertractatum inuenies. Francofurtanus liber, quem littera Φ indicaui, ei, cui dixi, saeculo attribui solet, uide praef. ad trist. p. XXXI, n. 56. Collatum inueni a duobus, Heinsio et Matthiaeo; non spreui huius testimonium ubi discedit ab Heinsiano, sed innumeras scripturas ab altero notatas alterum omisisse intelliges quae omitti minime debebant; utriusque ubique iuxta auctoritatem posui.

10. Littera Γ significatur liber Guelferbytanus olim Gudianus saeculi XIII iudice Eberto, scriptura non admodum uenusta, compendiorum magna simplicitate, orthographia mirifica et Itala, interpolationis eiusmodi ut 2, 365; 433 multis argumentis. Inest lacuna a lib. 1 uers. 526 ad 2, 349, totus desinit in lib. 5 u. 709. Sub finem inde a uersu 673 praeter ea quae enotaui euanida omnia erant. Ipse Guelferbyto ante aliquot annos ad me missum contuli.

11. Inter collectanea Heinsiana duplicem nescio cuius codicis collationem librum primum complexam Burmannus ad u. 169 Kloekhofii excerpta appellat: notaui *K*. Aetatem ignoro.

12. Codex *Londinensis Patricii Iunii cum reliquis operibus*, uti designatur ab Heinsio, uidetur is esse, qui in epistolis eius et Gronouii p. 82 commemoratur. Scriptura exili et monachali traditur: quali memini codicem egregium tristium Gothanum saec. XIII esse. Itaque ad hoc Londinensem retulerim si liceat ex eorum, quae habet, utilitate et quasi sapore iudicare. Fallax fortasse iudicium, quod nemini obtrudo. Notatus est littera Δ.

13, 14, 15. Tres codices Balth. Moreti typographi olim Antwerpiensis, quos litteris *MNO* assignificaui, ita notauit Heinsius: *codex Moreti typographi in membr.: codex alter Moreti, in quo Ouidii pleraque: codex tertius Moreti membr. non integer.* Primus miscellio est et uersipellis, ut sunt plerique huius farinae, modo cum optimis stemmatis Petauiani conspirans 2, 794, modo ad Vossianum 3, 248, modo ad Arundelianum ib. 350 pronus: desunt in eo duo folia post 3, 275, ubi tamen miratus sum aliquoties eum laudari ab Heinsio, et post 4, 576. Codex *N* idem est, qui in tristibus membranaceus dicitur: medius est plerumque inter Mallersdorfianum et Gottingensem, sed saepe ab utroque discedit, nec ubique pessime. Liber *O* desinit in 6, 103: semel 2, 311 perbonam scripturam seruauit. Miratus sum quod scripturae eius multo pauciores notantur ab Heinsio quam reliquorum. Si fortasse tam male habitus fuit, ut legi non potuerit, et hoc nomine *non integer* appellatur, Heinsii mi-

nor culpa est quam mea, qui non dubitaui in primis praesertim libris illi scripturam editionis Elzeu. 1629, ad quam omnes suos codices contulit Heinsius, attribuere: posthac ubi suspicio subnata est phrontida? posui. De aetate omnium nihil praeter coniecturam sequor.

16, 17. Littera *P* intelligi uolui Puteaneum primum, qui ab Heinsio ita designatur: *codex Puteanaeus non ualde antiquus, qui tristia et libros ex Ponto habebat annexos, sed diuersa manu scriptos*, in catalogo bibl. reg. Parisiensis part. 3 tom. 4 n. 8239: *cod. membran. olim Puteanus fast. trist. Pont. saec. XIII.* Littera *Π* insigniui Puteaneum secundum, de quo Heinsius: *alter c. P. qui amoribus adiiciebatur, ante annos quadringentos scriptus*; membranaceus et eiusdem aetatis traditur in cat. Par. n. 8245. Desunt in hoc duo folia post 3, 383 et ib. 692, ubi tamen aliquoties perscriptum inueni in Heinsii schedis. Vterque uulgaris commatis et incertae stirpis liber est.

18. Signo *Ψ* Petauianum secundum intelliges, de quo Heinsius: *scriptus ante* 400 *annos, quem ego postea contuli.* Nam excerpta acceperat a Gronouio. Credo Heinsianam collationem, non Gronouianam me habuisse: huius enim tam copiosae, ut est, non solent esse. Melioris notae inter aequales suos est.

19. Nota *Δ* indicatur *codex Regius*, ut Heinsius reliquit, *qui omnia Ouidii opera continebat, eiusdem fere aetatis cum superioribus*, h. e. utroque Puteaneo, cuius aeui et membranaceus in catal. bibl. Parisiensis n. 7993 codex commemoratur.

20. Bernensem codicem *Σ* signatum contulit anno 1718 Hier. Stettlerus et magnam diligentiam quam adhibuerit testatus est, uid. praef. trist. p. XXVII: quae mihi interdum ineruditi hominis nec satis exercitatione aduersus oculorum digitorumque fraudes muniti uisa est. Differt in tali re, quis delinquat. Codex, quem *antiquissimum et optimum membranaceum* appellauit, sine dubio is est qui in catalogo Sinneri I, p. 543 n. 478 describitur et saec. XIII nuncupatur.

21. *Codex Thuaneus ante quadringentos annos scriptus* qui ab Heinsio dicitur et a me *T* notatur in catal. bibl. Paris. n. 7991 *membranaceus primum Iac. Aug. Thuani, postea Colbertinus* fuisse et eiusdem aeui dicitur. Memini aliquoties me detineri eius scripturis.

22. De codice *Z* signato, qui post *T* poni solet in annotatione, uidebis infra n. 39.

23. Venio ad sentinam eorum librorum, qui accurate collati sunt. Berolinensis is, quem *b* notaui, idem est qui praef. trist. p. XXXII describitur. Saeculo quinto decimo uetustiorem hodie non puto: scriptus ut uenderetur uidetur maxima saepe sensus incuria,

uelut 2, 859. Semel 3, 515 prope secutus sum eum in scriptura de qua ante hoc quinquennium coniecturam feceram.

24. In codice olim Ratisbonensi Sanctemmeramensi n. LX, Monachio quem accepi et *e* dixi, inter alios membranarum uetustiorum fasciculos folia 67 auers. ad 76 aduers. continebant particulas fastorum lib. 1, u. 1 ad 59 dimidiatum, lib. 5, u. 299 ad 734, quibus subscriptum: *finit liber quintus fastorum Ouidii Nasonis.* 1498 *secunda feria post festum Sti Emmerami,* postremo totum lib. 6 cum subscriptione: 1498 *dominica* 18 *post octauas penthecosten. Ipso die Calixti papae et martiris. Erasmus Dawn ex Trageyn Austriae non ignobili oppido oriundus.* In altero codice Sanctemmeram. n. LVII chartac. qui fol. 167—178 excerpta fastorum habebat descripta, ut puto, ex editione Balth. Azoguidii 1471, nihil inueni quod enotarem.

25. *Codex Fonteinii, in quo soli fasti* a Io. Schradero denotatur, quem *f* nuncupo. Neque de possessore, neque de aetate, neque membranaceus an chartaceus sit, mihi quicquam innotuit: collatus ab egregio illo critico solita diligentia est.

26. Codex Gallicus Mazarinianus Heinsii tempore *g* notatus is uidetur, qui in catal. bibl. Paris. n. 7992 membranaceus et saec. XV dicitur. Aliquando Heinsius oblitus fuit, qui esset: si id nunquam satis certo fortassis scierit, possit cogitari de cat. Paris. n. 8240 *chartaceo olim DD. de Bethune* eiusdem aetatis, cui libri primi initium deest. Quamquam perperam fortasse scripsi in *g* deesse primos 112 uersus. Heinsius *quaedam deesse usque* ad eum uersum reliquit et aliquoties eo spatio librum testem fecit, ut oblitteratae, quod saepe usu uenit, primae paginae fuisse uideantur. Sed a u. 2, 801—843 credo lacunam fuisse quae non annotatur.

27. Liber Heinsii ipsius chartaceus *h* signatus in quo deest folium post 2, 60 et aliquot inter 4, 796 et 5, 125 et post 5, 328 omnia, propemodum mihi uidetur ex primis impressis libris descriptus.

28. Littera *m* liber indigetatur de cuius habitu externo nihil inueni praeter quod ab Heinsio perscriptum est in hunc modum: *codex chartaceus Mazarinianus, ex optimo codice descriptus, sed ab imperita manu interpolatus, adeo quidem, ut probae ueteresque lectiones plurimis in locis erasae sint, ut ne uestigia quidem eorum appareant; erant etiam hiatus relicti alicubi.* De uirtutibus uitiisque libri sane memorabilis faciam infra sub n. 39 cognoscas.

29. De codice meo Parisiensi, *p*, ita testatus est Heinsius: *codex Strauianus notae bonae, sed recentior et sub initia artis ty-*

pographicae scriptus. Habet sane scripturas nonnullas eius modi, ut 3, 351.

30. Littera r codicem denotat qui nunc est bibliothecae regiae Berolinensis, olim fuit Petri et Hadriani Relandi, membranaceus formae octonariae, glossematis satis instructus, pretii quantum meminerim permediocris, saeculi ut existimo quarti decimi. In margine post 5, 266 hoc epigramma est: *Lucius est piscis rex et uastator aquarum. Vox haec discordat. luteus ille parum. Deuorat hic homines, hic piscibus insidiatur. Esurit hic semper, hic aliquando satur.* Post 6, 586 duo folia desunt.

31. Codicem chartaceum forma quaternaria quem s signaui a Petro Seruio medico Romano dono acceperat Heinsius. Desunt singula folia post 3, 285 et post 6, 225.

32. Codex Tolosanus, t, Bernardo Medonio, qui contulit, teste fuit Samuelis Petiti, postea Ranchini cuiusdam senatoris Tolosani, forma maxima, membranaceus, eleganter scriptus et continebat miro ordine has carminis partes: lib. 3 u. 762 ad lib. 4 u. 877 usque: lib. 2 u. 33 ad 532: librum sextum totum: lib. 5 u. 601 ad 726.

33. Accurate a me collata sunt etiam florilegium quod inscribitur Berolinense, Santenianum, de quo uide praef. trist. p. XL, non uetustum adeo atque olim putabam, sed minime aspernandum, et folia aliquot alterius eiusdem modi nescio ubi inuenta et in bibliothecam cui eximia cum humanitate praeest collata a Theophilo Friedlaendero amico suauissimo. Abhinc enumerabuntur codices quorum integra scripturae uarietas ad me non peruenit. Eorum longe plurimos ab Heinsio eadem cura qua superiores peruestigatos esse constat, sed perierunt iam pridem eius schedae Italicae et aliae quaedam, unde summam tantum conficere et in iis quae supersunt uoluminibus annotare est solitus: in locis difficilioribus plerumque ascriptum ab eo uideas: *uide uar. scr.* Verum tamen quae summatim ab Heinsio ex uberiore penu enotantur sunt pretii ingentis ac nunc primum innotescunt.

34. 1. Codicem membranaceum Coloniensem collegii Laurentiani Franciscus Modius nouant. lect. c. 63 in Gruteri lamp. p. 168—170 aliquoties ad partes uocauit, qui praestantissimus utique fuisse uidetur et 2, 394 atque alibi uera suppeditat. Frustra eum quaesiuit Heinsius anno 1673, uid. epp. ad Graeu. p. 150: frustra ego speraui Darmstadii fore, quo noueram recuperatos a Gallis olim quosdam thesauros Rhenanos delatos.

35. 2. Hoc numero indicaui quicquid a Carolo Neapoli diuersae scripturae traditur, qui nusquam accurate quot codices uide-

rit elocutus est. Modo enim unum nominat, qui aliunde tunc notus non fuit, ut 1, 454 ubi *in nostro* ait *iam infimae uetustatis*, 5, 329; 630, ubi: *in meo, qui uix legi potest, adeo tineis adrosus*, 691, modo duos, ut 4, 907; 5, 199, modo tres 1, 130; 4, 606, modo quatuor, 2, 508, plerumque incerto numero codices nuncupat, ac nescio an editiones saeculorum priorum illis accensuerit, quas *codices uulgatos* dixit 4, 713. Caeterum commentariorum huius uiri non utebar editione Puteani aut Palesii, sed Burmanniana, quae cum sit tota negligentissime adornata, non mirarer, si hic illic in errorem me illexerit.

3. Iani Dusae excerpta, si memini, nihil sunt aliud atque collatio altera codicis Puteanei, uid. supra n. 16. Id non animaduertisse uidetur Heinsius 2, 254; 274, 6, 332 ubi in schedis Puteaneum *et alium* notauit, qui est hic Dusae liber. Tamen fieri potuit, ut diuersorum codicum collationes in eodem exemplari more illius saeculi institutae fuerint, si forte longius discedant haec testimonia, quod iudicandum aliis relinquo.

36. 4. De Politiani excerptis res est satis difficilis. Hoc numero distinxi ea quae inde exscripta inueni in pugillaribus I. F. Gronouii, uid. praef. trist. p. XXXIII, ubi ita legebatur: *Ouidii amores, fasti et alia collata ab Ang. Politiano cum uet. cod. extant in bibl. Dominicanorum ad aedem diui Marci, unde haec excerpsimus*, et sub finem excerptorum haec ipsius Politiani: *Recognoui Ang. Politianus cum uetusto codice collatos fastorum libros anno* MCCCCLXXX *V Kl' Quinctilis Florentiae in diui Pauli. Eosdem anno* MCCCCLXXXIJ *publice enarrabam.* Hic *uetustus codex* qui dicitur dubium non est ex ipsis scripturis quin sit Vaticanus ille n. 39. 8, quod non ignorauit Heinsius, qui in epistolis ad Gronou. p. 176: *Nactus sum fastorum praestantissimum exemplar in Vaticana bibliotheca litteris Longobardicis scriptum, quo Politianus usus aliquando uidetur, sed — ut uberrimum mihi spicilegium reliquerit.* Atqui idem Heinsius 5, 621 discernit scripturas codicis Vrsiniani et quam in his Gronouii schedis inuenit; nec iniuria 5, 571 scripturam *hinc stanti* quae traditur Gronouio in schedis Politiani coniecturam dixisse uidetur. Dubium mihi non est, quin in libello illo Gronouiano scripturae codicum diuersorum, uelut 5, 725 Medicei tertii, emendationes Politiani ipsiusque Gronouii promiscue contineantur. Quare eadem cautione atque exemplar illud Perreianum elegiacorum usurpanda sunt quae nullo interposito meo iudicio sine discrimine uti repperi fideliter repraesentaui.

5. Ex iisdem Politiani excerptis post Gronouium alia ab hoc

praetermissa Heinsius enotasse uidetur, uid. 2, 396 (398 ed. Burm.) quae plerumque dixit codicis Politiani esse, semel etiam 3, 397 in schedis mstis *unum* codicem Politiani nuncupat, in annotatione impressa excerpta Politiani. Prorsus diuersa sub eodem nomine ab utroque prolata sunt 5, 355.

37. 6. Gottorpianus codex non raro ab Heinsio commemoratur: in schedis mstis ad 4, 412 *primus* Gottorpianus, fortasse calami errore. Nihil de eo mihi innotuit, nisi quod in uolumine Spanhemiano bibl. reg. Berol. mss. Spanh. n. 4 *catalogus bibliothecae Gottorpianae in Holsatia* extat, in quo *Ouidius* recensetur. Notabilis est interpolatione et cognatione cum Mediceo secundo.

38. 7. Hamburgensis eiusdem plane cum superiore notae est, ideoque inter praestantiores habitus ab Heinsio. Nihil de hoc quoque noui. In eodem uolumine Spanhemiano extabat catalogus bibliothecarum Hamburgensium, in quo frustra fui perlustrando. Memini me amicum delegare sciscitatum Hamburgi de libro: negabat doctos uiros bibliothecae publicae praefectos nouisse quicquam de eo.

39. 8. Codicem Fuluii Vrsini se usurpasse testatur Ciofanus in praef. comm. in fast. ad lectorem et Vaticanis omnibus antiquiorem dicit. Visus mihi aliquando is esse, cuius indicium inueniebam in schedis Spanhemianis Berol. n. 50 fol., ubi in indice librorum Fuluii Vrsini qui delati sunt in bibl. Vaticanam p. 26 n. 32 haec leguntur: *Ouidii fasti in perg. antichissimo in lrā longobard. coperto di cor. rosso. Fu del monasterio Cassinense.* Similem in modum ab Heinsio in annotatione impressa ad 1, 5 describitur codex, qui in schedis nunquam Vrsini, semper *primus*, *optimus Vaticanus* nuncupatur: semel in notis impressis ab Heinsio 3, 650 perperam hi distinguuntur, a Burmanno uero perpetuo. Ad antiquitatem libri pertinet quod saeculo XI in bibliotheca monasterii Cassinensis hic liber commemoratur apud Muratorium script. hist. It. 4, p. 473. Alioquin scriptura saeculi XI ipsa consueuit longobardica appellari, uid. Orell. ad Horatium alicubi. Sed codicem Vrsinianum Ciofani et quem ita appellat Heinsius esse eosdem propter solum nomen coniecceram. Quod discedunt 1, 315; 516; 591; 626; 2, 93 alibi, quod ad 2, 851 in schedis Heinsii annotatur: *Haec usque ad finem libri deerant in opt. Vatic.* Ciofano tacente, id non multum apud me ualebat. Nam interdum etiam conspirant ut 2, 284 (286 Burm.), alibi, et Itali hominis perexigua est auctoritas. Tamen ex eius annotatione 6, 213 coarguor erroris, cum primis duobus libris et tertio ante uersum 241 utrumque Vrsini librum nu-

mero 8 notaui ascriptis, ubi discrepabant, auctoribus. Numerus 33 ea in parte annotationis significat primum ex Vaticanis reliquis Heinsii uel Ciofani. Inde a 3, 241 ad finem numero 8 indicaui librum Vrsinianum Ciofani, numero 33 Vrsinianum Heinsii. Hinc incommodum nascitur hoc, quod sub iis numeris scriptura ab Heinsio tradita ubique examussim inuenietur, sed tamen sciri nisi inspecto Ciofani commentario non poterit, cum in parte priori 8 adest, num ea utriusque Vrsiniani sit scriptura, et cum in parte posteriori 33, num indicetur praeter Vrsinianum Heinsii simul primus Vaticanus Ciofani, quem tamen credo nusquam simul disertim commemorari. Facilis est labor beneuoli lectoris, qui Ciofani Sulmonensis commentariorum editione Plantiniana utetur, haec recognoscere: mihi ad manum nunc non sunt. Fateor malo omine me accedere ad quaestiunculam de interpolatione huius carminis, quae libro potissimum Vrsiniano continetur. Sed tamen *teneo te Africa!* Error ille meus natus fuit ex suspicione Heinsium scripturas quas in schedis *primi Vaticani* esse perscripsit falso tribuisse libro illi uetustissimo Cassinensi. Ignoscent magni uiri manes ueritatis audaci fortassis interdum, ut ipse fuit, candido tamen indagatori. Libri Cassinensis si ab Heinsio scripturae traduntur, estque is liber Petauiano aetate par aut superior, totum prope artis criticae in hoc carmine discrimen uersatur in expendendis his testimoniis, quae differunt tantum, quantum intelliges. Remota interpolationis suspicione aut sequendus est Vrsinianus aut Petauianus, et qui illum praeferet, ut opinor, non multum causae habebit, cur alterum ad partes uocet. Ego quod faciendum esse mihi putaui, rationem reddam. Videbam duplicem codicum antiquiorum esse originem, hinc Petauianum eiusque similes libros accurate quos noueram, illinc Ilfeldensem, Vrsinianum, Zulichemianum, Mazarinianum *m*, quorum primus qua parte superest, non difficillime conueniebat cum Petauiano, reliquorum neque dubia erat cognatio cum Ilfeldensi, neque discordia cum Petauiano. Zulichemianus liber, quem Z notare soleo, is est, de quo Heinsius in syll. epp. 3, p. 373: *Sed heus! inueni ibidem ante paucos dies fastos Ouidianos cum ueterrimo codice satis accurate collatos. Manum collatoris non cognosco, nec enim est Lipsii. Ipsum codicem indignis modis fuisse interpolatum fidem facit collator, qui passim monet suo loco ueterem lectionem fuisse abrasam, non tamen id tam pertinaciter, ut non multae lectiones optimae supersint; quas tamen potissima ex parte iam occupaui, quantum primo aspectu apparuit.* Ipsum exemplar in quo collatio instituta fuit, domi Hugenii a Zuylichem docti astronomi Batani ab Heinsio inuentum, non uidi, nec, si uidissem, potuissem

certius quid de scripto libro indicare, quam de Vrsiniano cuius copiosam habui, non tamen integram collationem. Quod igitur saepenumero fit, ut cum assint non poenitenda subsidia, potuissent plura adesse, res eo usque promoueatur quo potest, id sine dubio praestiti. Nihil est, quin, quantum potuerim, ad codicum idoneorum et accurate excussorum fidem reuocauerim. Hi sicubi me destituebant, nolui eorum uitia reddere, circumspexi aut minoris rei libros, aut minus perspectos, uelut apud Propertium Groningano libro succedunt excerpta Perreii. Atqui, audio dicentem, liber Vrsinianus poterat Romae denuo conferri, ne esset incognitior. Fateor me non quaesiuisse, num supersit in scriniis Vaticanis. Sed satis mihi est quaestionem commouisse ingeniosorum uirorum contentione dignam, in qua credo nonnihil etiam citra Alpes diiudicari posse, uixque ad id plura requiri, quam quae nota per Heinsium sunt de codice Vrsiniano. Interpolatum esse audacissime censeo, eiusque artificii uetustissimum, quod usquam sit, esse exemplum. Lib. 1, 153 pro: *Et modo formatis operitur frondibus arbor* apud eum et Mazarin. extat: *amicitur uitibus arbor*. *Formari uites* non legi alibi et palmes superiori uersu fuit: certe siue falsum sine uerum est quod Vrs. habet, minus esse simplex scriptura Petau. obseruandum est. Ib. u. 315, qui ita corrupit distichon pulchrum et facile intellectu in hunc modum: *Institerint nonae: nisi sit tibi nubilus aer*

Signa dabunt imbres exoriente lyra

abusus est non uiolentissimum in modum, sed data opera scripturis codicis Petauiani, quas uide. Ridiculum foret putare ex hac scriptura quae uerbis tenus intelligi potest oriri potuisse Petauianam. Simile est 1, 381. Solus Petauianus (cf. tamen supra p. CCLXXV) simplicissimam et praestantissimam scripturam habet:

Pascit ouis prato: uerbenas improba carpsit,

cuius rationem grammaticam supra aliquando defendi. At Vrsinianus cum sui similibus:

Poscit ouem fatum caet.

nefaria dexteritate, abusus reliquis scripturae discriminibus, quae uide. Ib. u. 393 *racemiferi* est ex aliis poetae locis. Ib. u. 454 quis quaeso pro *Inachi lauta* scribere potuit, ut est in Vrs., *Inachi bacca*, quod clarius habet Mazar. *uacca*, nisi scelestus interpolator? ecquid similius Puccianis et Pontanianis uenustatibus inueniri poterit in cascis membranis? Lib. 2, 410 uolo perpendi num tres illi coniuratores Vrs. Zulich. Maz. fidem mereantur in scriptura mirifica *Rumina ficus*, quam cur necesse non sit recipere, memini me docere. Ib. u. 647 speciosum est in Vrs. *inuitat cortice flammas*, pro uul-

gari *irritat*, sed suspectum quippe non necessarium: u. 753 perspeciosum in Vrs. et Maz. *intentaque fila remittit* nec facile glossema uulgati *incoeptaque*, uti nec proxime 755 in Vrs. *lacrimae cecidere pudicae* pro *decuere pudicae*. Lib. 3, 245 Vrs. et Maz. scripturam nihil aliud aio esse quam structurae subleuationem ex Varronis loco de l. l. 5, 49 non ita intellecto, uti secundum Fest. p. 348, 30 dext. sqq. intelligendus est. Ib. u. 423 Heinsium per errorem credo coniecturam Politiani eiusmodi ut 4, 511 pro scriptura Vrsiniani notasse, uid. supra p. CLXXV, sed tamen causam suam hic error habuit, quam intelligis. Ib. u. 726 *Vitisator* immanis est audaciae iuterpolatio in Vrs. Zul. Maz. Ib. u. 766 *amans* quod in solis Vrs. Zul. Maz. et eorum similibus extat ideo non recepi. Lib. 4, 20 non difficile est arbitrium, utrum *quod tuearis* a negligenti sit librario, an *quo tenearis* in Vrs. Zul. Maz. ab interpolatore. Ib. u. 141 inter scripturas *siccabat sudantes rore capillos*, quam typotheta suppressit, et in Vrs. Maz. *sicc. rorantes nuda capillos* non differt casu, sed consilio: ratio est, ut paulo insolentior prior probetur; nam *rorantes capilli* unde esse possint docet Heinsii annotatio, *sudare* pro *rorando* est apud Virg. Aen. 2, 582: *Dardanium totiens sudarit sanguine littus*. Ib. 440 profecto non uideo cur *ros* concedere debeat *casiae*, cum sit apud Virgilium ge. 2, 213: *apibus casias roremque ministrat*, ac putarem pro glossemate ascriptum fuisse eum uersum, nisi Vrsinianus esset. Ib. 709 mediocris mea coniectura codice Ilfeldensi subfulta praestabit ieiunae et elumbi Vrsinianae scripturae. Eodem modo u. 807 si potior habenda est scriptura *Ipse locus causas uati facit*, cur abest ab Ilfeldensi, qui eiusdem cum Vrsiniano originis est? a quo et Petauiano recedendi causa nulla est: *locus* dictus est ita, ut 2, 859; in scriptura interpolata cupio doceri quis hic sit *locus* qui causas faciat. Paulo post u. 823 pro *plenaeque imponitur ora* in Vrs. est *plenae imponuntur arenae*: mera mutandi prurigine, ut opinor. In eodem hoc Vrsiniano codice et quibusdam eo nocentioribus lib. 6 post u. 270 inseruntur tria disticha ab Aldo et Heinsio pro totidem gemmulis habita, quibus facile carere possumus. Primum enim iis permoleste quod uersibus 273, 274 abunde inest diuaricatur non sine inepta in ipsis eiusdem rei ruminatione. Deinde accurate expressi sunt ad Lactantium 3, 24: *uolubilitate ipsa mundi ad ortum referri —. Hanc igitur caeli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa: quod si ita esset terram ipsam globo similem: neque enim fieri posset, ut non esset rotundum, quod rotundo inclusum teneretur*. Iure optimo mihi uideor fecisse quod feci: qui id deplorabunt plorare iubeo. Eius-

dem libri sexti n. 303 nihil, ut puto, culpari potest in scriptura fidorum librorum, ut transeundum sit ad uulgarem Vrsinianam. Postremo idem hic liber testibus Politiano in schedis et Heinsio in annotatione impressa elegans initium libri septimi fastorum tradit. Qui cum eo saepissime consentiunt, Zulichemianus et Mazarinianus, non satis certus sum, utrum post interpolationem illam longobardicam denuo sint interpolati, an cum illo, cuius omissa sit auctoritas, conspirent. Vtrumque enim fieri potuit. Lib. 2, 110 *Threicius olor*, ib. 274 *Cyllene*, ib. 499 *nubes crepuere*, ib. 725 *dum nos difficilis*, 4, 83 *Ergo ego tam longe* multaque alia utroque in libro plane sunt consimilia superioribus illis Vrsiniani et eorundem scripturis *Rumina*, *Vitisator*, *quo tenearis*. Mazarinianus tamen a Zulichemiano, qui et ipse ibidem interpolatus est, desciuit ad Arundeliani et Vossiani sectam 1, 474 *dabat uero carmina plena*, 2, 470: *pro quo nunc dignum*, ad alios 1, 395 *gelidi lycaei*, et aliquoties 3, 686; 5, 309 ad alteram factionem Italicam, de qua infra dicetur, quod in tam recenti libro non est admirandum. Verum ueteratores illos Vrsinianum et Zulichemianum maxima cum cautione fuisse usurpandos satis reor me ostendisse, quamquam spopônderim praeter locos memoriter a me prolatos alteros totidem inuentum iri in annotatione: utile putaui calidioribus harum rerum aestimatoribus aliquid quod agerent relinqui. Sed eosdem libros nonne secutus sum, Vrsinianum 4, 295, Zulichemianum 2, 739; 5, 77 et similibus utrumque alibi in discriminibus? Fateor, et ipsum adeo Mazarinianum 2, 229 ac semel bisue praeterea. Et, fateor, nimis fortassis suspiciosus fui in eorundem scripturis 2, 592 *uestrae prima*, quae fortasse fuit in Ilfeldensi, 3, 294 *erudit*, 5, 25 *hos est dea censa parentes*, 6, 66 *signa doloris*, 6, 142 *Naenia Marsa*. Scilicet, ut supra dixi, nulla est dubitatio, quin Vrsinianus sit peruetustus et quin omnes ex egregia origine sint repetendi. Conspirat ille non semel cum Petauiano, uelut in eiiciendo inepto disticho quod apud Burmannum est 2, 203, 204: consentiunt omnes cum Ilfeldensi saepenumero. Est deinde exploratissimum codices, quos maxime amaui, Petauianum et Mallersdorfianum et fidissimum quemque saepissime esse mendosos. Graue est exemplum 6, 178, quem uersum qui integrum putabit, suadeo, ne criticam affectet: coniectura nostra ex uersiculo Martialis et Plinii loco conflata concedet lubentissime meliori, interim sese tuebitur. Ergo cum primum Vrsinianus integer collatus fuerit, de scripturis plurimis, quorum minus suspecta fides erit, ingens orietur disceptatio. Verum hoc est, cur aequo animo caruerim hoc libro. Nondum ita confirmata est in Germania ratio sanior critica, ut ae-

quata utrinque auctoritatis lance solius ingenii ope et arbitrio res administrari possit, quin uulgus illud eruditorum continuo animum sibi sumat, quod auctoritates perpendere plane nondum didicit. Si Lachmannus, si Ritschelius, incomparabiles uiri, quos honoris causa nomino, si paucissimi praeter illos tali quaestioni sufficiunt postquam legibus et exemplis disciplinam munierunt: ego ad id nondum ualeo, nec in media fraude uerum satis confidenter enucleare potuissem: satis est si libros a fraude alienos recte dignoui. Vtique hi paulo nec multo sunt posteriores adulteratis: facile ergo praeter uitia illic dissimulata alia continebant communibus recentiora, ubi uerum extare potuit in interpolatis libris. Sed huic consolationi nunquam licentius indulsi, immo restiti fortassis obstinatius, uti dixi. Atque hactenus de hoc interpolationis genere quod certa codicum familia continetur. Aliud est uagum et inconstans quod per omnia saecula inde a duodecimo librosque diuersissimos errat, cuius non erit inutile exempla nonnulla posuisse ex libris accurate notis. Lib. 1, u. 422 pro uulgato *uicta sopore locis* Francof. habet *semisepulta locis*, u. 473 pro *animo conceperat ignes* idem *concepit mente furores* et u. 478 pro *Parrhasiumque larem* idem *parrasiumque nemus*: periculum ingenii fecit librarius. Lib. 2, u. 88 extat in sec. Putean. *Et stetit infestae proxima cerua leae*, quia displicuit uulgatum *stetit in saxo*, quod facile se tuetur exemplo Sophoclis fragm. 110: *νομὰς δέ τις κεροῦσσ' ἀπ' ὀρθίων πάγων καθεῖρπεν ἔλαφος*, et si opus est Theocriti apud Stob. serm. 2, p. 66 Schow.: *ἐν μὲν τοῖς ὄρεσιν ἄρκτοι καὶ λέοντες*, uel Lactant. 7, 24. Lib. 2, 636 pro simplicissima scriptura *Dicite suffuso ter bona uerba mero* in Thuaneo pueriliter *Dicite fundentes in sacra uerba merum*. Ib. u. 721 in primo Puteaneo *contendere pugna* pro *committere pugnam*. Lib. 3, 69 Berol. *quae paruis parua fuerunt* pro *quae quamuis*. Simili elegantia codex nullius rei Gallicus 2, 403 et 3, 841 *Vagierant clamore pari* et *sine munere patris*. Lib. 4, uersus 47 totus refictus aliter est in Moretanis duobus, u. 440 *parsque rosas* pro *pars rorem* interpolatio dici poterit in Gotting., ut u. 447 *io comitesque parensque* pro *io carissima mater* supra lineam Moret. sec. Ib. 695 inter uarios librariorum conatus scripturae codicis Francof. particulas iam saeculo duodecimo inueniri uides, quae conficta est ex loco rem. amor. u. 192 huc adhibito: *Et tonsam raro pectine uerrit humum*: pro *humo* ponenda fuit *terra*. Lib. 5, 301 in Londinensi mutatum est non absurde in sententiae generalis formam: *Saepe Iouem dicunt* caet. Ib. u. 535 *Oarion* codicis Thuanei aliorumque est ex Catullo. Ib. u. 667 alterum hemistichium corrupit Thuaneus: *Pulsa laete lyra*

in altero Francof. *nudam* maunlt palaestram quam *nitidam*. Lib. 6, 23 *caelestia sacra* pro *numen caeleste* habuit codex cum Puteaneo secundo collatus, et u. 349 pro *quae sit fortuna malorum* notauit scripturam librarius Francof. *quo sit romana loco res*. Talia non foret mirum tentata esse quouis tempore aut a librariis, aut ab eruditis lectoribus: quamquam non memini inueniri in Petauiano et utroque Monacensi. Id genus interpolationis nunquam non fuit notum. Hoc igitur seposito restat unum uaferrimum et artificiosum a suprà indicatis diuersum, sed nihilo rectius quam illa usque adhuc animaduersum, de quo mox pergam.

40. 9. Achillis Statii librum collatum ab Hercule Ciofano non memini ulla re esse insignem, estque dimidiati tantum carminis.

41, 42. 10, 11. Codices Medicei duo: accedit tertius, quem 48 signaui. Laurentianae bibliothecae septem fastorum codices apud Bandinum cat. codd. lat. b. l. t. 2, p. 227, p. 235—236 plut. XXXVI, cod. I, XX—XXV accurate describuntur, quos ipse Heinsius a se collatos in calce notauit. Quatuor sunt saec. XV, duo saec. XIV, nn. XX et XXII, unus, n. XXIV, saec. XIII ineuntis. Hos potissimum laudari existimo.

43. 12. Codex Pomponii Laeti qui constanter in schedis Heinsii appellatur, in annotatione impressa uidetur Farnesianus dici, uide annotata a me 1, 393: quaeritur num etiam 2, 770 intersit Farnesianis, quos cum Zulichemiano ex editis Heinsii commentariis subduxi de numero *sedecim* codicum in schedis non nominatorum. Caeterum collatio tantumnon integra superesse uidetur huius codicis et qui fere ubique cum eo consentit Ambrosiani primi, 20, quem uetustiorem esse colligo ex 2, 597. Neutrius magnum senium cognoscitur ex eo, quod Heinsius 5, 521 utriusque manum imitatus in *mensae* litteram *e* cum uirgula pro diphthongo scripsit. Tamen ab eodem Laeti codex 2, 807 (809) *optimus* dicitur et de Ambrosiano hoc, ut puto, in epist. ad Gronou. p. 197 ita scribitur: *In Ambrosiana bibliotheca — duos fastorum libros iam euolui, quorum altero uix uidi meliorem, si duos tresue excipias, ut dolendum sit integrum non esse. Possessorem habuit magnum illum Vincentium Pinellum, cuius libri omnes ex naufragio reliqui a cardinali Borromeo redemti sunt.* Hi duo libri cum secundo Mediceo adeo sunt subdole et eleganter interpolati ut fidem ne tum quidem mereantur cum probabiles scripturas habent, uelut in 12 20 est 6, 432 *aditis* et in 11 cum Vrs. 1, 6 *En tibi*, h. e. *In tibi*. Caeterum non in scripturis ipsis consentiunt, sed in artificii genere. Hoc aestimabis ex eo, quod impudenter mutatum in Mediceo est 1, 44: *apposuitque*, uide supra

p. LXXIX; 1, 440 *Hellespontiaco mari*; 2, 587 *Latium quoteunque tenebas* cf. 6, 77 *Romane dedistis*; 2, 719 *Interea cingi* infinitiuo historico; 3, 65 *pater agnitus*. Consimilia sunt in Pomponiano et Mediolanensi 1, 310 *ad stata signa*; 2, 597 *sed tamen illi*, quod inde ortum est, quod nominis illius librarii unam tantum syllabam fecerant; 2, 652 *caetera turba*, leuius quidem, sed proprium his codicibus; 2, 722 *Conditus in castris otia miles habet*, 2, 745 *audire soletis* sunt Pomponiani et unius Farnesiani; 3, 230 *Oebalides* ornatior forma, ib. 253 *flores*, *tenero de flore coronas Nectite de ten.* totius distichi refictio audacissima nullius praeter 12 20; 3, 686 Ambros. facit cum Mazariniano, 4, 141 cum eodem Pomponianus; 4, 778 *Dic ter et* quam *Dic quater* maluerunt 12 20; 5, 309; 5, 472, non inuenusto inuento; 5, 668; 6, 112; 6, 529: his omnibus in locis eandem inuenies libidinem, quanto tectiorem, tanto damnosiorem. Quatuor habes modos interpolationis minime, ut opinor, infitiandos, qui adeo sunt memorabiles ut de doctis uiris saeculi XV quaeri uix sit necesse: quamquam aliquot Politiani conatus commemoraui. Sed intelligis, quo reciderit illa quaestio, cui absoluendae olim, cum tristia ederem, deerant idonei membranacei testes: scilicet longe alio atque expectandum et optandum fuit.

44. 13. *Naugerii* codex uel codices commemorantur in annotatione editionis Aldinae tertiae 1534, quam ipse non uidi. Est ubi eodem numero a me indicatur scriptura ibidem sine codicis indicio prodita et ab Heinsio in schedis consignata, cum dubium non uisum est quin ex codice esset: 2, 152 id non feci in scriptura *relinquit*.

45. 14. Caroli Strozzae codex ab Heinsio collatus is esse uidetur, qui describitur apud Bandinum bibl. Leop. Strozzian. t. 2, p. 505 cod. XXIV et saec. XIII dicitur.

46. 15. Librum Matthaei Herculani nescio unde Heinsius habuerit.

47. 16. codex *Gaddii*, Florentini nisi fallor, rarissime commemoratur.

48. 17. Helmaestadiensis Suecus ab Heinsio ad 6, 229 *recens quidem, sed notae haud protritae* appellatus et studiose usurpatus est.

Numerum 18 indideram Palatino libro, qui perperam a Burmanno 1, 2 et alibi nuncupatur pro excerptis Politiani. Talibus erroribus scatent eius commentarii. Longum foret omnia recognoscere. Satis sum certus nihil Heinsii schedarum aliorumue auxiliorum criticorum illum habuisse praeter ea, unde maximam copiarum mearum partem unius alteriusue anni labore collectam di-

gessi. Moneo igitur, ne ubi illius testimonium de codicibus aut integris collatis aut passim inspectis discrepat a meo, culpa in me conferatur. Quantum assuetudo et innocua quaedam in hoc genere ambitio efficere possunt, tantum ab errore caui; et typographi ea fuit accuratio, ut uerbis Varronianis de l. l. 8, 51 supersedere potuerim. At uide leuitatem Petri Burmanni. In altero Heinsii exemplari littera *A* indicabat codicem Arundelianum, in altero Puteaneum primum: inde ii libri permutantur 1, 73; 2, 691; 4, 409, 587; 5, 558. Adeo 5, 497 unam eam litteram de utroque codice interpretatus est, quemadmodum in exemplari quod curas eius secundas continere uidetur, uid. praef. trist. p. xiv, 2, 143 ad *Mazarin.* ascripserat *et Petau.*; uterque enim in diuersis uoluminibus *G* notabatur, ideoque confusi 6, 237 sunt. Ita 2, 119 Cantabr. et Put. sec. quia uterque *B*, 2, 554 et 5, 546 Sarrau. et Mazar. sec., quia insigniuntur *E*, sunt confusi: Petau. et Patau. 1, 444; 4, 405: Putean. et Patau. 1, 368. Alias hominis ineptias facile deprehendes 2, 465 ed. eius et proxime u. 466, ubi aduersari audet Heinsio de cod. Mazar., tum 2, 657 ed. meae in cod. Sarrau. 2, 335 sq. et 5, 148 in iisdem scripturis bis positis. Missis id genus locis, ut 1, 103. 439; 4, 598; 5, 175, nolo illi credas de Mediceo 1, 51, de Politianeo 1, 65, de Kloekhofiano 1, 504, de Dusiano 2, 592, de Petauiano 3, 404, de Londinensi 3, 431, de Francof. 4, 779, de Mazar. 6, 55, de Bernensi 6, 426. De his enim si ego peccassem, nunc faterer: re cognoui ad autographa. Deliquit aliquoties etiam Heinsius, cuius annotationes in editione Burmanniana imperite auctae insunt: quare de hac re nemo sine Elzeuirianis uoluminibus iudicare poterit. Qui cum illis nostra contulerit, inueniet, quid in annotatione edita ex schedis correxerim: quid ex illa assumpserim in his non inuentum, quod plerumque, non semper indicaui, non poterit deprehendi: sed neque multum est, neque temere a me administratum.

49. 19. codex Bullialdi raro commemoratur.

50, 51. 20, 21. Ambrosiani duo, de quibus Montfauc. bibl. bibl. 1, p. 521 A, Heinsius in ep. ad Gronou. p. 199. Vide de priore supra n. 43; alter non est magnae rei.

52—55. 22—25. Farnesiani quatuor commemorantur 1, 329: *optimus* eorum 3, 191 in ann. ed. Heins., *duo meliores* 6, 15, *primus et tertius* 6, 437 in schedis, *unus non magnae fidei* 2, 67 in ann. impr.

56, 57. 26, 27. Bononienses duo saepe nominantur. Credo eos esse, quos indicatos inuenio in schedis Spanhemianis n. 4 bibliothecae canon. reg. S. Saluatoris Bononiae.

58, 59. 28, 29. Patauini duo, quibus accedit tertius, quem 49 feci. Horum *unus optimae notae, ex optimis, ex melioribus* nuncupatur 2, 254; 645; 780: alius *Hectoris Treuisani* fuisse dicitur 1, 336. In catalogo bibl. Pat. Tomasini 1639 Ouidii fastorum codices recensentur bibliothecae ordinis Eremitanorum p. 76 a, bibliothecae St. Ioannis in uiridario p. 40 b. A Spanhemio Ouidii codices notatos uideo bibl. Patauinae cathedralis, bibl. St. Antonii et in museo Laurentii Pignorii. Idem Nicolai Treuisani museum consignauerat, sed Mantuae.

60—71. Herc. Ciofanus codicibus se usum praeter 8 et 9 testatur uno ex bibl. Maffeorum, 30; uno fratris Antonii Ciofani, 31; Vaticanis octo, quorum optimus, 32 Angeli Colotii fuisse dicitur ad 4, 467: hic uidetur innui a Ciofano 2, 199 et ab Heinsio 2, 749, quamobrem utrobique pro 33 uellem posuisse 32. Dubium enim non est, quin et hunc et reliquos Ciofani Vaticanos 33—39, quorum duo desinunt in librum quintum, denuo contulerit Heinsius, uid. epp. ad Gron. p. 300. De numeri 33 usu quem feci uide supra ad 39. 8. Caeterum quoties *unus Vaticanus, unus Farnesianus* et similia apud Heinsium uel Ciofanum leguntur, scripsi plerumque numerum ab optimo eius nominis codice proximum: non igitur quae eodem huiuscemodi numero insigniuntur in eodem libro extitisse putabis.

72—75. 40—43. Inter schedas Heinsii fasciculus est collationum manu, ut puto, Isaaci Vossii. Notantur scripturae additis siglis *VN*, *VA*, *V*2. Has num recte putauerim duorum codicum aut discrepantium aut conspirantium reddiderimque primam notam 40, secundam 41, tertiam 4041, adhuc nescio. Sed ea excerpta transscripserat Heinsius et adiunxerat scripturas quasdam syllaba *Nes* notatas: has insigniui numero 42. De numero 43 supra ad 1 dictum est.

76. 44. *Codex Christiani Rumpfii membranaceus, in quo ipse quidem textus non continebatur, sed nuda tantum commentaria,* teste Heinsio. Cfr. epp. ad Voss. p. 559.

77. 45. In marginibus editionum Bersmanni quae annotantur hoc numero indicaui, nec tamen, si memini, omnia.

78. 46. unus Basileensis semel, quantum meminerim, 3, 588 commemoratur.

79. 47. Excerpta Scaligeri saepe usurpata sunt ab Heinsio utroque. Memini me librum uidere, in quo codicum scripturae an coniecturae annotatae sint, non constat.

48. 49. Vide supra ad 10 et 28.

80. 50. Hoc numero impertiui scripturas ex glossematis codicis Londinensis Iunii seorsum enotatas ab Heinsio. Atque hi sunt libri, quorum saepenumero non indicato nomine scripturae ponuntur. Ex innumeris locis didici quadraginta fere integros fuisse collatos, a quo numero subducendi ii erant, quorum nomina aliunde cognita habebam. Res fuit interdum difficillimae ratiocinationis, interdum prorsus incertae: praestiti scilicet quod potui.

81. Iacobus Gronouius aliquoties codicis msti scripturas perscripsit in exemplari quodam editionis Heinsianae, quem suo nomine appellaui.

82. Editos ueteres contuli Rubeanam Venetam 1475, Zarotti Mediolanensem 1477, Vicentinam 1480, Venetam 1484, Aldinam 1502, Mediolanensem cum commentariis Ant. Constantini et Pauli Marsi 1510, Aldinam 1516. Non multum bonae frugis inueni, itaque summatim ubi plures consentiunt *edd. uett.* laudaui, nec nisi paulo grauiora enucleatius posui.

Hic censeo subsistamus et a minutis curis, ab improbis iudicibus et compilatoribus, quorum proxime ante et retro turba se ostendit, auocatum animum erigamus non ad Batauorum priscorum memoriam, inter quos uixisse dicimur, non ad posteritatem, ad quam ualde optandum est ne quicquam nostri insuperatum transire sinant ingenia quae post Od. Muellerum et Rud. Klausenium, admirabiles uiros, antiquitates sacras Romanorum illustrant; sed ad magnorum criticorum huius aeui claritatem, quorum maximus est Godofredus Hermannus per decem annos tacita (ita enim decere putabam) ueneratione a me cultus: sed ad amicorum suauissimam coniunctionem, ad quos cum quid paulo probabilius inuenisse mihi uidebar orationem apud animum conuerti: Theodore Bergki et Friderice Haasi, uestro omine hic liber prodeat et uestri similes quaerat.

FASTORVM

LIBER PRIMVS.

Tempora cum causis latium digesta per annum
  Lapsaque sub terras ortaque signa canam.
Excipe pacato, Caesar Germanice, uoltu
  Hoc opus et timidae dirige nauis iter:
Officioque, leuem non auersatus honorem,
  Huic tibi deuoto numine dexter ades.
Sacra recognosces annalibus eruta priscis,
  Et quo sit merito quaeque notata dies.

INCIPIT LIBER OVIDII FASTORVM *B.* O. P. N. FASTORVM LIBER I INCIPIT *F.* P. OVIDII NAS. LIBER FASTORVM INCIPIT PRIMVS *Φ.* Incipit Ouidius Fastorum *GP.* PVBLII OVIDII (*add.* NASONIS *h*) FASTORVM LIBER PRIMVS INCIPIT *ph.* Publii Nasonis Ouidii fastorum opus incipit *g.* Ouidii fastorum liber primus incipit. de mense Ianuarii. *b.*

Vu. 1—70 *desunt D.* 1—112 *des. g.* V. 1. caussis *Φ*? lacium *EGΓfr.* dig. per orbem *Fb unus uel duo alii.* 2. Mersaque sub 5. Lapsa sub *e.* signa cano 13. 3. pac. uultu germanice caesar *f.* uultu *libri hoc loco.* 4. *Glossema* nauis] mentis *Eb.* 5. Officiique *Γ*8 *quatuordecim.* Offitiique *K.* breuem non 23. *Ita,* auersatus, *A.* non aduersatus *BCEFGΦ* („*prius* auuersatus' *Φ*) *ΓΛMOPΠΨΔΣTbfmr,s* „*plerique.*" non dedignatus 11 23 *duo*; *Φb uar. scr.* non aspernatus *unus*; *gloss. E.* auers. amicum *p ma. pr.* 6. Huic *in rasura A.* En tibi 6 8 11 13 15 23 29. Hem mihi deu. 14. deuoto munere *B* 6 8 11 13 24 29; *GΓ uar. scr.* dexter eris *Ψ.* 7. Festa recog. *unus.* recognoscas *Φ uar. scr.* annal. edita 40. annal. oblita *M uar. scr. Gloss.* eruta] extracta, uel secundum aliam lectionem . . . . .] deleta uel abolita *b.* eruta libris *Σ.* eruta primis *duo.* 8. quaeque sacrata dies *T.* quaeque notanda dies *K* 6 11 33. quaeque uocata 23.

Inuenies illic et festa domestica uobis:
  Saepe tibi pater est, saepe legendus auus.
Quaeque ferunt illi pictos signantia fastos,
  Tu quoque cum Druso praemia fratre feres.
Caesaris arma canant alii. nos Caesaris aras,
  Et quoscumque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
  Deque meo pauidos excute corde metus.
Da mihi te placidum, dederis in carmina uires:
  Ingenium uoltu statque caditque tuo.
Pagina iudicium docti subitura mouetur
  Principis, ut Clario missa legenda deo.
Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
  Ciuica pro trepidis cum tulit arma reis.
Scimus et ad nostras cum se tulit impetus artes,
  Ingenii currant flumina quanta tui.
Scilicet ut fas est, uates rege uatis habenas,
  Auspicio felix totus ut annus eat.

9. Inu. istic et *ΕΓ*. illic ut festa *Λ*. et sacra dom. *tres*. et signa *duo*. domestice *G ma. sec.* dom. nobis *Gb*. 11. ferunt alii pictos *duo*. illi festos sign. 68 11 16 28 *tres*. signancia *E*. pictos insignia fasces *b*. signantia fastus 81 116. 12. cum durso *r*. druso prima fratre *E, sed corr.* praemia ferre feres *Ψ*. praemia digna feres *b m ma. prim. quatuor*. 13. canunt *GMT*. allii n. c. aram *Γ*.
14. quoscunque *ed. Elz.* quoscumque dies add. ille sacris *b*. ille deos *p uar. scr.* 15. Adnue *Φ*? ire deorum *OT ma. pr.*
16. mea pau. exc. mente *M*. pau. erue corde *unus*. 17. dederisque in *CΛPΠΔfm* 41 „*multi alii*"; *EΦg ma. sec.* in carmine *BΓNΣ bes*; *P uar. scr.* in corpore *Tf alius*. 18. uultu *libri*. 19. subitura ueretur *quatuor*. 20. ut dario *b* 44. clarior missa *Φ ma. pr.* clar. musa leg. 33; *Φ uar. scr.* 21. enim docti fac. *unus*. fac. legimus oris *alius*. 22. trep. contulit arma suis *Λ*. 23. cum te tulit *r ma. sec.* impetus aures *duo*.
24. Imgenii *E*. Ing. narrant *K*. curant *Γ ma. pr.* flamina *f*. quanta sui *Π*. 25. *Ita E* 41 *et quinque*. Scilicet et fas *AFG ma. rec.* *ΛΔmr* 8 „*multi alii ex melioribus.*" Si licet ut *CMΠs quatuor*. Sic erit et fas 40. Si libet et fas 7. Si licet et fas *reliqui*; *EM uar. scr.* 26. *Ita quinquaginta quatuor Heinsii, Σ, nostri cum impressis saec. XV*; *Φ uar. scr.* Aspicito felix *F tres*; *C uar. scr.* Aspicito et felix *A duo*. Aspice te felix *unus*. Auxiliante felix 8. Auspice te letus totus *Φ*. Auspice te fel. *BPp* 30 40 41 *quidam* (‚*quinque*,' *perperam ap. Burm.*) *Ciofani, pauci Heinsii ex numero insignitis*. felix ut totus annus *f*. totus et annus *e*.

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
  Constituit menses quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis quam sidera, Romule, noras
  Curaque finitimos uincere maior erat.
Est tamen et ratio, Caesar, quae mouerit illum,
  Erroremque suum quo tueatur, habet.
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
  Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere coniugis uxor
  Sustinet in uidua tristia signa domo.
Haec igitur uidit trabeati cura Quirini
  Cum rudibus populis annua iura daret.
Martis erat primus mensis: Venerisque secundus.
  Haec generis princeps, ipsius ille pater.
Tertius a senibus. iuuenum de nomine quartus:
  Quae sequitur, numero turba notata fuit.
At Numa nec Ianum nec auitas praeterit umbras,
  Mensibus antiquis praeposuitque duos.
Ne tamen ignores uariorum iura dierum,
  Non habet officii lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria uerba silentur.

27. conditor orbis *K.* in annum *bh*8 *alius, impressi ueteres, quos dixi.* 28. esse suum *h alius, uett. impr.* esse suos 8. 29. sydera *G ma. rec.* romule nosti *bm ma. pr. quatuor; T uar. scr.*
31. Et tamen est ratio 40 41. Est etenim ratio *m.* quae mouerat *MNT.* quae nouerat *e.* 32. qua tueatur *C uar. scr.* tueatur habe 11. 34. esse sui *f.* 37. Hoc *gp ma. pr. nouem.*
38. iura dabat *MNe.* 39. Martis primus erat mens. *K* 33.
40. Haec princeps generis ipsius; ipse pater *Σ.* Haec gentis princ. *b.* princeps illius *Δb* 40; *p uar. scr.* princeps ipsius: ille *K.* ille fuit *T.* 41. Tercius *EGΓ.* nomine uuus *r.* 42. turba uocata *e.* notata suo est *f.* notata suo 28 29. 43. Ast *e.* 44. antiquis postposuitque *M uar. scr.* antiquis apposuitque 6 11 22 23. *Gloss.* 44: Ad honorem iani ianuarium apposuit. propter februa id est purgatoria quae fiunt ad honorem mortuorum februarium apposuit. antiquis addidit ille duos *e duo; B in margine manu recenti. Gloss. E:* Februarium tamen in fine posuit ut habetur in 2° libro. 45. Nec tamen *BFfr ma. pr. quinque.* uariarum *r.* iura deorum *ΔT.*
46. *Ita,* officii, *AFKΔPf* 3 10 *quatuor; C uar. scr.* officium *reliqui.*
47. nephastus *Σ. Gloss. b:* Tria genera causarum, demonstratorium, iudiciale et deliberatorium. tria uerba, accusantis, respondentis, iudicis. uel do, indico et dico. uel uerbum est trium litterarum.

Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Nec toto perstare die sua iura putaris:
Qui iam fastus erit, mane nefastus erat.
Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari
Verbaque honoratus libera praetor habet.
Est quoque, quo populum ius est includere septis.
Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.
Vendicat Ausonias Iunonis cura kalendas.
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret. Omnibus istis,
Ne fallare caue, proximus ater erit.
Omen ab euentu est. illis nam Roma diebus
Damna sub aduerso tristiâ Marte tulit.
Haec mihi dicta semel, totis haerentia fastis,
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum
Inque meo primus carmine Ianus adest.

48. quem iure licebit *A p ma. pr. quatuor.* 49. Ne *Γ.* Neu *M T p ma. sec.* 23. Nec tuto 44. toto praestare *Λ T e m octo.* die tua iura *T.* putares *B Π T* 40 41 *quatuor.* putetis *duo.* puteris *unus.* 50. Qui modo fastus *Γ.* factus *K.* fastus erat *b r ma. pr.* nefastus erit *b.* 51. Iam simul *Γ.* 52. Verbaque onoratus *r.* ornatus *T uar. scr.* prethor *G.* 53. populum fas est *Δ N duo.* pupl'm ius est concludere ceptis *Γ. Gl. C:* septis id est martio campo. 54. orbe uenit *Π ma. pr.* 41 *duo. Gloss. b:* ille dicitur ferialis quia nobiles ibant ad salutandum imperatorem.

55. *Ita,* Vend., *B C E G K* 40 41, *plurimi.* Vindicat *uulgares.* calendas *e.* 56. Id. illa ioui 23. agna ioui grand. alba *f.* grand. alba cadit *Ψ.* agna cadet 8 *quatuor.* 57. tutela caret deo *E, sed corr.* caret *deest r ma. pr.* 58. fallere *p uar. scr.* fallare dies proximus *B* 8 *nouem; Φ (teste Heinsio) P p uar. scr.* proximus alter erit *C.* 59. Nomen *F; s uar. scr.* est illud nam *K.* nam forte diebus *G, corr. ma. paulo rec.* 60. Dampna *E G Σ b f.* sub auerso *A Φ ma. pr. Π Δ* 42 *quatuor.* sub immenso trist. 40. adu. grandia damna 33. Marte sub a. tr. damna (dampna) *Σ b h* 42 *uett. impr.* 61. Haec tibi dicta *E Λ s; C T uar. scr., gloss. b et aliquot.* Haec te dicta *N.* herencia *E.* 62. scinctere *E.* condere 8. scandere 34. fundere 33 44. findere 11. cogar eunt *K.*

63. Ecce mibi *unius.* fastum *E ma. pr. corr. K Σ septem.* nunciat *E G.* 64. meo primum *A E F Φ ma. prim. (teste Heinsio) M N O P Ψ Δ T b h r s et uiginti fere cum uett. impr.* ianus erit *b f sex.*

Iane biceps, anni tacite labentis origo,
  Solus de superis qui tua terga uides,
Dexter ades ducibus, quorum secura labore
  Otia terra ferax, otia pontus habet:
Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini
  Et resera nutu candida templa tuo.
Prospera lux oritur. linguis animisque fauete:
  Nunc dicenda bono sunt bona uerba die.
Lite uacent aures, insanaque protinus absint
  Iurgia. differ opus, liuida turba, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus aether,
  Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum uerberat aurum,
  Et tremulum summa spargit in aede iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces
  Et populus festo concolor ipse suo est.
Iamque noui praeeunt fasces, noua purpura fulgot,
  Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

65. Iane bifrons anni *E ma. pr. Π quatuor*; *Ch uar. scr.*, *gloss. in gh.* labentis imago *B ma. pr.* 67. adest duc. *K.* quorum secreta 40. 68. Ocia *E G.* Otia terga *K.* terra ferox *f.* otia tempus *C uar. scr.* pontus agit *T p ma. pr.* 40 *quatuor.* 69. ades ducibusque tuis *Ψ* 30 *alius*; *g uar. scr.* populoque quirino 27.
70. resera uultu *unus.* 71. Postera 8 *alius.* Proxima *B C* 7. linguisque animisque *B* 8 *tres.* 72. Haec dicenda 40 41. Nam dic. *Ψ.* discenda *flor. Ber. Ita*, bono, *D E F G* (*teste M.*) *K Λ g h m septemdecim et uett. impr.* bona *G* (*teste L.*), *reliqui.* 73. uacent omnes *P* 3. aures uesanaque *Λ.* protenus *C et aliquot Heins.* ins. longius abs. 33. *Gloss. D:* protinus, porro tenus ualde longe uel nunc statim. 74. difer *r.* opus inuida turba 40. liuida lingua *B C* 8 *decem. Gloss. b:* turba] feneratorum. 75. Cern. adoratis *m.* ignibus aer *Σ b.* 76. Personet accens. *P uar. scr.* accensis spina *f. Ita*, cilissa, *A r* 44, *alii*, *ut uidetur*; *B Ch uar. scr.* phalisca *E in rasura.* cilisca *G M N Δ T b.* cylisca *Δ h.* calisca *K*; *P uar. scr.* silisca *D uar. scr.* scilisca *gloss. Λ.* falisca *B C D Φ Γ O P Π Σ f m* 3 43 *quindecim*; *gloss. Λ.* falisca rogis *Σ.* 77. tenplorum *E ma. pr.* uerberet 23 33. uerb. auras *T.* 78. summa surgit *Π* 41 *quatuor.* sparget 22. sparsit *Φ.* tendit *Δ.* in ede merum *E.* 79. tarpeas *f.* itur ad arces *Φ p* 40 *octo.* 80. cum color *M.* est *omitt. Γ P.* 81. noui produnt *Γ.* noui praesint *T.* noui fasces praeeunt *G Φ P tres.* faces *E.* 82. conspicium *E.* perspicuum *M P* 3 *tres.* pond. sensit *B C.*

Colla rudes operum praebent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Iuppiter arce sua cum totum spectat in orbem,
Nil nisi romanum, quod tueatur, habet.
Salue festa dies, meliorque reuertere semper,
A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Graecia numen habet.
Ede simul causam, cur de caelestibus unus
Sitque quod a tergo, sitque quod ante, uides.
Haec ego cum sumptis agitarem mente tabellis,
Lucidior uisa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer ancipiti mirandus imagine Ianus
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Extimui sensique metu riguisse capillos
Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens baculum dextra clauemque sinistra
Edidit hos nobis ore priore sonos:
Disce metu posito, uates operose dierum,
Quod petis, et uoces percipe mente meas.

83. rudes tauri praebent *Ψ*. *Gloss.* rudes] tauri *D E*. ferienda securi *A D E F Λ M N O P Π Ψ Δ g* 3 40 *uiginti*; *C T b uar. scr.*
84. alit camp. *f*. campis therba fal. *b*. terra fal. *O* 2. falissa *M*. phalisca *G*. silissa *P* 3. 85. Iopiter *P*. Iupiter *E G Γ b f*. sua con totum *Φ*. sua totum cum spect. *A B C E F G Γ Λ Π Δ Σ b f g h m p r* 8 *uiginti duo*. totum respectat in 41. tot. couspectat 43, *Ita*, spectat, *D G K M P Π f g* 3 *tres*; *C E uar. scr.* spectet *caeteri*.
87. Salue laeta dies *A B ma. pr. F K T ma. pr.* 8 *decem*; *C Φ m p uar. scr.* 88. populo regum *G, sed ma. pr. corr. nouem.*
89. esse diem *A ma. pr.* deum dicam te *G Ψ T b g h m p septemdecim et uett. editi.* 90. gretia *D*. 91. Ede mihi caus. *P* 3. caussam *Φ Σ f*? 92. Idque quod a tergo est idque quod *C G Σ* 2 *octo*. Idque *f*. Fitque *D uar. scr.* 93. Hoc *quatuor*. sumtis *Φ*? agitarem in mente *T*. 94. quam domus ante fuit *P*. ante dies *G, sed ma. pr. corr. f* 5 40. 95. Tunc *A B E F Γ M P Δ f octo*. Me sacer 43. 96. Bina ferens oculis *E*. Bina gerens *r*. Bina repetens oc. *B*. Bina repente oc, *G Φ Λ Π Δ Σ T f g h m* 40 41 „*multi alii.*" optulit *Γ r*. 97. Excrucior sensique 43. Obstupui sensique *B C Σ T m ma. pr.* 8 *nouem*. sensique meos rig. *Σ duo*.
98. gelidum frigido frig. *m ma. pr.* 99. tenens dextra baculum clau. *B C Σ m* 8 *septem*. clauumque *K*. 100. Prodidit hos *b*.
102. Quos pet. *Λ*. et uires perc. 7. uoces excipe *E ma. pr.*

Me Chaos antiqui, nam sum res prisca, uocabant.
  Aspice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër, et quae tria corpora restant,
  Ignis, aquae, tellus, unus aceruus erant.
Vt semel haec rerum secessit lite suarum
  Inque nouas abiit massa soluta domos,
Altum flamma petit. propior locus aëra cepit:
  Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, qui fueram globus et sine imagine moles,
  In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque, confusae quondam nota parua figurae,
  Ante quod est in me postque, uidetur idem.
Accipe, quaesitae quae causa sit altera formae,
  Hanc simul ut noris officiumque meum.
Quicquid ubique uides, caelum, mare, nubila, terras,

103. cahos *f*. chahos *r*. antiquum nam *C uar. scr.* antiqui iam sum *Γ*. antiqui qui sum 40. quae sum 40 *uar. scr.* ant. sum res nam prisca 14. nam res sum prisca *T*. 104. Accipe *O f septem.* 105. tria nomina rest. 43. 106. *Ita*, aquae, *FT*, *A sub ras. a pr. ma. Heinsio iudice*, *Φ ma. sec.* aqua tellus *A ma. sec.* *ΦΨΣ octo.* aqua et tellus *caeteri.* Vnus aq. et tell. ignis *f*. aceruus erat *ABCFΦ* (*teste Heinsio*) *Σf*. 107. Vtque semel rerum *Π alius.* At semel *O uar. scr.* Vt simul *b* 26. semel hoc rerum *tres.* Vt semel rerum *unus.* 108. soluta domus *Γ*. 109. *Ita A* (*teste Gronouio*) *BCDEGΦKMNPΠΨbfghmp* 34 47. *Gloss. b*: Altum] caelum. Caelum flamma petit *Σ multi*; *BCNp et quatuordecim pro uar. scr.* Flamma petit caelum *ΓΛΔT sex*; *O* 8 *ma. sec.* Flamma petit culmen *O ma. pr.* Flamma petit celsum *duo.* Flamma altum petiit *unus.* Flamma petiit altum *F*. Flamma petit altum *A* (*teste Heinsio*) *r* 8 *ma. pr. decem.* altum (petit?) prior locus *A*. 110. fretumque loco *DGΓΛNOΠΔΣTbfghms plurimi*; *CEΦ* (*teste Heins.*) *MPr uar. scr.* 111. Nunc ego *C uar. scr.* sine margine *Λ*. moles *omitt. Γ*. 112. redii membra- (menbra *G*) que digna *EGΦΓΛMNOPΠΨΣbfghs uiginti fere et uett. editi.* 113. *Ita*, quondam, *distincte Φ* (? *test. Matth.*) 68 29 (33 *ed. Heins.*); *E uar. scr.* confuse quō nota *D*. confuse q̄m nota *EΓb ma. pr. r*. confisae quamquam nota 28. confusae quamuis nota *unus* (49?). confusae quoniam nota *ABCGKΛOPΠΨΔΣT fgp triginta.* quoniam nota parua figurae est *reliqui Heinsii praeter modo dictos et uett. editi.* quoniam est nota *b ma. sec.* nota prima figurae *C uar. scr.* 114. uidetur idem est *BCFΔT quatuor.* 115. quae sit caussa altera 2. 116. ut noscas *C uar. scr.* 117. Quidquid *ΦΣf*? mare sidera terras *EΦr* 40.

Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum uasti custodia mundi,
Et ius uertendi cardinis omne meum est.
Cum libuit Pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulat illa uias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidae condita bella serae.
Praesideo foribus caeli cum mitibus Horis:
It, redit officio Iuppiter ipse meo.
Inde uocor Ianus. Cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum farraque mixta sale,
Nomina ridebis. modo namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clusius ore uocor.
Scilicet alterno uoluit rudis illa uetustas
Nomine diuersas significare uices.
Vis mea narrata est. causam nunc disce figurae:
Iam tamen hanc aliqua tu quoque parte uides.

118. Omina *C uar. scr.* sunt clausa nostra *b, corr. r.* nostra patente manu *b.* 119. uasti coustodia *r ma. pr.* uasti concordia mundi *O ma. pr. r ma. sec.* 2? 7 10. 120. uerendi *Γ.* est *om. b alius.* 121. placidis immittere *bhm ma. pr. tres et uett. editi.* placidis immittere rebus 15. plac. immittere terris 29. emittere terris 5 *quatuor.* emittere dictis *D.* emittere templis *s uar. scr.*

122. Libera per tutas amb. *ACGΓKΣhm* 8 *sedecim; M uar. scr. uett. editi.* Lib. per totas *tres; CΦ (teste Heins.) uar. scr.* Libera continuas *b uar. scr.* ambulat ista *m.* ipsa *N.* 123. laetifero *D.* lutifero *b ma. pr.* lucifero *m ma. pr.* 124. Ne ten. *ΔΣ.* Ni taceam *P.* 125. Praesidio *P.* caeli foribus *DΔ* 2? caeli comitantibus hor. 29. communibus hor. 22. cum finitibus hor. r. oris *Γ.* 126. *Ita,* It, *CDK sex; Φ (t. Heins.) M uar. scr.* Credidit off. *duo.* Et redit *reliqui cum uett. impr.* offitio *D.* iupiter *EGΓ.* Iuppiter itque meo *b et decem fere.* ipse suo *O ma. pr.* 10.

127. ianus mihi cum *Σ.* cercale *E ma. pr.* 128. Inponit *D GΓfr.* Imposuit 14. libum mistaque farra *C.* mixtaque farra *BG ΦKΣbm* 8 *nouem.* sali 511; *C uar. scr.* 129. nanque *D.* patultius *DEKb.* patucius *fr.* 130. clusids *f.* clausius *EΓ ma. sec. ΔMNOPΠΨΣT ma. sec. ghmr* 3 44 *tredecim, uett. editi.* claudius *Φ gloss. Δ.* custius *p uar. scr.* 131. Silicet *Γ.* Scil. aeterna *A alius.* aeterne *b uar. scr.* aeterno *ΦΓOΔb sedecim; E sub rasura, ut puto; CNΨ* 44 *gloss. in Δ uar. scr.* ualuit rudis *EFG tres; C uar. scr.* aet. uouit rud. *A ma. sec.* 132. Nomina *E ma. pr. F.* diuersa *F.* diuerso *A (ma. sec. teste Gronouio).* significare uides *F.* 134. Iam tu . . . hanc *E ma. pr.* aliqua nunc

Omnis habet geminas hinc atque hinc ianua frontis,
E quibus haec populum spectat, at illa larem.
Vtque sedens primi uester prope limina tecti
Ianitor egressus introitusque uidet,
Sic ego prospicio caelestis ianitor aulae
Eoas partes hesperiasque simul.
Ora uides Hecates in tres uertentia partes,
Seruet ut in ternas compita secta uias.
Et mihi, ne flexu ceruicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat. et uoltu, si plura requirere uellem,
Difficilem mihi se non fore pactus erat.
Sumpsi animum gratesque deo non territus egi,
Verbaque sum spectans pauca locutus humum.
Dic, age, frigoribus quare nouus incipit annus,
Qui melius per uer incipiendus erat?

quoque *G*. aliqua parte uidere potes 14. 135. *Ita*, frontis, *A*. frontes *reliqui*. 136. populos *O duo*. spectet 6. spectat et illa 2. ille *h*. 137. Vtque sedet prim. *Γ*. Vtque solet prim. 6. Vtque sedet uester uestri prope *P* 3. Quaque sedens uester pprimi (*olim* pprima) prope *b*. sedens uester primi prope *ΑΔOhps quatuordecim*. primi nostra prope *g uar. scr.* uester quoque limine tecti *F*. prope ianua tecti *O ma. pr.* limina iani *BC* 23 24. limina templi *ΦTb duo; C uar. scr. tert. man.* 138. Ian. ingressus *C uar. scr.*
139. ego perspicio *ABCDEGOΔThm ma. sec. pr* 3)8 *uiginti et uett. editi.* 140. *in margine Φ*. hesperiesque *f*. 141. Ora uidens ecates *r*. echates *K*. echaces *Σ*. in III uert. *D*. in ternas ignea partes 41. uertencia *Γ*. uersantia *unus; b uar. scr.* uergentia *BCΠgs* 8 *uiginti*. urgentia *unus*. ligentia *corr.:* uergentia *m*: uertentia portas *K*. uert. formas *O ma. pr.* 142. Seruat ut *f*. Seruat et in *Γ*. Seruet ubi in *m*. internas *DE*. compita septa uias *sex*. comp. sacra uias *f*. comp. terra uias *K*. 143. michi *D*. ne perdam c. t. flexu *N*. flexo *C*. corpora perd. *C uar. scr.* 144. Corpore non m. cernere *T*. ne moto *s*. moto cardine 33. corpora *K quatuor*. moto pectore *f*. corpore plura 29; *p uar. scr.* bina libet 34. 145. uult. *ll*. et uultus si *Α*. 146. Se mihi diffic. non *bpr duo*. michi *D*. Diffic. quid se *Α*. Diff. fore se non mihi *GT*. fassus erat *GΦΓKΣm ma. pr.* 8 *sedecim et uett. editi; CM uar. scr.* 147. Sumsi *Φ?Γ*. terr . . . egi *E*. 148. Verbaque suspectans *ΑMNΣs* 8 43 *tres*. Verbaque despectans *D alius*. pauca lo . . . . . eram *E*. loc. humi *h ma. sec.* 150. Dii melius *s ma. pr.* melius puer inc. *E ma. pr.*

Omnia tunc florent. tunc est noua temporis aetas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet:
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit et in summum seminis herba solum:
Et tepidum uolucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi soles. ignotaque prodit hirundo
Et luteum celsa sub trabe figit opus:
Tum patitur cultus ager et renouatur aratro:
Haec anni nouitas iure uocanda fuit.
Quaesieram multis. non multis ille moratus
Contulit in uersus sic sua uerba duos:
Bruma noui prima est, ueterisque nouissima solis:
Principium capiunt Phoebus et annus idem.
Postea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies. causam percipe, Ianus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo

151. florent nunc est 33. florent et tunc noua *G*. temporis aestas *C ma. pr. Γ*. 152. degrauido *E*. de nitido cortice gemma *b*. gemma cadit *m ma. pr.* 153. modo formosis *Tf*. modo sarmaticis aperitur *b ma. pr.* form. amicitur uitibus arb. *Cm* 8 octo. amicitur frondibus *quatuor*. operitur uitibus *Φf*; *P uar. scr.* frondibus annus (antro *Heins.*) *G*, *sed ma. pr. corr. Ita*, arbos, *BFGh* 8 *duo*. arbor *reliqui*. 154. Exit et *G uar. scr. pr. ma.* et inmensum sem. *f*. graminis herba *Λ*. 155. aera complent *Λ*; *O uar. scr.* aera miscent *unus*. 156. inpratis *E*. 157. *Ita*, Tum, *ADΦKPTfpr uiginti quinque*. Tunc *reliqui et uett. edd.* irundo *Γ*. *Gloss.* ignota, iam diu *D*. 158. Et uitreum 44. trabe fingit *AΛΨgps* 40 *octo*; *O uar. scr.* trabe nectit *ΕΓΝΠ* 41 *septem*; *Cs uar. scr.* trabe cudit *O uar. scr.* 159. *Ita*, Tum, *ADΦKOPpr alii, ut puto*. Tunc *caeteri*. Tunc pariter cult. *unus*. pat. combustus ager *unus*. renou. arando *Λs*. 160. Hoc *b*. Haec anno nou. *AF ma. pr. GΔ ma. pr. quatuor*; *C uar. scr.* Haec nouitas anni *fg quinque*. iure notanda *E ma. pr.* nouanda *M uar. scr.* 161. mult. nec multis *s duo*. ille moratur *Fb*. 162. Cum tulit in *b*. 163. ueterique *f*. 164. phebus *DE*. 165. Post ea *b ma. sec. m.* 166. caussam *ΓΦ*? 167. ɔmisi *D*. ɔmissi *E*. disposui *gloss. G*. nascencia *Γ*. 168. Totus at ausp. *A*. Totus ut ausp. *b* 43. auspitio *D*. inhers *E*. 169. Quique *C* (*teste Gron.*) suas partes *K*. artes ibidem del. *ABE ma. pr. FP*

Nec plus quam solitum testificatur opus.
Mox ego. cur, quamuis aliorum numina placem,
Iane, tibi primum thura merumque fero?
Vt possis aditum per me, qui limina seruo,
Ad quoscumque uoles, inquit, habere deos.
At cur laeta tuis dicuntur uerba kalendis,
Et damus alternas accipimusque preces?
Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam uocem timidas aduertitis aures,
Et uisam primum consulit augur auem.
Templa patent auresque deum. nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.
Desierat Ianus. nec longa silentia feci,
Sed tetigi uerbis ultima uerba meis.
Quid uolt palma sibi rugosaque carica, dixi,
Et data sub niueo candida mella cado?

Δs 8 *ma. pr. quinque; p uar. scr.* obidem *pr; E ma. sec; FPΔ uar. scr.* artes obiter del. 19. inibi, obid, obide, iterum delibat *singuli.* idem praelibat *Λ.* 170. Ne plus *Φ.* Nec postquam *Σ.* plusquam *E.* 172. tibi primo *BCTm* 8 *quinque.* tura precesque *T.* tura *Φ? b.* thura precemque 14. thura feroque merum *f.*

173. posses *O; P uar. scr.* Vt per me possis aditum qui *P tres.* aditum cerno qui *N.* 174. quoscunque *multi.* quosc. uelis *Σm ma. pr.* quoscunque uelim prorsus habere 8. inquid *Efr.* 175. Aut cur *BΦK.* cur uerba t. d. laeta *r.* dicuntur festa kal. *duo.* kalandis *P.* 176. alternas expetimusque *D.* alt. suscipimusque *G.* accipimusque notas *Ψ uar. scr.* 177. Tunc *BEGΛΔΣbfgpr uett. impr.* baculo quam *E.* dextra tenebat *DΦΓNΔΣg.* dextra tegebat *C.* dextra regebat *K* 8 *ma. pr.* (*C teste Gron.*); *g uar. scr.* dextra ferebat 7. 178. Omnia *BΠΔs; b ma. sec.* 179. primas uoces 8. tim. aduertimus *fr „nonnulli.“* conuertitis 2)8. euertitis *unus.* auertitis *Π duo.* tim. aduertitis ad aures *Γ.* 180. Ipsam tunc primo cons. 6. Et iussam *Φ ma. pr.; C uar. scr.* uisam primam *BCΔ ma. pr. p.* uisam primo *Π* 41. Et primum uisum *ΨΣ bhs aliquot cum uett. impr.* 181. parent *b.* 182. Accipit *Λ.* preces uerbaque *fg.* 183. Desierat paucis nec *m.* silencia *Γ.* silentia cepi 11 22 23 24. silentia fecit *A ma. pr.* 185. *Ita,* uolt, *A.* uult *reliqui.* Quid sibi uult palma rug. *b.* rugosaque cortice 8. carica dari *g.* 186. *Ita,* candida, *BCDΦ ma. pr. Km* 33 *decem; Δp uar. scr.* liquida mella 33 *uar. scr.* condita mella *reliqui.* mella fauo *BCΦKΛMf duodecim; Δ uar. scr.* mella fabo *P uar. scr.*

Omen, ait, causa est. ut res sapor ille sequatur,
  Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur, uideo. stipis adiice causam,
  Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.
Risit et, o quam te fallunt tua saecula, dixit,
  Qui stipe mel sumpta dulcius esse putes!
Vix ego Saturno quemquam regnante uidebam,
  Cuius non animo dulcia lucra forent.
Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi:
  Vix ultra, quo iam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
  Dum populus pauper, dum noua Roma fuit:
Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum,
  Et dabat exiguum fluminis ulua torum.
Iuppiter angusta uix totus stabat in aede,
  Inque Iouis dextra fictile fulmen erat:
Frondibus ornabant, quae nunc Capitolia gemmis:
  Pascebatque suas ipse senator oues:
Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem
  Et foenum capiti supposuisse fuit.

187. caussa *Φ*? causa ut res s. i. sequctur *m*. 188. Et pergat *m*. peragit *C* (*teste Gron.*) *K*. ceptum *DE*. 189. cur dantur *b*. stipis adice *BDEFGΓKbfr*. addice *Σ*. adiice causas *N*. adiice carmen *s*. 190. Ne m. de f. pars *Π*. michi *Γ*. festo plus labet 41. ne labat *CDEMΣf*. labet una *g*. 191. o quantum *Δ*. o quantum te fall. saecula *b uar. scr. sec. man*. quam te dixit tua saec. fallunt *f*. se fallunt *gloss. Λ*. tua tempora *duo*. tua sidera *unus*. 192. Quid stipe *Σ*. sumta *Φ*? *Ita*, putes, *DEΦ* (*teste Matth.*) 8 *quatuor*; *C uar. scr.* putas *caeteri*. 193. saturno aliquem regn. *P*. regnare uid. *C*. 196. Vix summus quo *C uar. scr.* qua *nullus*. quo nam progr. *A*. 197. opes non sunt *floril. Berol.* temporis anno *unus*. 198. Cum *G*. Cum p. p. cum. *gloss. Λ*. 199. Tum *G*. martigenum *Γ*. 200. fluminis alga *ΛT quinque*; *MNr uar. scr.* flum. herba *g tres*. thorum *nostri*.

201. Iupiter *EGΓr alii*. Iopiter *P*. Iupp. exigua uix *D* 20 40 *quatuor*. Iuppiter exigua totus uix stabat *Σ*. totus uix stabat *M*. uix stabat totus *CPbm*. uix captus stabat 33. uix tectus stabat 29 *tres*. stabit *D ma. pr.* 202. dextra uictile *f*. fictile lumen 8.

204. ipse frenator *K*. senatus *Φ uar. scr.* 205. Non pudor *P floril. Berol.* placitam *Λ*. plac. accepisse *P* 3. plac. sumpsisse *Π* 40 *duo*. plac. captare *tres*. 206. Nec foenum *bh nouem*. (*Φ teste Heinsio* Et) *uett. impr.*; *g uar. scr.* N.. fen. *floril. Berol.*

Iura dabat populis posito modo praetor aratro,
Et leuis argenti lamina crimen erat.
At postquam fortuna loci caput extulit huius
Et tetigit summo uertice Roma deos,
Creuerunt et opes, et opum furiosa cupido,
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Quaerere ut absumant, absumpta requirere certant,
Atque ipsae uitiis sunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.
In pretio pretium nunc est. dat census honores,
Census amicitias. pauper ubique iacet.
Tu tamen auspicium si sit stipis utile, quaeris,
Curque iuuent nostras aera uetusta manus.
Aera dabant olim. melius nunc omen in auro est,
Victaque concessit prisca moneta nouae.
Nos quoque templa iuuant, quamuis antiqua probemus,

fenum *hoc in loco libri, ut uidetur, praeter G, qui* faenum. subposuisse *D Γ Σ f r.* supposuisse (subp.) suo *M Σ m s* 40 *duodeuiginti; O T p uar. scr.* supposuisse pudet *duo; C uar. scr.* 207. dabat populo *B C Π Σ b* 20 *quatuor.* pop. misso modo *B C nouem.* pop. missus modo 20. posito nunc praetor *N.* modo consul aratro *B C K f* 8 20 *undecim; Φ uar. scr.* Iura dabant posito populo nunc praetor *s.* dabat consul populo modo missus aratro *T.* dabat posito populis modo praetor *D.* 208. lamnina *E.* 209. At fortuna loci postquam caput *O.* fortuna loco 23; *C uar. scr.* extulit alto *C* 23. fortuna lucis caput extulit alta *K (uetustiore teste; recentiore* locis, alto). capud *E.* 210. tetigit summos uert. *F Φ M Ψ g h m septemdecim; b fort. sub ras.* 211. furiosa libido *E b sex; h uar. scr.*

212. plura uolunt *B* 8 *tres; C uar. scr.* plura rogant 33.
213. absument *r.* ut assumant assumpta *b f.* requir. tentant *unus.*

214. uiciis *E G.* 215. quibus et tumuit *f.* intumut *E.* subfusa *P.* 216. Quo sunt plus potae *G.* Quanto plus potae *f.* plus siccuntur *E ma. pr.* plus sciciuntur *Γ.* 217. praecium, *per comp. D E, uti plerumque.* prec. *G.* pretium non est *Δ.* est dant cens. *B.*

218. amicicias *D E G f alii.* 219. tamen officium si *r ma. sec.* ausp. sit si stip. *K.* ausp. cur sit *h quinque et uett. impr.* 220. Cumque *g.* iuuant *T quinque.* iuuent uestras *A B* 5 *quinque; g uar. scr.* 221. melius tamen omen 33. nunc nomen *D.* est *om. g* 11 29. 222. Victaque successit *T alius.* recessit *duo.* concedit *B C* 8 20 *duo.* concessit prima *f r.* 223. Nunc quoque *s duo.* probamus *duo; gloss. Δ.*

Aurea. maiestas conuenit ipsa deo.
Laudamus ueteres, sed nostris utimur annis:
  Mos tamen est aeque dignus uterque coli.
Finierat monitus. Placidis ita rursus, ut ante,
  Clauigerum uerbis alloquor ipse deum:
Multa quidem didici. sed cur naualis in aere
  Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses ut imagine, dixit,
  Ni uetus ipsa dies extenuasset opus.
Causa ratis superest: Tuscum rate uenit in amnem
  Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum:
  Caelitibus regnis ab Ioue pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
  Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim formauit in aere,
  Hospitis aduentum testificata dei.
Ipse solum colui, cuius placidissima laeuum
  Radit harenosi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silua uirebat,
  Tantaque res paucis pascua bubus erat.

224. conuenit ista *BCNT* 8 (*Heins.; at Ciofan.*: ipsa) 13 20 *quinque.* 227. monitis *quinque.* placidisque ita *F.* 228. Clauig. dictis *O* 20. adloquor *Φ*? 230. Alt. formata est 5 43 *alius.* forma duplex *Π* 41. 231. dupplici *Γ.* me posses dupplici ut *f.* me posses duplici quod ymagine *b.* possis *duo.* posses in imagine *BCΦT et unus uel alter.* 232. Ne uetus *ΔTgmrs; MPΠ uar. scr.* Si uetus *N uar. scr.* ipse dies *Δ.* dies attenuasset *Σ.* extimuisset *P ma. pr.* extenuaret *BC* 5 20 *tres.* 233. uenit ad amnem *D Lactant.* 1, 12 *ed. Ven.* 1509. in annem *Er.* 234. per aerrato *Γ.* falcifer ore *K.* 236. *Ita,* ab ioue, *BDΣ* 8 11. cum ioue *O.* a ioue *caeteri.* 237. diu mansit genti *NTp tres.* 238. Dicta fuit latium *bg ma. sec. h duo et uett. impr.* quoque latium *BC* (*teste Gron.*) lacium *EGΓ.* 239. Tunc bona *Δ.* pupem *ΔEΓMOPΠΔgs multi.* puppem *DFGΦ* (*teste Heins.*) *Δr* 43. pupp. seruauit in *Φ* (*Matth.; dubito*) *mr* 13 20 22 23 24; 8 *uar. scr.* 241. solum coluit 8 20 *quinque; M uar. scr.* 242. Rasit *FGΔ duo. Ita,* haren., *DEGΓf alii.* aren. *reliqui.* arenosum *r sub ras.* tybridis *b.* tybiris *Γ.* 243. *Ita Σ* 4 8 13 *quatuor; g uar. scr.* incidua 20 *tres; g uar. scr.* tē ardua *caeteri.* 244. res *om. E ma. pr. Ita,* bubus, *ACGr* 8 *decem.* bobus *reliqui.* bobus erant *MNOΨ aliquot.*

Arx mea collis erat, cultrix quem nomine nostro
Nuncupat haec aetas Ianiculumque uocat.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Esset, et humanis numina mixta locis.
Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat:
Vltima de superis illa reliquit humum.
Proque metu populum sine ui pudor ipse regebat:
Nullus erat iustis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello. pacem postesque tuebar:
Et clauem ostendens, haec, ait, arma gero.
Presserat ora deus. Tunc sic ego nostra resolui
Voce mea uoces eliciente dei:
Cum tot sint iani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam
Protinus Oebalii rettulit arma Tatî,

245. Ars mea *CΦf.* Ara mea *unus*; *C uar. scr.* Ara mea est collis *quinque.* Arx mea est collis *unus.* Ara mea colli erat *B*, *h ma. sec.* Ara mea est colli *AEFΓΔPΠΨΔΣTbgrs* 8 33 34 43 44. Ara mea in colli 40 41. Ara mea est colle *unus.* Arx mea est colli *duo.* *Ita*, erat cultrix quem nomine, *G.* erat quem cultrix nom. *K* 22 23. erat quam uulgus nomine *Mh ma. pr. aliquot*; 20 *et uiginti tres uar. scr.* erat (colli) quem uulgus (uolgus *A*) nomine *reliqui.* 246. Nuncipat *P.* 247. Tunc quoque regn. *B.* Tunc ergo ego regn. *D.* paciens *EG.* 248. nomina *b.* num. nostra loc. *g ma. pr.* num. uincta locis 40. 249. Necdum *D.* iusticiam *DEG.* 250. sup. ipsa rel. *FΔ tres.* relinquit *M quatuor.* reliquit opus 8 *uar. scr.* 251. pudor ille *P.* ipse gerebat *h alius.*

252. erat thuscis redd. *M.* erat cuiquam redd. *r.* 253. michi *Γ.* cum bellis *EΓ* 6. cum populo *g.* postes pacemque *Γ.* pacem postemque 6 *alius.* 254. arma tero *f.* 255. Press. ore d. *K.* deus sic tunc ego *unus.* sic *om. f.* deus mea tunc sic ora resolui *C.* sic nostra ora resoluo *B* 22 23 24. nostra resoluo *A ma. prim.* 20 *duo. Gloss. b*: nostra] ora. 256. alliciente *Ψ uar. scr.* deo *T uar. scr.* 257. Cum sint tot *Δgp quinque.* cur sic sacratus in uno es *septem.* in imo *f*; *s alius uar. scr.* in ede *Γ.* 258. ubi uicta *K.* ubi templa foris iuncta *Gbhmp alius uett. impr.*

259. proexam *E.* propexam *extremo uersu G.* perpexam *p alius.* prolixam *Φ*; *N uar. scr.* promissam *g ma. sec. duo.* propexam pectora *liber ms Iac. Gronouii.* prop. in pectora 11. in pectore 8 (*Ciof.* 33 *Heins.*) 260. ebalii *DΓbr.* aebalii *E.* eubalii *P.* retulit *EGΦ*? protulit *fr.* arma taci *DGΦKMNOPΣr gloss. b.* tacii *ΓΠ*; *E uar. scr.* tatii *C.* traci *b.* tracii *E.* titi *C uar. scr.* arma senis 6.

Vtque leuis custos, armillis capta Sabinis,
Ad summae tacitos duxerit arcis iter.
Inde, uelut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in ualles per fora cliuus erat.
Et iam contigerant portam, Saturnia cuius
Dempserat oppositas insidiosa seras.
Cum tanto ueritus committere numine pugnam
Ipse meae moui callidus artis opus,
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi
Sumque repentinas eiaculatus aquas.
Ante tamen madidis subieci sulphura uenis,
Clauderet ut Tatio feruidus humor iter.
Cuius ut utilitas pulsis percepta Sabinis,
Quae fuerat, tuto reddita forma loco est.
Ara mihi posita est paruo coniuncta sacello:
Haec adolet flammis cum strue farra suis.

261. Atque leuis *Γ*. capta sabinas *r ma. pr. h ma. sec.* capta sabinos *ABCE ma. sec. FGΦΓΛMNPΨ ma. pr. Δbfg ma. pr. h ma. pr. mp ma. pr. r ma. sec. uiginti fere et uett. impr.* 262. Ad tacitos summe dux. *Φ*. Ad tacitum summae dux. *K*. summae tacium dux. *D* 47 *gloss. in Λ*; *E uar. scr.* summae tatius dux. *h ma. sec.* summae tacios dux. *ΠΣ* 20 *quatuordecim*; *NOT uar. scr.* tatios 44. *Gloss. b*: tacitos] illos. *Ita*, duxerit, *ABFKMfr aliquot et fortassis E sub rasura.* duxerat *reliqui cum uett. impr.* artis *C*.
263. Et ueluti nunc *p*. uelud *EGb*. per quae desc. *K*. descendimus 40. decenditis *Γ*. 264. ualles et fora 8 *sex* (*sec. sched.*). ualles ad fora *BC*. 265. At iam *O*. contingerant *E*. contigerat *ADFb* 843 *octo*. portas *Ψ uar. scr.* saturnia custos *C*. saturn. iuno *C uar. scr.* saturnia coniux *Ψ uar. scr.* saturnia ciuis 6.
266. appositas *P* 33. *Ita*, ins., *BCDM* 520 *tredecim*. inuidiosa *reliqui cum uett. impr.* ingeniosa *N uar. scr.* 268. noui *A teste Gron.* 43; *p uar. scr.* moui calliditatis op. 23; *MT uar. scr.* artis opem *ΓMΠΔTfghs* 47 *uiginti quatuor et uett. impr.*; *EMPp uar. scr.* 269. fontana resolui *bf* 20 *quatuor*. 270. repentinas et iaculatus *AO*. 271. tamen modicis *h*. tamen calidis *p* 33 *octo*; *g* 8 *uar. scr.* mad. submoui 7. mad. inieci *b*. sulfora *P*. 272. ut tacio *EGΓMOr*. ut latio *P*. ut tacto *K*. ut tacito *Σ*. ut tito *C uar. scr.* 273. Cuius ubi util. *m*. pulsis comperta *D*. pulsis praecepta *m* 44. 274. Quaeque fuit tuto 20. Quae seruat tuto *Λ*. Et fuerat tuto reddita forma loco *Γ*. forma lacu est *P uar. scr.* est *om. Σ*. 276. Hanc adolet *D*. Hanc adolent 6 (*sec. sched.*; *in ed.* 14). flammis con strue *MPm duo*. flammis a strue *Ψ*. cum sale farra *s tres*; *g uar. scr.* strue farta *r ma. pr.* strue turra *P*. strue thura 3 *alius*.

At cur pace lates motisque recluderis armis?
Nec mora. quaesiti reddita causa mihi est.
Vt populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta ianua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit:
Caesareoque diu nomine clausus ero.
Dixit. et attollens oculos diuersa tuentes
Aspexit toto quicquid in orbe fuit.
Pax erat. et uestri, Germanice, causa triumphi,
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, fac aeternos pacem pacisque ministros,
Neue suum, praesta, deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,
Sacrauere patres hac duo templa die.
Accepit Phoebo nymphaque Coronide natum
Insula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est. cepit locus unus utrumque,
Iunctaque sunt magno templa nepotis auo.

277. Et cur *s.* 278. Et mihi quaes. redd. causa fuit *s.* quaesitis *D.* quaesita *b.* michi est *DEΓ.* est *abi. B* 20 *tres.* 279. Vt pateant populo reditus ad *bh uett. impr.* populo pateant reditus *DMOΠm.* 280. demta *Φ?Π.* 281. Pace seras obdo *Λ.* abdo *P.* nequa *D.* disced. posset *CΓT.* disc. possim *G uar. scr. pr. ma.* 282. Caesarioque *D. Ita*, nom., *BCr* 8 *duo; D uar. scr.* numine *reliqui.* clusus *A test. Gron.* numine clausa manet *G uar. scr. pr. ma.* 283. adtollens *r.* diuersa monentes *unus.* diuersa uidentes *ABCEFGΦΓKΛMNOPΨΔΣTfgprs* 343, *reliqui numeris insigniti praeter undecim.* 284. Adspexit, quidquid *Φ?* Prospexit 43. 285. erat atque tui *M uar. scr.* et nostri *m.* causa tridenti *s.* 286. Tradiderat domitas *EΓ.* renus *EGΓfr.*

287. fac aetern. *ACDFGΦKMNOP* 3 *alii.* aeternam *g.* aeternas paces *CK.* pacisque magistros 8. 288. suum pra deserat *DE.* praesta dixerat *m ma. pr.* actor *CΦ.* 289. Quae *Ψ uar. scr.* ex ipsi licuit *f.* ex istis *BC* 20 *tres.* ex illis *duo.* michi *Γ.* tibi *nullus.* dicere *A test. Gron. DΦ ma. pr. KNOΣTbfg ma. pr. m r ma. sec.* 40; *Ψp uar. scr.* 290. patres haec *s.* patres hoc 41. hac tibi *K.* hac tua *Δ.* 291. Acc. nympha phoebo coronide *f sed corr.* phebo *DE.* ninph. *DEGΓr.* 292. Insola *P.* quam uehit amnis 4 (*test. Gron.* qua uehit *Heins.*). annis *r.*

293. Iupiter *EGΓ.* Iopiter *P.* 294. Iuncta quoque magn. *s.* que cum magno *f.*

Quis uetat et stellas, ut quaeque oriturque caditque,
Dicere? promissi pars fuit ista mei.
Felices animae, quibus haec cognoscere primis
Inque domus superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter uitiisque locisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus aut uinum sublimia pectora fregit,
Officiumue fori, militiaeue labor:
Nec leuis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumque fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sidera nostris,
Aetheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur caelum. non ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sidera tangat apex.
Nos quoque sub ducibus caelum metabimur illis,
Ponemusque suos ad uaga signa dies.

295. Quid uetat 8 *tres*. ut quaeque erit orta caditque 40.
296. Discere *Δ*. Dic. propositi pars *DΛMOΠΨΣTbrs* 2 29 43 *alii*. *Ita*, fuit ista, *DΦΛPΔΣTg quatuordecim*; *O uar. scr.* pars sit et ista *BC* 4)8. pars sit ut ista 29. pars sit et ipsa *A* 43. pars erat illa *f*. fuit ipsa *F quinque*. fuit una *Eps septem*. fuit illa *reliqui*. 297. Fel. amnes *K*. Fel. animos *BC* 22 23 33. quibus hoc *EΠTgp nouem*. hoc (haec) contingere *EΛ*. cogn. primus *N*. cogn. primum *DOΠTbg ma. pr. hs* 41 *duo et uett. impr. Io. Sarisb. policr.* 7, 8; *p uar. scr.* cogn. promptum *g ma. sec.* 23.
298. *Ita*, domus, *AD*. domos *caeteri*. 299. est illas *Ψ* 8 *duo*. pariter uicibusque *D*. uitiisque (uiciisque *EG*) iocisque *ACEFGΦΓΛMNOΨΔΣbfghmpr num. notati detractis nouem et uett. impr.* 300. Alcius, capud *r*. exipuisse *E ma. pr.* exser. *aliquot*.
301. Nec uen. *MΣ*. *Ita*, aut uin., *D*. et uinum *caeteri*. pect. frangit *flor. Ber.* 302. *Sic*, Officiumue, *Bf* 8 20 *sex*; *N tres uar. scr.* Officiumque (Offitium *D*) *caeteri*. militiaeque *BCΓNPΠΣ bhm* 40 41 *aliquot*. milicieqne *EΦ ma. pr. flor. Berol.* 303. Non leu. *Π gloss. Λ*. ambicio *G*. que gloria *om. D ma. pr.* que *om. D ma. sec. f*. perfusaque pectora fusco *Σ*. gloria fusco *EFΛ* 40 41. glor. succo *f*. 304. Magnarumue *bh uett. impr.* Magnarumue furor *B* 20 *quinque*. Magnarumque furor *CD*. fame soll. *Λ*.
305. Adduxere *Δ*. distancia *Γ*. sidera terris *P ma. pr.* 306. subpos. *DGΓr*. supposuisse *tres*. 307. ut petat *b*. osan *r*. osam *f*. olimpus *DGEΓfr*. 308. Imaque pel. *A* 43. tangit *Γ*.
309. caelum *om. f*. caelum metabimns *s*. metebimur *f*. metibimur *Φ uar. scr.* numerabimus 40. meditabimur *CDF ma. pr.* 20 *quinque*. meditabimur istis *Σ*. met. istis *m*. 310. ad sua signa

Ergo ubi nox aderit uenturis tertia nonis,
Sparsaque caelesti rore madebit humus,
Octipedis frustra quaerentur brachia cancri:
Praeceps occiduas ille subiuit aquas.

Institerint imbres missi tibi nubibus atris:
Nonae signa dabunt exoriente lyra.

Quatuor adde dies ductis ex ordine nonis:
Ianus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia caelitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros

C. ad stata signa 2 12 20; *g p uar. scr.* signa deos *b.* *Gloss. D:* Soli planete proprie uagi dicuntur. sed inproprie bene uocantur signa zodiaci uaga i. e. currentia. 311. tercia *D G.* 312. rore madescit *tres.* 313. Octip. cancri qu. br. frustra *T gloss. Λ. Ita,* quaerentur, *B C D K N T* 8 *aliquot.* quaeruntur *reliqui.* bracia *f.*

314. Praecipue occid. *A F Γ Λ M Δ Σ T b* 43; *N O uar. scr.* Proximus occ. *g uar. scr. Ita,* subiuit, *D solus.* subibit *caeteri.*

315. Obstiterint imbres *N g tres; C* 4 *uar. scr.* Ni steterint imbres *s uett. impressi; h ma. sec.* imbres emissi nubibus *G; B* 4 37 *quatuor uar. scr.* imbres missis tibi 40. imbres tibi missi nub. *Ψ.* missi de nubibus *D m quinque.* imbr. nisi si de nub. *unus.* imbr. nisi se de nub. *alius.* missi cum nubibus *Π* 41. imbres nisi tibi *Σ.* imbres nisi si tibi *A* (*test. Gron.*) *B C K Λ M O g p s* 4 20 33 34 35 36 *uiginti quinque gloss. Λ; Φ* (*test. Heins.* uisi *Matth.*) *N r* 8 *pro uar. scr.* imbr. missi nisi nub. *unus; g alius uar. scr.* imbres nisi missi nub. *unus.* imbres nisi sit tibi nubibus *b; p uar. scr.* imbres nisi nubibus *f.* nubibus atri *m.* Signa dabunt nonae nisi si tibi nubibus atris *Δ.* Institerint nonae nisi sic ibi nubibus atris *A* (*teste Heinsio*). Institerint nonae. nisi sit tibi nubilus aer 8 (*test. Heins.; Ciof. longe aliter*). *Gloss. in Φ:* quia per tempus obscurum non possunt uideri. Institerint nonae *quinque alii cum* 2 *et* 13. 316. dabant *Σ.* None dabunt signa *f.* Signa dabunt none exor. *Φ corr.* Signa dabunt nonis exor. *C alius.* Signa dabunt imbres exoriente *A* 2 8 13 *quinque; p uar. scr.* Institerint imbres exoriente *Δ.* lira *E G Γ r.* 317. Quattuor *Φ? alii.* dies ductos *B D E sub. ras. G supra scr. ma. pr. P Δ m decem.* dies dictos *A* 43. dies dictis *T* 8 *septem.* dies ductosque ex *N uar. scr.* dies ductas ex ordine nocies 40. dies nonis ex ordine ductis *G sed corr. b.* ordine ductos *b uar. scr.* 318. luce colendus *r uar. scr.* 319. esse potes *h.* 320. Hostia celestibus quo *E.* 321. Quo cal. *C uar. scr.* calido cultros t. s. strictos *s.* strictos . . . ucturus *E.*

Semper, agatne rogat, nec nisi iussus agit.
Pars quia non ueniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,
Vna sit ut proprio littera dempta loco.
An quia praeuisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ista notata metu?
Fas etiam fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis graeca tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat agonia sermo:
Veraque iudicio est ultima causa meo.
Vtque ea non certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigerae coniuge debet ouis.
Victima quae dextra cecidit uictrice, uocatur:
Hostibus a domitis hostia nomen habet.
Ante deos homini quod conciliare ualeret,
Far erat et puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas
Acta per aequoreas hospita nauis aquas.

322. Semper agone 12 20 23 24. rogas *A B C F G P Δ* 8 33 44 *quinque; M O uar. scr.* rogas an nisi *G T b r.* rogant *Λ.* roges 29; *b uar. scr.* rog. non nisi *O uar. scr.* rog. ne nisi *B Φ (test. Heins.) M tres.* iussus agat *A B C E F G Φ M O P Π Δ* 43 *b f r.* iuss. aget *Π* 8 *quatuor.* 323. *Hunc et prox. uers. post* 326 *ponunt M alii.* ueniunt *D Λ.* pecodes *P.* aguntur *Λ N.* auctu *Λ.* 325. prisc. annalia *Λ Σ f.* agonalia *Φ ma. pr. P.* ann. dici *Λ.* 326. Vnaque sit proprio *Λ.* ut primo *b; O uar. scr.* litera *Φ*? 327. Aut quia *E O Σ b f g ma. sec. h s undecim et uett. impr.* aqua uidet *B C.*

328. A pecudis *s.* est ipsa *libri praeter B C Λ T b r* 5 *septem.* ipsa notanda *Σ f.* ipsa (ista) uocata *Ψ b.* 329. Pars etiam *m s* 12 22 23 24 25 *nouem; E Φ Ψ uar. scr.* Fas est et fieri *Φ P* 3. etiam solitis fieri *E corr.* fieri est sol. *f.* aetate piorum 40 41. 330. ludis grata tul. *T* 20 29. 331. Vt prius *b. Ita,* pecus, *D Γ h s* 8 20 *quatuor et uett. impr.* prins *reliqui.* prins antiquis *A P g.*

332. Verbaque *Φ ma. pr.* est *om. A* 43. 333. . . utque *Γ.* ea nunc certa *D O p s* 8 *septem.* placare deorum *Φ.* placare sacerdos 14. 334. Numine *f.* 335. quae cecidit dextra uict. *B C Φ M Ψ T m s* 8 20 *undecim.* 336. Hostibus admotis host. *E.* Host. amotis host. 4)8 49; *D uar. scr.* Host. a uictis 8 *uar. scr.* edomitis *unus.*

337. deos olim quod *f.* homini quam *Λ.* consiliare *Γ P.* ualebat *B C Σ octo.* 338. et liquidi luc. *Δ.* 339. Nund. *Γ.* Non dum *G.* pertulerant *f.* contulerat *M.* lacrymatam cort. myrrham *duo; T uar. scr.* lacr. arbore 40. mirras *D E G Γ r.*

Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui posset uiolas addere, diues erat.
Hic, qui nunc aperit percussi uiscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres auidae gauisa est sanguine porcae,
Vlta suas merita caede nocentis opes.
Nam sata uere nouo teneris lactentia succis
Eruta setigerae comperit ore suis.
Sus dederat poenas. exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in uite prementem
Talia non tacito dicta dolore dedit.
Rode, caper, uitem. tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur. noxae tibi deditus hostis

341. Tura *Φ?b.* eufrates *DEΓfr.* nec tulit india *Σ.* cestum *Γ.* 342. Haec fuer. *h.* fuerant uibiri cogn. *A.* fuerant iuberi 43. cogn. rura croci *m ma. pr.* 343. herbis contemta *Γp.* contempta *MNΠ duo.* contecta 40; *p uar. scr.* contexta *D uar. scr.*

344. laur. aduxta *C.* adusta foco *E ma. pr. Π.* 345. erat plexis 2. erat prati factis *gh nouem et uett. ed.* prati fractis 33. fact. pratis *G.* fact. horti de *unus.* fact. de prati flore 6 *alius.* 346. possit *ΔΣ duo.* 347. qui non aperit *Σ.* percussi uulnera *f.* uicera *Γ.* thauri *D.* 348. cultor 40 41. habebit *b ma. pr.*

349. est *om. duo. Gloss. b:* sanguine] fuso. 350. Vlta suis *unus.* merito *AK* 43. suas multa *C uar scr.* 351. Iam sata *Γ.* Quam sata *b.* nouo primis lact. *Δ.* nouo rectis *liber I. Gronouii?* lactencia *Γ.* latentia *Ah* 43. lactantia *BMNm quatuor.* lactancia *f.* sucis *Γb; G uar. scr.* sulcis *ADGΦKOPgp* 43 *tres; r uar. scr.*

352. setig. concipit *N duo; C uar. scr.* 353. penas *E.* paenas *D.* 354. debuerat *Γ.* abtin. *r.* abstinuiste *E.* 355. dentem *K.* inuite *G.* praementem *D.* 356. Tal. cum tacito *T.* tacito uerba *GΔ alii.* tacito digna dol. *B sex; s uar. scr.* dolore refert 12 *tres.* 357. hinc *om. f.* tamen hic *AOΨ* 43 *duo.* tamen huic 23. hinc constabis *Δ.* 358. tua quae *K.* tua quid *m.* quod spargat *s.* 359. *Ita*, noxae, *plurimi et ex sequentibus EΦbgs pro uar. scr.* mox et *GΓKΔPΨbfghmp* 3 44 *duodeuiginti et uett. impr.; MTr uar. scr.* mox est *DEΦOs; B uar. scr.* mos est *Cs uar. scr.* sequitur quia mox tibi *N.* tibi debitus *Δ tres; C uar. scr.* hastis *C ma. sec.*

Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit. nocuit quoque culpa capellae:
Quid bos, quid placidae commeruistis oues?
Flebat Aristaeus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat incoeptos destituisse fauos.
Caerula quem genitrix aegre solata dolentem
Addidit haec dictis ultima uerba suis.
Siste, puer, lacrimas: Proteus tua damna leuabit,
Quoque modo repares quae periere, dabit.
Decipiat ne te uersis tamen ille figuris,
Impediant geminas uincula firma manus.
Peruenit ad uatem iuuenis, resolutaque somno
Alligat aequorei brachia capta senis.
Ille sua faciem transformis adulterat arte:
Mox domitus uinclis in sua membra redit,
Oraque caerulea tollens rorantia barba
Qua, dixit, repares arte requiris apes?
Obrue mactati corpus tellure iuuenci:
Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Iussa facit pastor. feruent examina putri
De boue. mille animas una necata dedit.

360. adfuso *A.* afuso *E ma. pr.? P.* infuso *Δ ma. sec.* effuso *Φ (test. Heins.) Π Ψ f g p s* 41 *tredecim et uett. impr.* et fuso *E ma. sec. Φ uar. scr.* cornua phebe *f.* bache *D E Γ.* 361. Culpa sua *A* 43. suis *Π.* 362. Quid uos *unus.* conmeruistis *D.* 363. quod aper *E ma. pr.* cum prole *Φ.* 364. incept. deseruisse *F N Ψ g p* 40 *quinque.* destituisse sues *Γ ma. pr.* 365. genetrix *Φ? G.* solata dolorem *duo; P uar. scr.* 366. Add. his dictis talia uerba *G.* dict. talia *Ψ.* haec uerbis ultima dicta *Γ.* dictis ultima *G uar. scr.* uerba meis *f.* 367. protheus *D G Γ f r.* tua iura *unus.* dampna *D E G Γ f r.* 368. Quoque modum 29. 369. Ne te decipiat tamen *M.* 370. Inped. *f.* geminos uinc. firma pedes *unus.* uincula dura pedes *K.* 371. *In marg. r.* iuuenis reductaque som. *h uett. impr.* sompno *E.* 372. Adlig. *Φ?* capta dei *Δ.* 373. suam *libri praeter r* 29. *Gloss. b*: arte] sua. suam speciem *Π* 41. suam formam *T duo. Ita,* transformis adulterat *A* 4)8 10 11 43. transmutat et alterat *quinque.* transformat et alterat *reliqui scripti et impressi.* alterat artus *m alius.* alterat apte *Π uar. scr.* 374. menbra *G.* sua terga redit *B C.* 375. rorancia membra *Γ ma. pr.*

376. rapares a. r. apex *E ma. pr.* 380. *Hic et praeced. uers. in marg. b.* una mactata 8. necata dabit *G ma. pr. Δ.*

Pascit ouis prato. uerbenas improba carpsit,
  Quas pia dis ruris ferre solebat anus.
Quid tuti superest, animam cum ponat in aris
  Lanigerumque pecus ruricolaeque boues?
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
  Ne detur celeri uictima tarda deo.
Quod semel est triplici pro uirgine caesa Dianae,
  Nunc quoque pro nulla uirgine cerua cadit.
Exta canum uidi Triuiae libare Sapaeos
  Et quicumque tuas accolit, Haeme, niues.
Caeditur et rigido custodi ruris asellus:
  Causa pudenda quidem, sed tamen apta deo.
Festa corimbiferi celebrabas, Graecia, Bacchi,

381. *Ita*, Pascit ouis prato, *A* 43. Pascit ouis pratum uerb. *B C D Δ M quinque; g uar. scr.* Pascit oues pratum uerb. 20. Poscit ouis pratum *unus; g uar. scr.* Poscit ouem fatum uerb. 4)8 *quinque.* Pauit ouem pratum *K alius.* Pauit oues pratum *tres (? sec. annot. impr.)* Pratum pauit oues *g uar scr.* Pauit ouis pratum *reliqui cum uett. impr.* uerbenasque impr. *M s.* inproba *f.* improba carpit *M.*
382. Quis pia *Σ. Ita*, dis, *D G Γ alii Heinsii.* diis *caeteri.* diis celi *f.* 383. Quid thuri sup. *p duo.* Quid ruri sup. *g quatuor.* tuti *om. E ma. pr.* superest animas *E G.* animas conponit in *r.* animam con ponat *A.* an. componat *M m s.* cum ponit *F G Γ Ψ f duo.* in aras *g.* in aram *Γ Π* 41. 385. Placet *duo.* Plac. persis equo rad. *E Γ.* equo perses *duo.* yperiona *E.* hiberiona *G.* iperiona *Γ b.* hiperonica *K.* hyperiona comptum *g tres.* 386. uictima pigra *Φ.*
387. *Hic et quinque prox. seqq. uersus in marg. Γ. Ita*, Quod, *B C D F G Φ K Δ T b ma. pr. p* 8 20 *sedecim.* Quod triplici semel est pro *E.* Que triplici semel est pro *Γ.* Quae semel *reliqui cum uett. impr.* est triplicis *A.* est geminae pro 4 *duo.* est gemina pro 8. uirgine cerua *D fort. sub ras. Δ.* 388. nirgine caesa *D fort. sub ras. Δ g.* cerua (ce..a) datur *D G Γ M O P m r* 2 40 *duodeuiginti; C Ψ uar. scr.* 389. Exta canis *s quatuor.* canum uideo *Δ.* canum triuiae uidi *B C G uett. impr.* triuiae libasse *duo.* triu. mactare *K.* libare sacerdos *m. Ita*, sapaeos, *duo scripti, prim. ed. nescio quae Heinsii, Ald.* 1516. *Gloss. h:* populi sunt thraciae. saphaeos *h.* sabeos *reliqui.* 390. quicunque *D.* tuas haccolit *Δ.* acolit *E.* herme *Φ.* eme *b.* 391. ruris alumnus 29. 392. *Ita*, quidem sed tamen, *A D Φ Δ T g h m s.* pudenda quamuis sed tamen *f.* quidem huic tamen *C.* quidem est huic tamen *B* 20 *quinque.* quidem est sed tamen *reliqui.* tamen acta *m.* deo est *g h s.* 393. corinb. *G.* corimbifero *f.* coribiferi *K.* corinbriferi *Σ.* corymb. *Φ*? Festa racemiferi cel. *B C T* 4)8 *quatuor.* celebrabant 12 (22 *sec. annot. impr.*) celebrabat *reliqui praeter A F* 43, *quos sequor.* bachi *D E G Γ alii.* bachum *K.*

Tertia quae solito tempore bruma refert.
Di quoque cultores in idem uenere Lyaei,
Et quicumque iocis non alienus erat:
Panes, et in uenerem satyrorum prona iuuentus,
Quaeque colunt amnes solaque rura deae.
Venerat et senior pando Silenus asello,
Quique rubro pauidas inguine terret aues.
Dulcia qui dignum nemus in conuiuia nacti
Gramine uestitis accubuere toris.
Vina dabat Liber. tulerat sibi quisque coronam:
Miscendas large riuus agebat aquas.
Naides effusis aliae sine pectinis usu,
Pars aderant positis arte manuque comis:
Illa super suras tunicam collecta ministrat:
Altera dissuto pectus aperta sinu:
Exerit haec humerum. uestes trahit illa per herbas:
Impediunt teneros uincula nulla pedes.

394. Tercia *EG*. *Gloss. E:* trieterica scilicet. 395. Dii *DEG plurimi*. cultores obidem uen. *Π* 41; *r uar. scr.* cultores ad idem *M*. cultores gelidi uenere *Δm duo*. cult. nemoris uenere *ΓΣ*; *Π uar. scr. Ita*, lyaei, *AF* 8 *undeuiginti*. liei *b*. licei (lycaei) *caeteri*. *Gloss. BMs:* lycaei] bachi. 396. quicunque *DΓbr alii*. iocis *coni. Dusae*. locis *AFΦ* (*test. Heins.*) *KPT* 3 41 43 *sex et uett. edd.*; 8 *uar. scr.* loco *M*. mero 1)8 *quatuor*; *g uar. scr.* loci *reliqui*. alienus erit *A ma. pr.* 397. Panos *f*; *P uar. scr.* satirorum *r*. 399. et paudo senior *f*. sillenus *E ma. pr. sed corr. Γbr*.

400. *Vers. om. E ma. pr. Ita BCΓOPΨΔΣTbfghmr ma. sec. s* 12 42 *quindecim et uett. ed.*; *Πp uar. scr., gloss. Δ*. Quique rubero auidas *A* (*sec. sched.*) ruber auidas 42 *uar. scr.* rubens auidas *ΦΠ*. ruber pauidas *p* 8 *tres*; *C uar. scr.* rubens pauidas *K*. rubro timidas 43. Et qui rubro auidas *M*. Quamque rubroque auidas *r ma. pr.* Qui rubroque auidas *DGΔN et reliqui*. 401. macti *K*. 402. acubuere *E*. occubuere *P* 3 *alius*. concubuere *Π* 41. incubuere *N alius*. thoris *libri mei*. 404. Miscendus *r*. Misc. parce *B* 1)4 *alius*; *C uar. scr.* riuus habebat *s*. 405. *Ita*, Naides, *ADPTpr* 8 *quatuor*. Naydes *E*. Naiades *reliqui et uett. impr.* effusis ueniunt sine *b*. 406. aderat *CEGΦΓNΠbfm*. aderant comptis *uett. ed.* 407. tunica *C*. tunicas succincta *b*. tunicam succincta 26; *p uar. scr.* 408. Alt. dissueto *Δ*. diffuso *P* 3 40. desicco *m ma. pr.* distento 7. disiecto 10. aperta sinum „*Prosodia msta Leidensis*." 409. Exser. *b*. humeros *gms quinque*. uestem *BCb* 1)8. 410. Inped. *Γ*.

Hinc aliae satyris incendia mitia praebent:
  Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inextinctae Silene libidinis, urunt:
  Nequitia est, quae te non sinit esse senem.
At ruber hortorum deus et tutela, Priapus
  Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat. solam suspirat in illam,
  Signaque dat nutu, sollicitatque notis.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.
  Irrisum uoltu despicit illa suo.
Nox erat, et uino somnum faciente iacebant
  Corpora diuersis uicta sopore locis.
Lotis in herbosa sub acernis ultima ramis,
  Sicut erat lusa fessa, quieuit humo.
Surgit amans, animamque tenens uestigia furtim
  Suspenso digitis fert taciturna gradu.
Vt tetigit niueae secreta cubilia nymphae,
  Ipsa sui flatus ne sonet aura, cauet.
Et iam finitima corpus librabat in herba:

411. satiris inc. micia *E*. inc. mutua *m* 44; *Mp* 29 *uar. scr.*
412. pinu timpora *EK*. temp. nexe ger. *g*. 413. sillene *plane ut supra*. libid. urguent Σ. urgent *BCm* 4)8 *tres*. 414. Nequicia *GΓ*. 415. At rudis *K*. ortorum *DΓr*. hortorum decus *A Φ (Heinsii aetate) M* 8 *duo*; *p uar. scr.* hort. decor *Φ ma. sec., alius*. 416. ex istis *uett. edd.* lochide Σ. lodide *r ma. pr.*
417. *Ita*, solam (*om. Γ*) susp. in illam, *ACEΓΠhm* 4 40 41 *duodecim*. sola susp. in illa *reliqui et editi ante Ald.* 418. dat nictu 12 *quinque*; *g uar. scr.* que manu *hm alius*. 419. pulcris *DG*. 420. Inrisum Σ. uultu (*ita libri*) decipit *Γm* 40 *duo*; *Ψ uar. scr.* desipit *b ma. pr.* desp. ipsa *Δ*. illa deum *O*. senem *unus*. uirum *M uar. scr.* 421. et somnum uino *ΦN.OΠΨgms quatuordecim*. sompnum *E*. sumnum *Γ*. 422. diuers. iacta 8. uincta *Ψ quinque*. sapore *C*. diuersis semisepulta locis *Φ*. 423. Lothis Σ. acerbis *C*. aceruis *K*. 424. erat ludo *GKm septem*; *Ψ uar. scr.* luxu *m uar. scr.* lusu lassa *b* 11 *uett. ed.* fessa iacebat *Δ*.
425. uestigia surgit *C test. Gron.* 426. Suspensus *et* gradus 41. tacit. pede *b uar. scr.* 427. Et tetigit (retegit *Matth.*) *DΦ*. *Pro* niueae *nescio quid E sub ras. et b ma. pr.* niu. sacrata *duo*. captata *Π uar. scr.* secr. cunabula *BC*. silentia *duo*. cubicula *bm*. nimph. *DEG*. 428. *Ita*, Ipsa, *ADΦ?ΓMb* 8 43 *quatuor*. Ille *T*. Ipse *reliqui*. Aura s. fl. n. s. ipse *Δ*. 429. librarat Σ. uibrabat *f*. librauit *N*. libr. ab aura *Δ*.

Illa tamen multi plena soporis erat.
Gaudet, et a pedibus tracto uelamine uota
Ad sua felici coeperat ire uia.
Ecce rudens rauco Sileni uector asellus
Intempestiuos edidit ore sonos.
Territa consurgit nymphe, manibusque Priapum
Reiicit, et fugiens concitat omne nemus.
At deus obscaena nimium quoque parte paratus
Omnibus ad lunae lumina risus erat.
Morte dedit poenas auctor clamoris. et haec est
Hellespontiaco uictima grata deo.
Intactae fueratis aues, solatia ruris,
Assuetum siluis innocuumque genus:
Quae facitis nidos et plumis oua fouetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil ista iuuant, quia linguae crimen habetis,
Dique putant mentes uos aperire suas.
Nec tamen hoc falsum. nam dis ut proxima quaeque est,
Nunc penna ueras, nunc datis ore, notas.

430. Ipsa *F.* saporis *Cb ma. pr.* 431, 430 *G.* 432. sua fallaci *duo.* ceperat *DE.* ire gradu *unus.* 433. silleni *uti supr.*
434. ore modos 43. 435. consurgens 8 29. confugit *Δ duo.* nymphae *ΓΣ.* nimphae *DG.* nimphe *Ebr.* consurgit uirgo *P* 3.
436. Reicit *BDEGΓbfr.* et surgens *GNΠΨΣgm* 41; *M alius uar. scr.* surg. (fug.) suscitat *Π* 41 *alius.* concutit *Fgp duo.* incitat *s.* territat 29. omne genus 8. 437. Hac deus *Λ.* obscena *DEr.* nimium pro parte *s. Gloss. b:* parte] uentro. 438. Omibus *E.* lumine *C uar. scr.* lum. uisus *b uar. scr.* 439. penas *DE.* autor *aliq. Heins.* et hoc est *G* 11. et hic est *E fort. ma. pr.* 29. hinc *Φ? credo negligentem fuisse editorem Francof.* 440. uictima sacra *ΠΨ* 41. grata mari 11. 441. solacia *Γ.* 442. Asuetum *Γ.* Adsuet. *Φ? b* Assiduum silu. *O.* Adsuetum in silu. *f.* 443. nidos quae plum. *tres ignoti. Φ? non credo.* plumis ora *Om.*
444. Quae facili *unus.* dulces colitis *s. Ita,* modos, *AFΓKΔgmp duodecim; C uar. scr.* sonos *reliqui.* 445. Sed nil *AΦPΨhmr ma. pr. duodecim.* nichil *Ebfr ma. sec.* nichil hec iuuant *Γ.* quia lingua *f.* 446. Diique *DEf.* putent *G.* 447. Non tamen *EFGΓΛΨΔTbfmr decem et uett. ed.* tamen id fals. *BCK* 8 *sex.* tamen est falsum *MΣ.* tamen id falso *duo.* falsum est nam *CEGΓKPΠbfhmr uett. ed.* diis *libri.* est *in fine abiic. ABPΣhm* 8 43 *uiginti.* 448. Nunc pinna *A* 43. penua uetitas 13. ueras editis ore *Σ. Gloss.* penna] ut praepetes *E.* praepete uolatu *b.* ore] ut occines *E.*

Tuta diu uolucrum proles tum denique caesa est:
Iuueruntque deos indicis exta sui.
Ergo saepe, suo coniunx abducta marito,
Vritur Idaliis alba columba focis.
Nec defensa iuuant Capitolia, quo minus anser
Det iecur in lances, Inachi lauta, tuas.
Nocte deae noctis cristatus caeditur ales,
Quod tepidum uigili prouocet ore diem.
Interea delphin clarum super aequora sidus
Tollitur et patriis exerit ora uadis.

Postera lux hiemem medio discrimine signat,
Aequaque praeteritae quae superabit, erit.

Proxima prospiciet Tithono Aurora relicto
Arcadiae sacrum pontificale deae.
Te quoque lux eadem, Turni soror, aede recepit
Hic, ubi Virginea campus obitur aqua.

449. diu uolucris *tres*. diu proles uolucrum *Γ*. tunc den. *EPΠ Σfr*. est *abi*. *h*. 450. iudicis p *in marg*. exta suo *A ma. pr*.
451. coniux *Φ*? *ullus*? adducta *ΠT quinque*. obducta *unus*. adiuncta *Σ alius*. 452. Vtitur *A* 43. Idaliis *coni*. *Heins*. ignitis *m*. in calidis *caeteri*. calidis blanda col. *Π* 41 *quinque*. 453. iuuent *A et F ma. pr*. 454. iecur *om*. *r ma. pr*. in latices *b*. *Ita*, inachi lauta, 2 *et aliquot Heinsii*. inache laute *ABCDEFGΦΓKΛM NOPΠΨΔTbhrs* 43 44 *duodeuiginti et uett. ed.*; *m uar. scr.* inache sancte *Σf*. inachi diua 12 23. inachi uacca *gmp* 2 *duodeuiginti*; *Δ uar. scr.* inachi bacca 8. inachi baccha 11. 455. Noctae *D*. Nocti deae *T*; *F uar. scr.* deae positis *A ma. pr. FΔ* 43 *tres*. dee poitus *b*. deae positus *A ma. sec. duo*; *F* 43 *uar. scr.* deae positae *M ma. pr.* deae nocti *Γr* 8. crist. creditur *K*. *Gloss*. deae] nictiliae 44. Vl' dee noctis *s*. nictimene quae est dea noctis sacrificatur gallus *b*. 456. Qui tep. *N*. trepidum *Δbg*. prouocat *B CΦNΨhm duodecim et uett. ed.* 457. delfin *E*. ecora *r*. aequore *s*. aethera *ΛOΨhm uett. ed.* sydus *D*. 458. et pateris *b*. exseiit *Φ*? 459. hieme med. *K*. 460. que praeteriit quae *b*. 461. Prox. perspiciet *P* 3 29. conspiciet *BCKTgmp*. respiciet 8 28. tytono *G*. tithone *p*. titono *DΣ*. thitono *br*. thithono *Γ*. tithono ut nuta relicto *A* 43. tithono nupta relicto *Φbm ma. pr.* 4)8 *tres*. 462. Archadiae *DEGΓr*. 463. Hec quoque *f*. eadem terra soror *m*. soror edere cepit *K*. 464. *Gloss*. aqua] lacu iuturne *E*. almo. ibi purgantur sacra ueste *Γ*. uirginea] alcione. quia quaedam uirgo cum ueniret ad obsidionem rome tybridem non potuit transire, unde dictus est uirginea aqua, *b*.

Vnde petam causas horum moremque sacrorum?
Dirigat in medio quis mea uela freto?
Ipsa mone, quae nomen habes a carmine ductum,
Propositoque faue, ne tuus erret honor.
Orta prior luna, de se si creditur ipsi,
A magno tellus Arcade nomen habet.
Hic fuit Euander. qui quamquam clarus utroque,
Nobilior sacrae sanguine matris erat,
Quae simul aethereos animo conceperat ignes,
Ore dabat pleno carmina uera dei.
Dixerat haec nato motus instare sibique,
Multaque praeterea. tempore nacta fidem.
Nam iuuenis nimium uera cum matre fugatus
Deserit Arcadiam Parrhasiumque larem.
Cui genitrix flenti, fortuna uiriliter, inquit,
Siste precor lacrimas, ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis. nec te tua culpa fugauit,
Sed deus. offenso pulsus es urbe deo.

465. petunt caus. *A.* horum moresque *N O g sex.* sacrorum est *G.* 466. *Sic*, Dirigat, *Φ* (*sec. Matth.*) *Π* et *quatuor.* Dirigit *D G Γ M N decem.* Derigit *A T.* Porriget 6. Diriget *qui restant cum uett. ed.* 467. Ipsa moue *Φ Σ T f.* quae carmen habes a nomine dictum *G.* carmine dictum *C D Φ Γ K O Π Ψ T b f g h p s quindecim et uett. ed.; M uar. scr.* 468. que foue *Δ.* que caue ne *Γ.* honos *Γ P* 3 *b r tres.* 469. Orta prius 33. se sic cred. *K b h* 11. si credimus *C test. Gron.* si credimus ipsis *B C* (*test. Heins.*) *m quatuor.* creditur ipsis *D b ma. pr.* creditur ulli *h* 2. creditur illi *P; s uar. scr.* 470. archade *E G b r.* 471. Hinc *D F M O P Π Δ g h m p r s aliquot et uett. ed.* qui quondam clar. *b.* qui quamuis *EK.*

473. Haec simul 11. ethereos concepit mente furores *Φ uar. scr.* animo perceperat *Γ.* an. collegerat 11. 474. Ora dab. plen. carmine *g.* dabat uero carmina plena *B C m tres.* 475. Dix. hoc *E ma. pr. N.* haec uates *Φ ma. sec.* 476. que *om.* 21. que praeterito *Π uar. scr.* tempora *f* 8 *tres.* 477. iuuenis uera nimium *Ψ g s.* 478. Deserat *T.* arcadium *K* 14. archad. *D E G Φ Γ b r.* parris. *Γ.* parras. *D E r.* parrasiosque lares *s ma. sec.* parrasiumque nemus *Φ f.* 479. genetrix *Φ*? fortuna tenaciter inq. *Δ.*

480. Siste puer lacrimas *E h tres et uett. editi; g uar. scr.* ferenda tua est *C.* est *abi. N duo.* 481. in factis *Δ.* fatis non te *quatuor.* Sic deus offenso, nec te tua culpa fugarat *Σ.* 482. Sic erat in fatis pulsus *Σ.* Nec tamen offenso *tres; s uar. scr.* Sed tamen offenso *tres.* deus infenso 15. es orbe *C Δ Σ; B p septem uar. scr.*

Non meriti poenam pateris, sed numinis iram.
Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.
Nec tamen ut primus maere mala talia passus:
Obruit ingentes ista procella uiros.
Passus idem est, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus in Aonia constitit exul humo.
Passus idem Tydeus, et idem Pagasaeus Iason,
Et quos praeterea longa referre mora est.
Omne solum forti patria est. ut piscibus aequor,
Vt uolucri, uacuo quicquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi, crede mihi, tempora ueris erunt.
Vocibus Euander firmata mente parentis
Naue secat fluctus Hesperiamque tenet.

483. Nec meriti *CFNΨbh uett. ed.* Nec merito *unus.* Nec meritis *Σ.* paenam, *uel* penam *libri, ut uidetur.* paenas *P quinque.* meriti pateris paenas *gs.* 484. magni crim. *Ab ma. pr.* crimen inesse *Ψ.* 485. Concia *Γbr.* ut quaeque *Λ.* est sic conc. *bf.* concipit infra *T.* concipit iram *r.* 486. Pect. profecto *f.* pro fato *BΓΠ* 41. 487. tamen et primus maeret mala *m.* ut reris primus mala *P ma. pr.* primus maeres *ΛΠΨΣTghps*; *Pr ma. sec. uett. ed.* maere male *ed. Ezen. mendose: incertum, num scripti.*
488. ingentes illa *Σ.* ingentes dira *floril. Berol.* ingentes magna *gs.* ing. laeta 8. procella domos 27. 489. idem tyriis *FGKMOPΔΣTfhs quatuordecim.* tiriis quondam qui *Γ.* quondam est pulsus *g.* quondam missus 40. ab horis *DEGr.* 490. Cathmus *Gbr.* Catmus *Γ.* Cahatmus *f.* in ionia *G.* in eonia *E ma. pr.* in haemonia *tres.* in aeolia *unus.* in ausonia *r ma. sec.* exsul *aliquot.*
491. *Vers. om. D.* idem est tydeus *KΠb.* idem theseus *g.* titeus *G ma. pr.* tideus *E.* *Ita*, pagasaeus, *uett. ed. et fort. ΦΨghs.* pegaseius *B.* pegasaeus *uel* pegaseus *reliqui.* 492. est *abi. quinque.* 493. est ceu pisc. *Π* 41. 494. Et uol. *BCΦ (notante Heins.) fm 8 decem.* uacua *A.* uacuum *flor. Berol.* 495. Et fera *Φ.* Nec sera *G.* *Ita*, horret, *m 8 quinque.* toto non errat *Φ.* tamen erret *Γb ma. sec.* 14. tamen errat *reliqui.* in aeuo *M uar. scr.* in orbe *gloss. r.* 496. Haec tibi *r.* Id. tibi *m.* En tibi 33.
497. *Ita*, firmata mente, *BCGh 5 decem Ald.* 1502; *g uar. scr.* firmata uoce *m.* firmatus mente *unus.* formata mente 8. euander firmus a mente *C uar. scr.* euander et firmus a mente *Γ.* euander et forma mente 43. euander et firma mente *AEFΦΛPΨΔbfgprs* 3 40 *tredecim.* euander et firmus mente *reliqui scripti et uett. ed.* mente paratus *b.* 498. fluctus italiamque *NPhs codex Iac. Gron. et undecim Heinsii; T uar. scr.* fluctus ausoniamque *M uar. scr.*

Iamque ratem doctae monitu Carmentis in amnem
  Egerat, et Tuscis obuius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt uada iuncta Tarenti,
  Aspicit et sparsas per loca sola casas.
Vtque erat, immissis puppim stetit ante capillis,
  Continuitque manum torua regentis iter.
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam
  Pinea non sano ter pede texta ferit:
Neue daret saltum properans insistere terrae,
  Vix est Euandri uixque retenta manu.
Dique petitorum, dixit, saluete locorum,
  Tuque nouos caelo terra datura deos,
Fluminaque et fontes, quibus utitur hospita tellus,
  Et nemorum siluae naiadumque chori!
Este bonis auibus uisi natoque mihique:
  Ripaque felici tacta sit ista pede.
Fallor, an hi fient ingentia moenia colles,

499. ratem monitu doctae **K**. monitis **Γ**. docte carmentis monitu in annem **E**. 500. Vexerat et **B C m** *quatuor*. thuscis **Φ**? **G**.
501. latus cuius ut uada **Γ**. latus cuius uada **K**. uada cuncta **b**. iuncta parenti **m** 8 *ma. pr.* iuncta terenti **C P** *ma. sec.* **h s** *ma. sec.* 8 *ma. sec. sex.* taren ... **G**. 502. Adsp. **Φ**? **r**. et solas per **M N O** *aliquot*. 503. Vtque humero immiss. **b**. erat intonsis **Σ**. erat incultis **O** *uar. scr.* erat hirsutis *idem itidem*. inmissis **E Γ r**. in missis **D G**. pupim **b**. pupem **Λ E N P Π Δ T g** *ma. sec.* **s** *„multi.“* puppem **D F G Φ Γ Λ Σ**. capillos **g** *ma. pr.* 504. manus **g s**; **Φ** *uar. scr. test. Heins.* manu **E** *ma. sec.* **G Φ** (*t. H.*) **Γ K Λ N P Π Ψ b** *ma. sec.* **m** *ma. sec.* 3 40 41. *octo*. torua tenentis *gloss.* **Λ**. reguntis 3.
505. dextr. tendit **Σ**. sua lumina 45? 506. non satis ter **b**. sano cum pede **Σ**. pede tecta **A C G** (*teste Heins.*) 43. 507. insistere ripae **F Φ**, *ut puto*, **Γ Λ M N O Π Ψ Δ Σ T b f h s** *multi cum uett. ed.*; **A P m p** *uar. scr.* 508. euandri diua retenta *unus*.
509. Diique **D E G Γ Z r**. saluetis loc. **G**. salu. deorum **Γ** *ma. pr.*
510. Tuque deos c. t. datura nouos **Z**. datura dies **b** *ma. pr.* datura nepotes **Γ** *ma. sec.* 511. Fulminaque **Γ**. et montes **Π**; **M** *uar. scr.* quibus utimur **Ψ**. *Post h. u. lacuna octo foliorum in* **G**.
512. *Ita*, nemorum siluae, **A B C D F O P Ψ Δ** *ma. pr.* **b f m p s** *ma. pr.* 3)8 43 *duodeuiginti*. nemorum deae **C** *uar. scr.* nemorum diuae **h** *duo alii*. nemorum uisae **A** *uar. scr.* (? 29?) nemora et siluae **Ψ** *uar. scr.* nemorum nimphae *qui restant cum uett. ed.* nayad. **b**. que thori **Z**. cori **E**. 513. bonis animis **m** *ma. pr.* uisae **K Z** *ma. sec.* michique **D E** *al.* 514. Istaque fel. ripa sit icta pede **Π** 41.
515. an hii montes ing. menia fient **b**. hii **E Z**. hi facient **m**. fiant **T**. ingencia **Γ**. menia **D E**.

Iuraque ab hac terra caetera terra petet.
Montibus his olim totus promittitur orbis.
Quis tantum fati credat habere locum?
Et iam Dardaniae tangent haec littora pinus:
Hic quoque causa noui femina Martis erit.
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
Indue. non humili uindice caesus eris.
Victa tamen uinces, euersaque Troia resurges:
Obruet hostiles ista ruina domos.
Vrite uictrices Neptunia Pergama flammae:
Num minus hic toto est altior orbe cinis?
Iam pius Aeneas sacra et sacra altera, patrem
Afferet: Iliacos accipe, Vesta, deos.
Tempus erit, cum uos orbemque tuebitur idem
Et fient ipso sacra colente deo.
Et penes Augustos patriae tutela manebit:
Hanc fas imperii frena tenere domum:
Inde nepos natusque dei, licet ipse recuset,
Pondera caelesti mente paterna feret.

516. cetera turba 8 (*sec. Ciof.*) *duo*. terra petent *Z*. terra petit *f ma. pr.* terra feret *M uar. scr.* 517. totus permittitur *tres*.
518. fatum *Δ*. credit *T*. credet *f*. 519. At iam *O*. dardanidae *Γ O T b r duo*. tangunt *b*. litora *D alii*? littora puppes *s*. littora pupe *cod. Iac. Gron.* 520. martis erat *A ma. pr. Gloss. E:* quoque] ut troie. 521. Chare *aliquot Heins.* pallas *Γ*. fun. cur ind. *f*. 523. Vincla tamen *Δ*. tamen quamuis euersaque *K*. resurget *Γ ma. pr.* 524. Obruit *A D b ma. pr. r ma. pr.* Obtinet 44. hostil. icta ruina *Ψ*. 525. neptunia maenia *E h s quinque*; *g uar. scr.* pergama troiae *M*. 526. *Ita*, Num minus, *tres ignoti*. Num minor *tres alii*. Non minus 8 *duo*; *g ma. sec. in marg.* Nec minus *Z*. Non minor *E ma. sec. Δ b g p quatuordecim et uett. editi*; *C uar. scr.* Nunc minor *reliqui*. minor in toto *Δ Π Σ f* 44. alcior *Σ*. celsior *alius*. 527. Nam pius *Ψ g p tres*. sacra altera et altera patrem 33. patrem *in rasura Z*. 528. Adf. *Φ*? Afferat *P* 3)5. Auferet 33. iliacos excipe *B C Z m* 8 *decem*. accipe terra *g uar. scr. Gloss. E:* uesta] o romana terra. ueste 43. 529. quum *Z*. *Gloss. D:* quia rex et sacerdos iulius et deinceps omnes augusti.
530. *Vers. deest D*. fiunt *h*. ipso *in ras. Z*. sacra tuente *E uar. scr.* sacra colenda *duo*. 531. Cum penes *b* 227. manebis 10.
532. Hanc decet imperii *f ma. sec.* fas est imp. *E ma. pr.* imperii sceptra *M* 40. imp. regna *b*. imp. iura 34. frena tenente *Σ*.
533. Vnde nepos *gloss. Δ*. Inde satusque neposque dei 2. licet usque rec. 29. recuses *A* 43.

Vtque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
Sic Augusta nouum Iulia numen erit.
Talibus ut dictis nostros descendit in annos,
Substitit in medios praescia lingua sonos.
Puppibus egressus latia stetit exul in herba.
Felix, exilium cui locus ille fuit!
Nec mora longa fuit. stabant noua tecta, nec alter
Montibus Ausoniis Arcade maior erat.
Ecce boues illuc Erytheidas applicat heros
Emensus longi clauiger orbis iter.
Dumque huic hospitium domus est Tegeaea, uagantur
Incustoditae lata per arua boues.
Mane erat. excussus somno Tirynthius hospes
De numero tauros sensit abesse duos.
Nulla uidet quaerens taciti uestigia furti:
Traxerat auersos Cacus in antra feros:

535. Atque ego *T.* perpet. quondam *g s.* 536. nouum liuia *p s ma. sec.* 43 *septem et uett. ed.*; *g uar. scr.* iulia nomen *ACΠT bm* 8 41 *octo.* nomen habet 41. erunt *Ψ*; *T uar. scr.* 537. Talibus auspiciis nostros *BCZm* 4 8 13 22 28. ut nostros dictis *h*, *nullus praeterea.* nostros ascendit *b.* descendit ad annos *BK gloss. in b.* desc. in agros *Of* 28; *M et quinque uar. scr.* desc. ad agros *C Zm* 4 8 13 22. in amnes *E correcto* annos *ab ant. man.* 21. 538. in medio p. l. sono *ΦKΛ?PΨ?ΣZhr* 40 *undecim aut tredecim et uett. ed.* in mediis p. l. sonis *f.* 539. Pupibus *Er.* exul arena *b duo.* in hora *f.* in urbe *p alius.* 540. exilii *T.* auxilium *g.* locus ipse *s.* 541. tecta neque alter *AΔp.* 542. archade *D EZr.* 543. illic *CΠΨTZf quinque.* eritheidas *BCF editi saec.* xv. heritheidas *EZr.* erytheus *T.* ericthedas *b.* erytreides *h.* erythraeidas *Ald.* 1502. erictheidos appulit *D.* ericteidas appulit *f.* Ecce breuis illuc euristeus appulit heros *K.* applicat oras 29.

544. Emersus *m.* longe *b.* 545. Dumque hoc *Ψ.* hospicium *E.* est tegeea *gm ma. sec. r sub ras.* est tegea *ABCDEFΛPΠΔb fp.* 546. late *C.* laeta *Zm* 8 *quatuor.* arua greges *s ma. sec. et triginta unus.* 547. sompno *Eb.* tirynthius (tirintius *E*, thyrinthius *D*, tirincius *Σr*, tyrinchius *b*) heros *CDEFΛPΠΔΣZb fghprs* 3 *uett. ed.*; *A uar. scr.* tirynthius auctor *A.* 548. thauros *D.* sentit *ABCMOΨZh* 8 43 *quindecim.* 549. Nulla uidens quaerens *K.* uidens quaerit *DΠ* 41. uidet taciti quaerens *Λ b sex, uett. ed.* 550. aduersos *C?EPΠΨΔΣbfhr* 3 „*multi.*" aduersus *g.* auersus *s.* cacus ad antra *T* 8 33 34 35. *Ita*, feros, 23: *de Φ non credo.* ferus *D.* antra boues *Σ nouem et uett. editi*; *p uar. scr.* antra ferox *reliqui.*

Cacus, Auentinae timor atque infamia siluae,
  Non leue finitimis hospitibusque malum.
Dira uiro facies. uires pro corpore. corpus
  Grande. pater monstri Mulciber huius erat:
Proque domo longis spelunca recessibus ingens
  Abdita, uix ipsis inuenienda feris.
Ora super postes affixaque brachia pendent,
  Squalidaque humanis ossibus albet humus.
Seruata male parte boum Ioue natus abibas:
  Mugitum rauco furta dedere sono.
Accipio reuocamen, ait. uocemque secutus
  Impia per siluas Victor ad antra uenit.
Ille aditum fracti praestruxerat obiice montis:
  Vix iuga mouissent quinque bis illud opus.
Nititur hic humeris. caelum quoque sederat illis:
  Et uastum motu collabefactat onus.
Quod simul euersum est, fragor aethera terruit ipsum
  Ictaque subsedit pondere molis humus.
Prima mouet Cacus collata proelia dextra,

551. auent. tremor 24. 553. Dura *ΛEFΦOΔΣgr sub ras.* 43 *sedecim et Ciof.*; *Ψ uar. scr.* Mira *C.* uiri *D.* 554. mulcifer *BDKΛOPΠ* 8 *decem.* 556. Obdita 8. Abd. bis ips. *Z uar. scr.* uix ullis *duo.* 557. Oraque *E ma. pr.* affissaque *C.*
558. Scalida *PΔ.* oss. albus *Σ.* 559. *Ita A* 43. abibat *caeteri.* 561. *Ita*, reuocamen, *ABDEΦΛMNOPΨΣbfr* 4 8 13 *octo cum uett. editis*; *Π uar. scr.* reuocamur *Z et qui restant.* uocesque *Φ.* 562. Inpia *f.* siluas ultor *BCΦKΛZ* 4 8 13 *decem*; *ms uar. scr.*; *g fort. sub ras.* uict. in antra *Π* 41 *tres.* antra redit *E.* 563. aditum uasti *gs.* aditum saxi *f.* aditum strati *Λ.* perstruxerat *ΛΠΔΣ*; *BC uar. scr.* perstrusserat *h.* perstrinxerat *BP* 3. obice *DEbfr.* obice saxi *Λ.* 564. Bis iuga *A.* nou. *b.* *Ita*, opus, *DFT ma. pr. b m ma. pr.* 43. honus *EΦ.* onus *reliqui scr. et impr.* 565. *Hic uers. cum sequente deest in Z et in m ma. pr.* Nit. hinc *Ψ uar. scr.* hic humero *B.* quoque . . ederat *E.* quoque sustulit *T.* sederat illi *BCf.* 566. honus *E.* humus *M ma. pr.* 567. Et semel eu. *s.* simul euulsum est *Σ? b* 2)47 *quatuor et uett. editi*; *M uar. scr.* euersum fragor *f duo alii.* aethera uerberat *duo*; *p uar. scr.* aethera concitat *tres.* 568. Iactaque *ABCEKΣm* 43. Actaque *O.* . . otaque *Z.* Lectaque *P ma. pr.* Laxaque *duo.* Laesaque *unus.* pondere mollis *CEFMNOPΠ ma. pr. ΨΔTbfms uiginti fere et uett. ed.* 569. Arma mou. *C.* mouit *b.* collecta *P.* collataque *T.*

Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit et flammas ore sonante uomit.
Quas quotiens proflat, spirare Typhoëa credas,
Et rapidum Aetnaeo fulgur ab igne iaci.
Occupat Alcides, adductaque claua trinodis
Ter quater aduersi sedit in ore uiri.
Ille cadit, mixtosque uomit cum sanguine fumos,
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum
Victor et Euandrum ruricolasque uocat:
Constituitque sibi quae Maxima dicitur, aram
Hic, ubi pars urbis de boue nomen habet.
Nec tacet Euandri mater prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo.
At felix uates ut dis gratissima uixit,
Possidet hunc Iani sic dea mense diem.

Idibus in magni castus Iouis aede sacerdos
Semimaris flammis uiscera libat ouis:

570. Remque feram *B.* ferus *Z.* feris *M T.* feror *b.* stipitibusque monet *E.* que mouet *K.* que facit *gloss.* *Λ.* 571. Quis cum *M.* arces *K.* 572. Effugit *T.* ore uomente *Ψ.* ore tonante *Σ.* 573. quot. perflat *B C E P Ψ Δ T g h* 3 *uett. ed.* conflat *N.* efflat *K.* proflat proflare typh. *M.* spirare tithona *C.* 574. rabidum *C.* rapidam *Z.* rap. aethereo *Π Z b septem.* ethneo *D E r.* fulgor *P.* ab ore iaci *D.* igne rapi *T.* ieci *E ma. pr.* 575. alchid. *f.* abductaque *F M b f h uett. ed.* clana *E.* clare *edd. saec.* xv.
576. aduersus *A* 3. aduerso *K M N O Π g m s* 8 *quindecim; C uar. scr.* auersi *Φ ma. pr.* in ora *B C Φ T Z f quatuor et uett. ed.*
577. mixtoque *P Ψ r* 334 *septem; C uar. scr.* que *om.* *Φ.* mixtasque u. c. s. flammas *N T b g ma. sec. h quindecim et uett. impr.*
578. late *Λ.* lato mouens *E ma. pr.* pectore plaudit *b.* tangit 8 *tres.* pulsat *Λ* 5 *alius.* 579. illis taurorum iupiter *Φ.* iupiter *D E.* 580. ruriculas *P.* 581. Instituitque *B C m duo; p uar. scr.* ara *B Z ma. pr. m. Gloss. E:* ecce quare de hercule induxit.
582. Haec ubi *P; C uar. scr. Gloss.* bouilla *r.* bouilla nunc quoque *D.* 584. quo tempus *m.* 585. felix mater *M.* uates et diis *m.* ut diis *E uett. ed.* uates undis gratiss. *A B D F* 10 *duo. gloss. D:* spes et gaudium undarum quia nimpha fuit. gratissima dixit *B C Z m ma. pr.* 8. uixti *Λ.* 586. Poss. hanc *O Σ T h* 35 *tres.* sic quoque mense *Σ.* dea facta diem 35. 587. magni castissimus aede *Δ.* 588. flammas *duo.*

Redditaque est omnis populo prouincia nostro
Et tuus Augusto nomine dictus auus.
Perlege dispositas generosa per atria ceras,
Contigerunt nulli nomina tanta uiro.
Africa uictorem de se uocat. alter Isauras,
Aut Cretum domitas testificatur opes:
Hunc Numidae faciunt, illum Messana superbum:
Ille Numantina traxit ab urbe notam.
Et mortem et nomen Druso Germania fecit.
Me miserum, uirtus quam breuis illa fuit!
Si petat a uictis, tot sumat nomina Caesar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex uno quidam celebres aut torquis adempti,
Aut corui titulos auxiliaris habent.
Magne, tuum nomen rerum est mensura tuarum:
Sed qui te uicit, nomine maior erat.

589. est hominis Λ. est om. E ma. pr. Redditaque immunis suadeo. est olim E uar. scr. pop. prudentia uestro m. pronuncią C. prou. uestro K 4)8. 590. dictus honos s et alius uar. scr.

591. depositas P 3. Ita, generosa, BCDΦKNΨZgmps 8 12 33 34 35 36 40 undetriginta et edd. saec. xv; ΛMb 44 uar. scr. annosa h 47 Ald. 1502. numerosa duo. cinerosa AEFΛMOPΔΣ Tbfr 3)8 (test. Ciof.) 39 et reliqui; CΦΛNZb 44 uar. scr. Gloss. cinerosa] propter uetustatem r. uel propter sacrificia Φ. centrosa coni. Iac. Gron. onerosa 44 pro uar. scr. caeras D. 592. Ita A 43. Contigerint Φ (test. Heins.) MPg octo et edd. saec. xv; p uar. scr. Constiterint N. Contingunt D. Contingant K; Φ uar. scr. Congregant Σ. Contigerant reliqui. nullo T. 593. Affrica DEr. uocat: alitis aura A 43. hisauras DE. isauros C (test. Gron.) OΠ. isaurum p quatuor et uett. impr. isaura Φ. isauram alius. 594. Curetum dom. 41. Vt cretum 40. Hic cret. M uar. scr. Aut cretam p uar. scr. certum D. Aut regum dom. Φ. 595. mesana D. mesena Φ. mesala f. 596. numantinam f. 597. nomen fecit germania druso CΣ. 598. miseram Ψ. uirtus tum breu. C uar. scr.

599. Si petit Ψf. petet Πr. uictis sumet tot nom. Πgs. uictis nomen tot nomina D. gloss.: nomina] babere posset D. tot sume nom. C. tot sumere nom. f. tot sumet EF ma. sec. ΦΛMOΨΣ Tbhr uiginti fere et uett. edd. 600. Quod A. orbis om. D ma. pr. 601. uno quidem Σ. torq. adepti m sex. ademptae BPbg s 3 duo; 8 uar. scr. adeptae Z tres. Gloss. uno] facto DE. ex una re b. non solum a gente uicta D. 602. auxil. habet Λhs 8 12 quatuor. 603. nomen superest mensura P 3. rerum om. D. est om. BCEΨΔTZm quinque. tuarum est Z ma. sec. 604. Sed quae A. re uicit suadeo. uicit te quoque maior CDPTZfhmp 8 12 duodecim; g uar. scr.

Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus:
Illa domus meritis Maxima dicta suis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes,
Hic socium summo cum Ioue nomen habet.
Sancta uocant augusta patres. augusta uocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.
Huius et augurium dependet origine uerbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:
Protegat et uestras querna corona fores.
Auspicibusque deis tanti cognominis heres
Omine suscipiat quo pater, orbis onus.

Respiciet Titan actas ubi tertius idus,
Fient Parrhasiae sacra relata deae.
Nam prius Ausonias matres carpenta uehebant:
Haec quoque ab Euandri dicta parente reor:
Mox honor eripitur. matronaque destinat omnis
Ingratos nulla prole nouare uiros.

605. *Ita* *BCDKZ* *ma. sec.* *bg* *ma. sec.* *m* 4)8 *tredecim.* Non *Λ.* est ultra fabio *Z* *ma. pr.* est supra fabios *AFΦNΔΣ* 43 *tres;* *C* *uar. scr.* est fabios ultra *unus;* *s* *uar. scr.* est fabios supra *qui restant et uett. impr.* 608. socium magno *h* 12 *duo.* numen *EFΛΠΔΣTfg* *ma. sec.* *mps* 40 41 *uiginti tres et uett. impr.;* *Cr* *uar. scr.* 609. Sacra *E* *ma. sec.* *MΨbps* *sex et uett. ed.* S. patres aug. uocant *ΦKp* *tres.* augusta patres *in ras.* *Z.* 610. sacerdotis *Φr.* rite sacrata *h* *tres.* diata *D.* 611. Huius *in ras.* *g.* depend. originis urbi *A* *ma. sec.* *BC* *ma. sec.* *E* *ma. sec.* *FΦΛMNPΠΨΔΣTfr* *sub ras.* *s* *ma. pr.* 3)8 (*Ciof.*) 36 37 38 40 41 *undeuiginti et imprr. saec.* xv; *DOg* 44 *pro uar. scr.* dependet nominis urbi *K.* 612. quodcunque *D.* iopiter *P.* iupiter *DE.* 614. *Ita,* uestras, *ABCDE* *ma. pr.* *FKΨmpr* 4 8 12 43 *et decem.* et meritas 33. et querna fronde corona *T* *alius.* et nostras *reliqui et uett. impr.;* *D* *uar. scr.* nostras laura cor. *N* *uar. scr.* *Gl. D:* corona] sicut iouis uel patris sui. 615. Auspiciisque dei *s.* dei *r.* dies *A* 43. dis *Φ.* tanti *in ras.* *br.* *Gloss.* heres] germanicus *Er.* 616. suscipias *B.* suscipiet *T.* pater urbis *BEFΦΛMNOPΠΨΔΣTfghr* 3 43 *plus triginta et uett. ed.;* *p* *uar. scr.* honus *Er.* honos 43. 617. Respiciat *E* *ma. pr.* *Σ.* Resp. pactas titan *Π.* tytan *DE.* actas uti *fort.* *E* *sub ras.* tercius *DE.* tertius idem *m* *ma. pr.* 618. parras. *DE.* paras. *fr.* sacra relicta *A* *ma. pr.* *Λfp* 43. sacra prolata *Σ.*

619. capenta *E* *ma. pr.* uehebant *in ras.* *Z.* 621. Par honor 33. 622. prole iuuare *KΣZm* 4)8 *quatuor.* prole leuare *quin-*

Neue daret partus, ictu temeraria caeco
  Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas,
  Ius tamen exemptum restituisse ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeaeae sacra parenti
  Pro pueris fieri uirginibusque iubent.
Scortea non illi fas est inferre sacello,
  Ne uiolent puros exanimata focos.
Si quis amas ueteres ritus, assiste precanti,
  Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placantur Postuertaque, siue sorores,
  Siue fugae comites, Maenali diua, tuae.
Altera quod porro fuerat, cecinisse putatur:
  Altera, uenturum postmodo quicquid erat.

Candida, te niueo posuit lux proxima templo
  Qua fert sublimes alta Moneta grădus,

que. iuu. manus *m.* nou. deos *M.* mares *nullus.* 623. temeraria certo *duo.* tecto Σ. 624. excuciebat *DE.* honus *Er.*

625. inmicia *E.* immit. matres *Δ.* 626. eremptum *p uar. scr.* exertum *A* 1043. exceptum 8 (*test. Ciof.*) *duo.* ereptum *DFΔN OΠTh uiginti fere et uett. ed.*; *Φ uar. scr.* tamen amissum *BC Φ ma. sec. KZfm* 8 (*test. Heins.*) *sex.* admissum *Φ ma. pr.* tamen ablatum Σ. 627. Tina nunc *Φ ma. pr.* Bina tunc pariter *f.* que non pariter *Zm.* nunc part' *in ras. E.* nunc patres *Ns.* teageae *b.* tegeae *BCDE ma. sec. in ras. PΠf plures, ut opinor.* thegeae *r.*

629. Scorthea *r.* Scorteo *C.* non ulli *T duo.* est intrare *Π* 41 *tres.* sacelli *C.* 630. Nec *N.* Nunc *fort. D ma. pr.* uiolant *O.* Ne tennent pueros exan. *Z.* examinata *EΦ*; *P uar. scr.* excc̄romata *C uar. scr.* exta cremata *fg* 493334 *duodecim*; *B uar. scr.* extenuata *unus.* contaminata *Φ uar. scr.* 631. amat *m*; *Ψ uar. scr.* am. ritus ueteres *Br alius.* absiste *Δ.* asiste *E.* adsiste *ullus?*

632. praecipies *duo.* 633. Porria *p uar. scr. Ita,* placantur, *D ENs tres.* paccatur *Φ.* placatur *reliqui omnes et uett. ed.* postuentaque *BCps octo et uett. ed.* postuersaque *D* 1444. p'uertaque *Ef.* posuertaque *K.* pouertaque *NΣ.* p'uertadaque *r.* puerataque *b.* 634. maenala *DK.* maenali nympha 4)9 *quinque*; *C uar. scr.*

636. Alt. uersurum *Z ma. sec. m ma. pr.* quicquid erit *A ma. sec. MPΠΔghr.* 637. te in niueo *b.* te nisae (*supra scr.* l. bacchae) opposuit lux *F duo alii.* te nise posuit *r.* opposuit *P.* lux maxima *unus.* lux candida *m ma. pr.* lux candida caelo *f.* 638. Quo fert *Δ.* alta fenestra *unus. Gloss.* moneta] quia monuit romanos in insidiis senonum gallorum per anserem auem suam. *D.*

Nunc bene prospicies latiam, Concordia, turbam:
　Nunc te sacratae constituere manus.
Furius antiquam populi superator Etrusci
　Vouerat, et uoti soluerat ille fidem.
Causa, quod a patribus sumptis secesserat armis
　Volgus, et ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior. passos Germania crines
　Corrigit auspiciis, dux uenerande, tuis.
Inde triumphatae libasti munera gentis,
　Templaque fecisti quam colis ipse, deae.
Haec tua constituit genitrix et rebus et ara,
　Sola toro magni digna reperta Iouis.

Haec ubi transierint, capricorno, Phoebe, relicto
　Per iuuenis curres signa gerentis aquam.

639. Non *E ma. pr.* Hinc *Φ r alius.* prospiciens *A B C Ψ quatuor.* prospicias *N Δ g quatuor; M uar. scr.* laciam *E.* 640. Hic te *quatuor sec. annot. impr.* sacr. restituere *Z m* 8 13 *sex.* 641. Fuluius 12. Surius, Curius *gloss. Δ.* antiquum *duo, fort. m sub ras. et nescio qui uetus impr.* antiqua *Δ duo.* antiqui *D K O T b ma. sec. f g m ma. sec. p s gloss. Δ* 8 *Ciof.* 33 34 35. *duodetriginta et uett. impr.* antiquo *P alius.* antiquus *N Π Ψ b ma. pr. r* 40 41 *septem.* antiqus *Φ.* super. enursi *C uar. scr.* hetr. *uett. ed.* 642. uoti fecerat *h* 12. solu. ipse 6. inde, iste, ista, illa *singuli.* solu. ante *Z m* 8 13 22 23 24 29. 643. sumpt. decesserat *B C Z f m quatuor.* successerat *Δ ma. pr.* 644. Vulgus *libri praeter A.* 645. pansos *A* (pansus *sec. Gron.*) *et tres.* panssos *E.* pasos *P alius.* parsos 43. sparsos *B C D Δ N O Π Σ T b f g h m r plus uiginti et uett. ed.; Φ p uar. scr.* pressos *Ψ septem; C uar. scr.* germ. cernes *K.* 646. Porrigit *D E Φ O Ψ Z b g m* 8 *et quindecim fere.* Colligit *P ma. sec.* 3 41; *Ψ Z uar. scr.* Comprimit *unus; g uar. scr.* Corrigat *unus.* Corripit 17. *Gloss. r:* Corrigit] desecat. 648. fecistis *m.* fecisti quae *D E fort. sub ras. Φ K P Σ T g; Ψ b uar. scr.* quae colit *Z.* colis esse *f.* ipsa *Z m tres* (*sec. ann. impr.*) ipse die *Φ.* 649. *Vers. cum seq. in marg. al. ma. f.* Hanc *B m duo.* Nec *K.* genitr. quae reb. *tres; g uar. scr.* genitr. quae et reb. *unus.* et aris, auro *singuli.* 650. reperta dei 8 *uar. scr.* thoro *D E r alii.* 651. Hanc ubi *m alius.* transierunt *Δ tres.* transierit *duo.* transieris *duo et uett. ed.* kapricorno *A.* phebe *D E.* 652. Peruenies curru signa *m.* curris *C.* curras *M.* signa tenentis *p.* regentis *reliqui scr. et ed.* gerentis *coni. Heins.* regentis iter *f.* regentis aquas *F O T h s pauci.*

Septimus hinc oriens cum se demiserit undis,
  Fulgebit toto iam lyra nulla polo.

Sidere ab hoc ignis uenienti nocte leonis
  Qui micat in medio pectore, mersus erit.

Ter quater euolui signantes tempora fastos,
  Nec sementina est ulla reperta dies:
Cum mihi, sensit enim, lux haec indicitur, inquit
  Musa. quid a fastis non stata sacra petis?
Vtque dies incerta sacri, sic tempora certa,
  Seminibus iactis est ubi fetus ager.
State coronati plenum ad praesepe iuuenci:
  Cum tepido uestrum uere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendat aratrum:
  Omne reformidat frigore uolnus humus.

653. Sept. hic *B.* hinc ortus *O P.* *Sic*, demiserit, *A C D F Δ g h m p* 8 *undeuiginti et ed. Rub.* dimerserit *B b.* demerserit 29. dimiserat *Σ.* dimiserit *reliqui.* comınis. *nullus.* 654. Fulgebat *Σ p*; *C uar. scr.* Fulg. nullo *A F ma. sec.* *Δ M N O Ψ Δ* 43 *quatuordecim et uett. ed.*; *C Φ P uar. scr.* Fulg. pullo 40 44. toto nam *h.* lira *E r.* nulla celo *f.* 655. Siderae *Z.* ignis octaua nocte *E ma. pr.* uenientis *Z.* 656. Emicat in *b ma. pr.* micat *in ras. Z.* pect. mensus *E ma. pr.* 657. sign. nomina *Ψ.* temp. menses *f.* fastus 23. 658. sementinae est *B g s quinque et uett. ed. praeter Vic.*; *b uar. scr. Gloss.*: sementina, dea quae praeest sementi *h.* sementita *A E ma. pr.* *M N Δ T p r* 8 *decem.* sementitia *C b ma. pr.* 43; *Φ uar. scr.* sementiua *D E ma. sec.* *Φ O P Π Z b ma. sec.* *r ma. sec.* *septem.* est illa *C m duo.* 659. Tum *g ma. sec. uett. ed.* sentit *tres.* lux hoc *E ma. pr.* haec non dicitur *P p* 3 *alius.* inducitur *m.* inciditur *Φ*; *m uar. scr.* 660. quid in fast. *K.* quid a sacris *Π* 41. fast. nec stata *b s.* fastis menstrua *unus.* non sacra stata *B C.* stata signa *D.* stata festa *f.* 661. *Hoc dist. post sequens pon. Z.* dies non certa *b.* *Ita*, sacri, *C D E Φ K P ma. sec.* *Δ T* 3 *sex.* incerta est sacri *Σ.* sacri est sic *B M Π tres.* sacra est sic 8. sacra *P ma. pr.* 10; *C uar. scr.* sacro *A M N.* sacris *reliqui.* *Ita*, tempora certa, *C D E sub ras.* *K m* 48 40 *octo.* tempore certo *reliqui.* certo est *N.*

662. Semin. laetis *B* 4)8 *quinque.* ubi *erasum in E.* foetus *D.*

664. Dum tepido *F Δ Π T b g p r* 5 *tredecim.* *Gloss.* donec *r.*

665. Villicus emer. 48 29. emer. plano *B.* paulo *F Σ.* suspendit *A ma. pr.* *B D E F Φ Δ O P Π ma. pr.* *Σ T Z b g m r s* 3 *uiginti unus, uett. impr.*; *p uar. scr.* suspendet *f.* 666. reform. frigida *D F Φ K Z g m* 4)8 *octo.* uulnus *libri praeter A.*

Villice, da requiem terrae semente peracta,
  Da requiem terram qui coluere, uiris.
Pagus agat festum. pagum lustrate, coloni,
  Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Ceresque
  Farre suo grauidae uisceribusque suis.
Officium commune Ceres et Terra tuentur.
  Haec praebet causam frugibus, illa locum.
Consortes operum, per quas correcta uetustas,
  Quernaque glans uicta est utiliore cibo:
Fructibus immensis auidos satiate colonos,
  Vt capiant cultus praemia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus:
  Nec noua per gelidas usta sit herba niues.
Cum serimus, caelum uentis aperite serenis:
  Cum latet, aetherea spargite semen aqua.
Neue graues cultis Cerealia rura, cauete,
  Agmine laesuro depopulentur aues.
Vos quoque, formicae, subiectis parcite granis:
  Post messem praedae copia maior erit.

668. Da terrae requiem qui 43. terras qui *T.* terrae qui *A alius.* terrae quam col. 8. terrae et qui *K.* 670. data *K.* ann. festa *duo.* 671. frugum matres *libri praeter BCDZgs et uett.* impr.

674. causas *ΨT sex.* 675. Consortesque operum *D.* Consortes superum *Fb quinque.* Cons. operis *O alius.* Cons. superis *AEΔMNPΔTprs* 38931 *liber Iac. Gron. et quatuordecim; C uar. scr.* Cons. superi 43. per quos *E* 43. correpta *CEKΔNOPΠΔΣZbg ma. sec. hmrs* 39314041 *uiginti duo; p uar. scr.* corrupta *f.* 677. Frugibus *BCDΔOZgmps* 40. inmensis *CEK.* saciate *E.* sociate *g.* sacrata *TZ.* auid. augete *Z uar. scr.* 678. Et capient *f.* Vt cultus capiant *C.* (cap.) fructus *ΠT* 41 *tres; C uar. scr.* cultu pr. d. suo 11. 679. date continuos *Δ.* sement. actus *MOΔ.* austus *E.* haustus *duo; C uar. scr.* 680. Ne noua *BΔTf; P uar. scr.* gel. herba sit usta *AFPTgprs undeuiginti.*

681. aper. secundis 2. serenum *Φ.* 682. latet hesperia *m.*

683. graues cultus *A* 5841 *duo.* cereal. culta *EFΔNPΔΣTmr ma. pr.* 3 *decem.* cereal. cuncta *liber Iac. Gron.* cereal. iura 41. cereal. dona *MΠΨbghpr ma. sec. s aliquot scripti et uett. impr.*

684. laesuros *T.* laes. ne populentur 4)8 *ma. pr.* depopulantur *Σf.* depopulatur *b.* 685. quoque suppositis formicae parc. 6. quoque subiectis formicae *E ma. sec. ΔNΔTbhrs uiginti fere cum uett. impr.* 686. mensem *duo.*

Interea crescat scabrae robiginis expers,
Nec uitio caeli palleat ulla seges.
Et neque deficiat macie, neque pinguior aequo
Diuitiis pereat luxuriosa suis.
Et careant loliis oculos uitiantibus agri:
Nec sterilis culto surgat auena solo.
Triticeos fetus, passuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fenore reddat ager.
Haec ego pro uobis, haec uos optate, coloni,
Efficiatque ratas utraque diua preces.
Bella diu tenuere uiros. erat aptior ensis
Vomere. cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant, uersique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat.
Gratia dis domuique tuae. religata catenis
Iam pridem uestro sub pede bella iacent.
Sub iuga bos ueniat. sub terras semen aratas.
Pax Cererem nutrit. pacis alumna Ceres.

At quae uenturas praecedet sexta kalendas,
Hac sunt Ledaeis templa dicata deis.

687. crescat scabie rub. *f.* crescat messis rub. *Φ.* rubig. *libri praeter* *Λ* 43. 688. Ne uitio *Π.* pall. usta (*Λ sec. Gron.*) *ΦΨ* *h ma. pr. tres et editi saec.* xv. pall. aegra *BCDZgm* 8 *undecim*; *p uar. scr.* pall. ullus ager *E.* ulla ceres *duo*; *g uar. scr.* 689. At neque *O.* Et ne def. *Σ.* deficiant *m.* macie nec *BDΛNTZ fm duodecim.* macie neu *duo.* 690. luxur. seges *O.* 691. car. totis *m ma. pr.* car. oculos loliis *NΔ.* uiciant. *DE.* uitantibus *K.* uincentibus 8. uit. aegris *m.* 692. ster. stulto *m*; *C uar. scr.* culto crescat *duo.* spargat *f.* auena loco *Σ*; *E uar. scr.* 693. Tritic. segetes *T.* fructus *M.* faetus *D.* 694. Ordeaque *EZfr.* faenore *D.* 695. Hoc ego, hoc uos *hm duo alii et uett. ed.*, *nullus praeterea.* aptate *s.* 696. Efficiantque 28. 697. diu deluere *unus.* 700. Fractaque *edd. Ven. Vic. Ald.* que pro rasti *Π.* 701. diis *DEZ.* que suae *Z.* 702. pridem nostro *BΦΔ septem.* 704. cererem mittit *m tres.* alumpna *DE.* alumna seges *r.* 705. Et quae *Λ duo.* At iam uenturas *Δ.* Atque ubi uenturas *duo.* praecedet *BCm* 8 *septem.* praecedat 14. praecedis *unus.* 706. Haec sunt *KZ.* Hac fert led. *Λ.* ledacis *h.* dic. die *f.*

Fratribus illa deis fratres de gente deorum
Circa Iuturnae composuere lacus.

Ipsum nos carmen Pacis deduxit ad aram.
Haec erit a mensis fine secunda dies.
Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, et toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoque causa triumphi.
Tu ducibus bello gloria maior eris.
Sola gerat miles quibus arma coerceat, arma:
Canteturque fera nil nisi pompa, tuba.
Horreat Aeneadas et primus et ultimus orbis:
Si qua parum Romam terra timebat, amet.
Thura, sacerdotes, Pacalibus addite flammis,
Albaque perfusa uictima fronte cadat.
Vtque domus quae praestat eam, cum pace perennet,

707. Fratr. ista Σ. illa die *D*. illa dies *ABCEFΦ* (*ut puto*) *Δ MNOPΠΨΣTZbfghmprs* 43 *alii et uett. ed. Alterum etiam p uar. scr. et gloss. Δ*. 708. Circaque iut. *b ma. pr.* compos. latus *b uar. scr.* 709. *Ita Db* 8 *quinque*. Ips. uos *Φ alius?* deducit *BCΦZg sex*. deducat *unus uel duo*. carmen deducit pacis *Δ PΔT* 40 41 *sex*. carm. produxit pacis Σ. Ipsum carmen nos deduxit pacis *E*. carmen deduxit pacis *qui restant et uett. ed.* aras *b h alius et uett. ed.* 710. Haec est *g*. Haec erat *f*. 711. Frond. ac..acis *E ma. pr.* Frondibus ac bacis *p*. Fr. athiacis *b*. achaicis 44. attiacis *ed. Rubeana*. asiacis *s uar. scr. Gloss.* Frond.] lauru *E*. atheniensibus *Db* 44. quia ibi primum ictu palladis oliua prodiit *D*. id est oliuae *b* 44. quae sunt signa pacis. athe graece litus quia in litore crescunt oliuae *b*. actiac. canos *Ψ*. captos *alius*. redimite *Φf*. 713. desunt *EΔNOPΠΨThs* 3 44 *uiginti tres et uett. ed.*; *ACΔgm uar. scr.* 714. Dü duc. bello gratia *m*. Pax duc. b. gl. m. erit *T duo, flor. Berol.* 715. miles quae bella coerc. *K*. quibus arua coerc. *fm quatuor*. coierceat *D ma. pr.* coherceat *E*. coerc. hostes *B tres*; *M uar. scr.* coerc. armis *tres*. coerc. aurum *M uar. scr.* 716. que tuba n. n. p. fera *Δ*. pompa uia 40.

717. aeneades *T*. aeneidas *B*. aenedidas *E ma. pr.* 718. rom. turba *N*. timebit *libri praeter ABCDEFKPZ ma. sec. bps* 43, *quos sequor*. 719. paccalibus *E*. placatibus Σ. placalibus *b*; *B uar. scr.* placatis *BCZm tres*. placatis ponite *duo*. pac. urite *unus*.

720. profusa Σ. pertusa *liber Iac. Gron.* percussa *BCDΔZm* 8 *undecim. Gloss. D*: percussa] perfusa mola. 721. domum *m*. praestet *ΦTm nouem*. pace parentis *C ma. pr.* Vtque domus pacem quae praestat pace perennet 7. perhennet *DE*.

Ad pia propensos uota rogate deos.
Sed iam prima mei pars est exacta laboris
Cumque suo finem mense libellus habet.

LIBER SECVNDVS.

Ianus habet finem. cum carmine crescat et annus.
Alter ut hic mensis, sic liber alter eat.
Nunc primum uelis, elegi, maioribus itis:
Exiguum memini nuper eratis opus.
Ipse ego uos habui faciles in amore ministros,
Cum lusit numeris prima iuuenta suis.
Idem sacra cano signataque tempora fastis:
Ecquis ad haec illinc crederet esse uiam?
Haec mea militia est. ferimus quae possumus, arma,
Dextraque non omni munere nostra uacat.

722. At pia *A.* perpensos *P.* uota precate *Π.* uota probate *D m. Gloss.* Probate deos eos dico propensos .1. sedulos ad pia uota. Qui rogat alium probat eum *D.* 723. Et iam *s.* prima mihi *P*; *f uar. scr.* est exhausta *Πbh* 41 *septem et uett. ed.* est transacta *unus.* 724. finem carmine ianus habet *D uar. scr.* P. OVIDII NASONIS FASTORVM FINIT LIBER PRIMVS. INCIPIT LIBER SECVNDVS. *A.* EXPLICIT LIBER I. INCIPIT II. *BE.*

Incipit liber II. *D.* P. OVIDII NASONIS FASTORVM LIBER II INCIPIT. *p.* Secundus liber fastorum incipit de mense februarii. *b.*

V. 1. crescit *CΣ?Z ma. pr. m ma. pr. duo.* 2. ut it mens. *B ma. sec. ΣTh* 2 *uiginti fere et uett. ed.*; *Efg uar. scr.* 3. Iam primum 8 (*Ciof.*) mai. ite *Z ma. pr. mp sex.* 4. Esse ego 10. Certe ego 14 29. amore magistros *Δ.* 6. Dum *O.* 7. signaque temp. *E.* signata temp. *m ma. pr.* 8. *Ita,* Ecquis, *p quattuor scripti et edd. Rub.* 1475 *et Zar.* 1477. Set quis *C.* Sed quis *BDΦΣZ* 8 *septem.* Sed quid *m.* Et quis *reliqui.* ad hoc *PΠ* 3 *duo.* ad hanc *m.* illuc *b.* illis *D tres.* 9. est *om. s.* est gerimus *BCΦOZmp* 33 34 35 36 37 *septemdecim et uett. ed.* ferim. qua *T.*
10. omni numine *Σ.* nostra caret *Π* 41 *sex*; *CN uar. scr.* uocat *T.*

Si mihi non ualido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi,
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense:
His habilis telis quilibet esse potest:
At tua prosequimur studioso pectore, Caesar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades et placido paulum mea munera uoltu
Respice, pacando si quid ab hoste uacat.
Februa romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant uerbo plurima signa fidem.
Pontifices ab rege petunt et flamine lanas,
Quis ueteri lingua februa nomen erat.
Quaeque capit lictor domibus purgamina certis
Torrida cum mica farra, uocantur idem.
Nomen idem ramo, qui caesus ab arbore pura
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.

11. non solido 33. torquetur Σ. torq. tela *bg*. 12. prementur Σ. premantur *T*. 13. Non *T*. acuto tegimur *m*. 14. quislibet Ψ. 15. Ac tua *C*. Hac tua *m*. Et tua *AP*Δ*b octo*. persequimur Φ *test. Heins.* 16. perque tuos ingredimur titulos *b*.
17. ades at 41. placido uultu mea mun. caesar Π 41. mea carmina ΨΣ; *A uar. scr.* uultu *libri*. paullum Φ? 18. Aspice *N O*Σ*f* 8 *quinque*. Suscipe Δ. Accipe *g* 33 34 35. paccando *E*. placando *BCN*Π*T*. pacato *DE ma. rec. bm* 3 15 *decem et uett. ed.* paccato Φ. placato *P*Σ. ab orbe 13 15. hoste iuuat Π 41. *N*Π *bghm aliquot*. 19. dix. piacula *CDE*Φ*NP*ΠΔΣ*Tgms* 3 33 34 35 36 37 40 41 *septemdecim*; Ψ*p uar. scr.* 20. Huic *O*Σ*f* 14 *septem*; *MN*Ψ *uar. scr.* dant *om. E ma. pr.* plurima uerba *BC* Δ*m*; Φ *uar. scr.* 21. a rege *D*ΦΛ*NOP*ΠΨΔΣ*Tbfghp plurimi*. 22. Quae *A ma. pr. Cm quatuor*; *M uar. scr.* ueterum in lingua 8 41. ueteri in lingua *DE*ΦΛ*P*ΠΨ*bghm ma. sec.* 8 (*Ciof.*) 31 *uiginti tres*. uetere in lingua *r tres*. ueteri lingua *FO* Δ*s* 40 *septem*; *C uar. scr.* lingua ueteri Σ. nomen erant 26. nomen habent *Cm quatuor*; *M uar. scr.* nom. habet *g*. 23. que petit *unus*. purgamina cettis *uel* cettus *sub ras. E*. purg. cernis 10. purg. ternis *C* (*sec. Heins.* certus *sec. Gronou.*) *Dm* 11. purgamina acernis *p uar. scr. Coniec.* tersis *Heinsius*, curtis *Theod. Bergkius*, ternus *ego*. *Gloss. D*: ternis dicit quia ius habet sumere praemium suum a tercia domo. 24. *Ita*, Torrida, *CDP*Ψ*g ma. sec. hms* 8 29 *duodecim et uett. edd.* Candida *f*. Turgida 33. Turbida *reliqui*. Torrida mica salis farra 29. 25. ramo est qui *O*Ψ. arb. summa *P*. 26. timpora *DE* 8 (*Ciof.*). tympora *b*.

Ipsam ego flaminicam poscentem februa uidi:
Februa poscenti pinea uirga data est.
Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat auos.
Mensis ab his dictus, secta quia pelle luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent:
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris
Tunc cum ferales praeteriere dies.
Omne nefas omnemque mali purgamina causam
Credebant nostri tollere posse senes.
Graecia principium moris dedit. illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Caede per Haemonias soluit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
Credulus immerita Phasida fouit ope.
Amphiaraides Naupactoo Acheloo,

27. *Ita*, Ipsam, *AE sub ras. ΛΔb octo; N uar. scr.* Ipse *reliqui. Ita*, flaminicam, *DFg ma. sec.* 8 *undecim.* flammificam *m.* flamineim *Λ.* flammineam *Σr.* flamineam *ABCEΦMNOPΠΔ Tbfg ma. pr. ps triginta.* flaminiam *qui restant et uett. ed.*
28. posc. spinea 40. posc. laurea 7. 29. Den. quicquid id est 23. quo pectora *BCm* 5 8 *septem.* quo tempora *duo.* pientur *Cm* 5 *quinque.* piabant *g.* piamur 10 27. pietur 8. quodcunque *D.*
30. aput *D.* apud antiquos *b.* habebit *E.* 31. dictus festa *Φ test. Heins.* sectus *m ma. pr.* sectaque pelle *E ma. pr.* secta qui *D.* quod *h duo, uett. ed.* quo 33. qua 11. quoque *duo.* pelle leonis *A ma. pr.* 41. 32. piam. habet *h.* 33. placandis *b.* pacatis *AΔ septem.* paccatis *Φ.* temp. plura *Tb ma. pr. m.* temp. pulchra *M.* 34. Tum cum *C (test. Gron.) Δm quinque.* 35. *Ita*, purgamina, *ACE ma. pr. ΦΛMm* 8 *decem.* purgamine *reliqui.* nefas causamque mali purgamine totam *b.* 37. mores *m.* moris fuit *Φ* 47 *octo Heins. totidem Ciof. et uett. ed.* 38. Turpia *Π.* Imp. purgatos *b.* facta putant *m* 10 33. 39. Auctoriden *f.* Auctoridem *EMPΠΔΣb.* Auctor idem *Ar; p uar. scr.* Actoridem *DTgp.* Actor idem *N et O uar. scr.* Auctor inest peleus *Φ.* pelea fratris 29. foci *Dr.* 40. haemonidas *Z.* haemon. lauit *h.* aqua *CΛ.* 42. inmerita *E.* immeritam *Λ.* phas. iuuit *CΨ* 8 *octo; Φt uar. scr.* uouit *B.* soluit *duo.* fou. aqua *r uar. scr.*
43. Anphioraides *D.* Amphioraides 3. Amphiariades *Φg quinque.* Amphiareades *m.* Amphiaritides *C.* Amphiaraiades *BΛNΨTfps.* Amfiaraiades *r.* Amphitrianiades *Σ.* Amphitiraiades *b ma. pr.* Amphiararides *b ma. sec.* Amphiaraidas in naopactoo *h.* naupatoo *C.*

Solue nefas, dixit. soluit et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putatis aqua!
Sed tamen antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus, ut est, Iani mensis et ante fuit.
Qui sequitur Ianum, ueteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est.
Qui sacer est imis manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse uiri.

Principio mensis Phrygiae contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta nouis.
Nunc ubi sint illis quae sunt sacrata kalendis,
Templa deae? longa procubuere die.
Caetera ne simili caderent labefacta ruina,
Cauit sacrati prouida cura ducis,
Sub quo delubris sentitur nulla senectus:

napactoo *ΑΔΣ uiginti.* napactoloo *Λ.* -pactolo *Φg septem.* -pactaloo *f.* -pactolos *p.* naupacteo *reliqui exceptis EΨ, quos sequor. Gloss. D:* Almeon cesa matre eurifile fugit in calidoniam et accepit filiam acheloi calliroen. 44. et ipse *p uar. scr.* 45. Ha *DΦΛΡΠΔTbfr.* qui nimia tristia *Cm.* qui crimina tristia *B.* trist. carmina dicis *Δ.* 46. *Ita,* putatis, *etiam Ilfeld.* putetis *Zm.* putatis ope *bg.* 48. *Ita Ilfeld.* Primus adhuc iani mensis ut ante 12 *alius.* est anni mensis ut ante fuit *m.* 49. fuit lutimus *D.* 50. Tu quo; sacr. *b.* 51. *Ita Ilfeld.* Mensis enim iani primus quia *A teste Gron.* Primus erat iani *COΠ paucissimi.* Prim. erat mensis iani *p.* enim est iani *fortasse D sub ras.* enim mensis iani *Ψg.* enim iam mensis erat quia *Δ.* mensis qua *m. ma. pr.* est *om h.*

52. imis *om. E ma. pr.* 53. Post modo *D.* spacio *E.* 54. continuisse *T.* constituisse *b alius.* 55. phrig. *DEr.* matris *h.* matre *b.* 56. dic. acta *CΦMNΔΣb ma. pr. t.* ancta *D.* aucta (acta) suis *b; p et duo pro uar. scr.* 57. *Ita,* ubi sint, *CDFbfr* 40 41 *octo, fortasse plures.* ubi sunt *Ilfeld. et reliqui omnes.* sint queris sacr. *D.* sunt quaeris quae sunt *Σ; E uar. scr. gloss. Λ.* sint quaeris illis sacr. *aliquot ad ed. D. Heinsii collati.* illis quaeris sacr. *ΠZg ma. sec. mt decem.* illis quaeres sacr. 7. sacrata diebus *b; p uar. scr.* 58. longo *BΨg quinque.* procub. mora 40.

59. simili iaceant labef. *B.* laberent labef. *s.* ruerent labef. 29.

61. *Hunc uers. cum seq. om. m ma. pr.* sentitur uestra sen. *Δ ma. pr.* nulla uetustas *p* 40 41 *quatuor; Π uar. scr.*

Nec satis est homines, obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit superis opto mutua cura tui.
Dent tibi caelestes quos tu caelestibus annos,
Proque tua maneant in statione domo.
Tunc quoque uicini lucus celebratur Helerni,
Qua petit aequoreas aduena Tibris aquas.
Ad penetrale Numae, Capitolinumque tonantem,
Inque Iouis summa caeditur arce bidens.
Saepe graues pluuias adopertus nubibus auster
Concitat, aut posita sub niue terra latet.

Proximus hesperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis cum iuga demet equis,
Illa nocte aliquis tollens ad sidera uoltum
Dicet, ubi est hodie quae lyra fulsit heri?
Dumque lyram quaeret, medii quoque terga leonis
In liquidas subito mersa notabit aquas.

Quem modo caelatum stellis delphina uidebas,
Is fugiet uisus nocte sequente tuos:

62. abligat *E ma. sec.* alligat *ΛΣ*. oblig. (allig.) ipse *ΦΛ* 4041 *sex.* obligat illa *gs sex.* deas *b ma. pr.* 63. *Ita*, repostor, *D ΛZ* 1215 *septem, uett. ed. Ven.* 1475, *Mediol.* 1477, *Vic.* 1480. *Ven.* 1484; *gs uar. scr.* repertor *caeteri. Gloss. Eb*: reparator.
65. cael. quot tu *Δ*. quos das cael. *Φ* 3344. caelest. aequos caelest. 34. 66. Perque tuam man. i. st. domum *T uar. scr.*
67. Tum *BC teste Gron. NTms* 8 *decem.* Nunc *Φ*. uic. celebratur lucus *PT* 311. celebretur 1233. celebr. alerni 22. celebr. asyli *DZm ma. pr.* 813 *duodecim; B uar. scr.* celebr. auerni *reliqui scripti et editi uett.* 68. tybris *E.* 70. summi *ENΠΨ Σbrs uiginti fere et uett. ed.* 71. adapertus *f.* adopertis *b.* nobibus *P. Ita*, auster, *DΦ* (*test. Matth.*) *Zm quinque.* aer *bf alius.* aether *reliqui.* 72. Contitat *E.* sub ioue *Δ uar. scr.*
73. Protinus *Λg.* hisper. *P.* esperias *E.* habiturus *E sub ras. bf.* subiturus *T*; *Δ uar. scr.* obiturus *p.* 74. Ignea *Δ*. cum uada *Λ*. demit *Δb* 8 *quinque.* 75. uultus *FΛNΣfg quindecim et uett. ed.* 76. lira *DE.* here 33. 77. liram *E.* quaerit *BCbgms.*
78. subita *ed. D. Heins.* sub. uersa natabat *m ma. pr.* natabit *bf.* notabat *Δ*. notauit 8. uidebit *quatuor; Πbp pro gloss. uel uar. scr.*
79. Quae *Λ*. Quem tu cael. *F.* cael. stellas *Λ* 43. 80. Effugiet *NΠT alius.* fug. uultus *DΔ duo.*

Seu fuit occultis felix in amoribus index,
 Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.
Quod mare non nouit, quae nescit Ariona tellus?
 Carmine currentes ille tenebat aquas.
Saepe sequens agnam lupus est a uoce retentus,
 Saepe auidum fugiens restitit agna lupum.
Saepe canes leporesque umbra iacuere sub una
 Et stetit in saxo proxima cerua leae.
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
 Sedit, et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, uocalis Arion,
 Tamquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleuerat urbes,
 Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion
 Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, uentos undamque timebas:
 At tibi naue tua tutius aequor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,

81. Seu fugit *A*. 82. Lespia *B*. Lespida *Pm ma. pr.* Lespidam dom. *C* (*teste Gron.*) Lesbiacam dom. 14 *quinque*. tulit ipse *B b quinque et uett. ed.* 83. non noruit 11. oriona *C*. Quod mare quae tellus quae non ariona nouit *b*. 84. Carm. torrentes *b* 23 33. 85. Saepe tenens *M uar. scr.* agnum *MT*. est hac uoce 34. lup. ista uoce *coniicio*. 86. fug. respicit *m* 6 8 *tres*. respuit 35.
87. que *om. T*. lep. una iac. s. umbra *NΨΣf*. una latuere sub umbra *OΔ*. una cubuere sub umbra *Tb quatuor*. umbra cubuere *BZm quatuor*. 88. Astitit *Σp*. stetit infestae prox. *Π* 41. leo *m ma. pr.* 89. alite coruus *DNΨΣm ma. pr., septem*; *M uar. scr.* 90. ancipitri *Σ*. 91. Cintia *E ma. pr.* Cincia *Σ*. saepe sui fertur *m ma. pr.* orion *C* 41. 92. Tanquam *D*. obstipuisse *ABCO* 43 *quinque*. opposuisse *D*. distupuisse *b ma. pr.* obst. sonis *Δg sex*; *O uar. scr.* 93. *Hunc et seq. uers. om. m ma. pr.* compleuerat *Cg quinque*. compulerat undas *B*. impl. undas *AEFΦ* (*t. Heins.*) *ΛMNOΠΨΔΣTbmprt* 8 (*t. Heins.*) 40 41 43 *uiginti sex*; *g uar. scr.* impl. oras *f* 8 (*Ciof.*) 33 34 35. compl. urchas *C uar. scr.* 94. liricis *E*. aus. hora *DEfr*. ora modis *Cgp decem*. 95. pupem *ΛEMNOPΠΔTg*. puppem *FΦΛr*. conscendis *A ma. pr.* concedit *T*. orion *C*. 96. quaes. ante *T*. arte querebat *m ma. pr.* 97. infel. undas uentosque *Df*. undamque *BCm quatuor*. 98. Ha *P*. Ac *m*. Hac 8 *duo*. tucius *E*. mitius *Δ uar. scr.* 99. Nanque *D*. Iamque 33. de stricto *D*. districto *CΛMNOPbfgs plurimi*. constricto *Π* 40 41.

Caeteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, nauita, puppim,
Non haec sunt digitis arma tenenda tuis.
Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
Dant ueniam ridentque moram. Capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
Flebilibus numeris ueluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas.
Spargitur impulsa caerula puppis aqua.
Inde, fide maius, tergo delphina recuruo
Se memorant oneri supposuisse nouo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque uehendi,
Cantat et aequoreas carmine mulcet aquas.

100. armata est consc. *BCZm* 8 *sex.* 101. nauita pinum 12 23. puppem *BFΦΨΣfr.* pupim *PΠ.* pupem *AEΔTgm alii.* 102. Non sunt haec dig. (Σ?) *p* 5 *tres et uett. ed.* arma ferenda *Nb quatuor; p uar. scr.* 103. metu uacuus *M uar. scr.* 104. Si lic. *Tm.* liceat subita 29. sumpta parua *E.* ref. mora *Π ma. pr.* 41. lira *E.* 105. moram caput *Cm.* rapit *unus.* 106. posset *BCΠms* 8 *sedecim et uett. ed.* phebe *DE.* 107. Induit et tyrio (tirio) *EFΦPΔr decem et uett. ed.; g uar. scr.* bistinctam *A ma. sec. Dr ma. pr.* distinctam *A ma. pr. EFOPΔTbfgpr ma. sec. s et aliquot cum uett. ed. ineunt. saec.* XVI. tinctam bis 6. discinctam *duo.* tincta *Σ.* murice lanam *Π* 41 *quatuor; C uar. scr.* 108. Reddit et icta *Δ duo.* Reddit tacta suos 23. icta suo *NTm.* icta sonos p. ch. suos *Ψ.* corda *DEr.* 109. Flebilis innumeris ueluti *D.* numeris: ueluti 12. Flebilibus ueluti numeris can. 35. numeris fit uti can. *P uar. scr.* canantia *r.* candentia *P duo.* 110. Threicius *Zm sub ras.* 11 23. pinna *Ag ma. sec. duo.* timpora *DEP.* olos 8 29. *Gloss.* penna] teli *D.* tergora *coni. Heinsius.* 111. med. oneratus *Φ.* 112. pupis *EPΠ.* 113. fides maior 8. 114. Se mouerant *B.* honeri *E.* subpos. *DE.* suppos. suo *Π alius* 40 41. 115. *Ita A ma. sec. F ma. sec. m ma. sec. p duo et duo uett. ed.* citharamque tenens pretiumque *DE ma. pr. ΦΔPΠΔΣTbf* 8 41 *uiginti quatuor et tres uett. edd.* citharam quatiens pretiumq. *ACF.* sedet citharamque tenet *E ma. sec. et reliqui.* pretiumque ferendi *BCms* 6 14. 116. aequoreas pectine mulc. 34.

Di pia facta uident. astris delphina recepit
  Iuppiter, et stellas iussit habere nouem.

Nunc mihi mile sonos quoque est memoratus Achilles,
  Vellem, Maeonide, pectus inesse tuum,
Dum canimus sacras alterno pectine nonas:
  Maximus hinc fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium, maioraque uiribus urgent.
  Haec mihi praecipuo est ore canenda dies.
Quid uolui demens elegis imponere tantum
  Ponderis? heroi res erat ista pedis.
Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
  Hoc dedit. hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit. Sero quoque uera tulisti
  Nomina. iam pridem tu pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto,
  Nomen habes. hominum tu pater, ille deum.
Romule, concedes. facit hic tua magna tuendo

117. Dii *DEPΠpr.* pia fata *m.* uident caelo delph. *t.* delphina uidebis *Α* 43. **118.** Iopiter *P.* Iupiter *DE plurimi.*
119. sonos quibus est *E ma. pr. Π* 841 *tres.* sonos quo est et mem. *f.* est moderatus *Φ.* **120.** Maeonide uellem pect. *Λ.* pectus habere *h; A uar. scr.; gloss. b.* **121.** Cum can. *B.* sacras eterno *Φ uar. scr.* sacras aeterno carmine *BCmh quinque.* sacr. eterno nomine non. *E et g uar. scr.* sacras alternas nomine non. *T.* alterno pectore *AEFΦΛOPΨΔbfr* 3. alterno carmine *DNs septem; E uar. scr.* alt. pectore notas *Σ. Gloss. b:* alio genere carminis. **122.** *Ita,* hinc, *ΦΨΣ alius; p uar. scr.* hic *ABCFΔ bm* 43. hî *E uar. scr.* his *reliqui.* his (hic, hinc) festis *DMΣ.* his factis *ed. D. Heins. m? s?* his sacris *E et M uar. scr.* factis adcelebratur *ms quinque.* honus *A ma. pr.* honor *ABCDEFΦΛMNO ΠΨΔTprs alii.* **123.** urget *m.* **124.** Haec tibi *h.* mihi perpetuo *f.* **125.** Cur uol. *C uar. scr.* inponere *D.* **126.** heroici *BDΨΣTg uett. ed. inde ab anno* 1480. res erit *C.* **129.** tamen *in ras. E.* dedit tarde qu. *C uar. scr.* sero quot uera 5.
130. pater urbis *BΦΛOΣbs ma. pr.* 41 *duodecim et uett. ed.; C uar. scr.* **131.** Hoc quoque per *m.* in aequore *Δ ma. pr.* quod Iupiter aethere in alto *Ψ.* Iupiter *Er alii.* Iopiter *P.* **133.** concedis *m.* concede *Φ ma. sec.* concedas *EM ma. sec. Nbghs undecim.* conc. frater tua *b.* conc. dedit tua *duo; C uar. scr.* conc. dedit hic tibi *duo.* hic tibi magna *D ma. pr. Π duo.* magna tenendo *T.*

Moenia. tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius paruique Cures Caeninaque sensit:
Hoc duce romanum est solis utrumque latus.
Tu breue nescio quid uictae telluris habebas:
Quodcumque est alto sub Ioue, Caesar habet.
Tu rapis, hie castas duce se iubet esse maritas.
Tu recipis luco, reppulit ille nefas.
Vis tibi grata fuit. florent sub Caesare leges.
Tu domini nomen, principis ille tenet.
Te Remus incusat. ueniam dedit hostibus ille.
Caelestem fecit te pater, ille patrem.
Iam puer Idaeus media tenus eminet aluo,
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam si quis borean horrere solebat,
Gaudeat. a zephyris mollior aura uenit.

Quintus ab aequoreis nitidum iubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora ueris erunt.

134. Moen. quae ded. *Φ* (? *Matth. contra disertum Heinsii testim.*) *FMOΠΨbp* 40 41 *decem et uett. ed.* 135. Testacius *r ma. sec.* tacius *DP*; *E uar. scr.* Te tad . . *E ma. pr.* tatii *Φf tres*; *P uar. scr. Gloss. E*: . . . unde uidetur sic legendum. te tacii .i. parui cures. — cures carninaque *B*. cemninaque *F*. cenninaque *Ef*. senninaque *N*. ceminaque *C uar. scr.* cecinaque *ΦΣM*. cecinnaque *PΔ ma. sec. gpr* 3; *C uar. scr.* cerinnaque *gloss. Δ*. creinnaque 44. germania 40. coruinaque *CΠb* 41. tenticaque *T*. mechinaque *O*. caenitaque *Ald.* ceninaque tellus *uett. ed.* sentit *MΨ*.

136. est *om. f* 14. 137. breue quid nescio *C*. 138. est lato sub *Ts*. 139. rap. is cast. *Φ*. cast. sub se 8 (*Ciof.*) *tres*. castas consul iubet *Δ*. duce te 8 (*Heins.*). 140. repulit *EΦ*. luco summouet *BCmgs quindecim*; *p uar. scr.* 143. remus accusat *Ψ*. 144. Caelestemque facit te *Π* 41. ille suum *b*. 145. media puer eminet *m ma. pr.* 146. Et *in ras. b*. mixtas *s*. nect. miscet *tres*. 147. Quin *g ma. sec. h tres*. Ecce *T*. etiam boream si quisque horr. *Π*. boream si quisquam 41. si qui borean 43. boream orrere *E ma. pr.* 148. Gaud. et zephyris *PT*. zephiris *DEr*. zephyris melior *m ma. pr.* micior *Σr*. mitior *ΦΔNOPΠΨTbfhs* 2 *uiginti fere et uett. ed.*; *p uar. scr.* mollior ora *M*.

149. aequ. medium iub. *D*. nitidum caput *Zm duo*; *M uar. scr.* caput exerit *Zm*. iubar exerit *BC sex*. 150. ueris eunt *tres*. erant *Π ma. pr.*

Ne fallare tamen, restant tibi frigora, restant
 Magnaque discedens signa reliquit hiems.

Tertia nox ueniat. custodem protinus ursae
 Aspicies geminos exeruisse pedes.
Inter hamadryadas iaculatricemque Dianam
 Callisto sacri pars fuit una chori.
Illa deae tangens arcus, quos tangimus arcus,
 Este meae testes uirginitatis, ait.
Cynthia laudauit. promissaque foedera serua,
 Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Foedera seruasset, si non formosa fuisset.
 Cauit mortales. de Ioue crimen habet.
Mile feras Phoebe siluis uenata redibat
 Aut plus, aut medium sole tenente diem.
Vt tetigit lucum. densa niger ilice lucus,
 In medio gelidae fons erat altus aquae:
Hic, ait, in silua, uirgo Tegeaea, lauemur.
 Erubuit falso uirginis illa sono.
Dixerat et nymphis. Nymphae uelamina ponunt:

151. Nec *O.* fallere *E.* fallare caue *h s* 12 *quatuor.* tamen restent *m.* 152. Multaque *P* 3. descendens *h.* reliquid *Er.* relinquit *D M N Π Ψ Σ p decem et Ald.* 1502. relinquid *f.* relinquet 40 *paucissimi.* hiemps *E. Gloss. D:* signa] uestigia frigoris. 153. Tercia *D E al.* nox aderit *h ma. pr. 27 et ed. Mediol.* ueniet *E Φ M ma. sec. N O P Π Ψ Δ b ma. sec. f ma. pr. g h ma. sec. p r s uiginti et editi saec.* xv. 155. amadriadas *D E b.* amadriades *h r.* 156. Calisto *D E plurimi cum uett. ed.* Calixto *Σ f.* fuit illa chori *D ma. pr.* 157. deam et tangens *B.* 158. uirginitatis acae *Σ.* 159. Cinthia *Er.* Cincia *Σ.* que munera *m s ma. pr. sex.* federa *E.* faedera *D.* 160. mihi semper eris *B C m* 10. 161. Fed. *E.* Faed. *D.* non fortuna fuisset *p.* 162. mortales a ioue *h alius et ed. Mediol.*; 8 *uar. scr.* ioue carmen *Σ.* 163. feras siluis phoebe *b quinque et uett. ed.* phebe *D E.* 164. plus iam medium *B m tres.* medio *C uar. scr.* tenente polum *unus.* 165. Vt uexit lucem *m ma. pr.* 166. erat aptus *N.* 167. Hac *D E Φ Δ M N P Π Σ b p* 3 *undecim*; *m uar. scr.* Haec *A ma. pr. Δ ma. sec. m s tredecim.* tegeea *C ma. sec. m ma. sec.* tegea *A B D E F P Π Δ p.* thegea *Δ b f.* lauamur *O f.* 168. Erub. solo uirg. *T.* falso nominis *s* 40. 169. Dix. haec nymph. *A (t. Gron.) C F Δ P, Ψ b g h m p s* 8 *(Ciof.) uiginti et ed. Mediol.*; *E uar. scr.* Dix. hoc nymph. *m uar. scr. et edd. saec.* xv. nimph. *Er.* ninph. *D.*

Hanc pudet, et tardae dat mala signa morae.
Exuerat tunicas. uteri manifesta tumore
Proditur indicio ponderis ipsa sui.
Cui dea, uirgineos, periura Lycaoni, coetus
Desere nec castas pollue, dixit, aquas.
Luna nouum decies implerat cornibus orbem:
Quae fuerat uirgo credita, mater erat.
Laesa furit Iuno, formam mutatque puellae.
Quid facis? inuito est pectore passa Iouem.
Vtque ferae uidit turpes in pellice uoltus,
Huius in amplexus Iuppiter, inquit, eat.
Vrsa per incultos errabat squalida montes,
Quae fuerat summo nuper amata Ioui.
Iam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Cum mater nato est obuia facta suo.
Illa quidem tamquam cognosceret, astitit amens
Et gemuit. gemitus uerba parentis erant.
Hanc puer ignarus iaculo fixisset acuto,
Ni foret in superas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. prior est, quam dicimus arcton,
Arctophylax formam terga sequentis habet.

171. Extulerat *Φ*. Exuerant *f*. tunicam *Πb*. tun. uentris *ΠT*. manif. pudore *F*. tumore est *C*. 172. inditio *D*. pond. illa *Fg h* 33 34 *nouem*. ipsa suo *A ma. pr.* 173. lichaona *E*. lycaona *Dfm decem*. lycaone *AΔpr quinque*; *E uar. scr.* lycaonia *b*. cetus *DE*. 174. ne cast. *ADPTs*. nec sacras *Π septem*; *C uar. scr.* pullue *P* 41. 175. nouis *D*. nouem *b ma. pr.* impleuerat *f*. impleuit *Π*. complerat *O*. impl. equitibus orb. *b*. 177. Laeta *C ma. pr. m ma. pr.* Laesa fuit *Ψ*. iuno mutat formamque *s*. iuno mutatur forma puellae *Π* 41. formam mutare puellae 40. 178. inuiso *Δ*. inuicto *Cm*. inuito pectore *EΦΨTg sex*. inuito corpore *s*. est corpore *Π* 41 *quatuor*. passa *in ras. m*. passa deum est *E*. iouem est *ΦΨg tres*. 179. Vtque ferox *Ψ*. uid. uultus in p. turp. *f*. pelice *DEr*. 180. amplexu *Ts*. iopiter *P*. iupiter *DE*. inquid *E*. erat *D ma. pr.* 181. per occultos *Δ*. scalida *P*. 182. amanda *BCZm*. 183. conc. habebat *tres*; *M uar. scr.* 185. tanquam cognoscens *Π* 41. extitit *F*. cognossët restitit *b*. tanquam natum cognosceret amens *Δ ma. pr.* 187. puer ignotus *P*. fix. acuco 14. 188. foret ad sup. *b tres et uett. ed.*
189. micant proprio est *h*. est quae dicitur arcton *D*. est ut diximus arctos *uett. ed.* quam diximus *Ns*. 190. Arctorifilax *D*. Arctophylas *C*. Arctophilax *E*. Arthophilax *r*. Arctoph. tergo signa seq. 14. formam signa seq. *unus*.

Saeuit adhuc canamque adiit Saturnia Tethyn,
Maenaliam tactis ne lauet arcton aquis.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Haec fuit illa dies, in qua Veientibus aruis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.
Vna domus uires et onus susceperat urbis.
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat:
Carmentis portae dextra est uia proxima Iano.
Ire per hanc noli, quisquis es. omen habet.
Vt celeri passu Cremeram tetigere rapacem:
Turbidus hibernis ille fluebat aquis:
Castra loco ponunt. destrictis ensibus ipsi
Tyrrhenum ualido Marte per agmen eunt,

191. adiit *deest A.* que rogat sat. *B C D Σ m s* 8 *duodecim*; *p uar. scr.* que petit sat. *E F Λ M O P Π Ψ Δ ma. sec. T b f g h p r* 40 41 *triginta et uett. ed.* thetim *D E b r.* tethim *Λ P Π Δ T m s p.*

192. Maenalian *A.* Menalia *b.* Maenalion *E T f* 14. tactis incuruet arct. *m ma. pr.* ne leuet *O ma. pr.* 193. agresti *m s.*

194. insola *P.* rupit *B m octo.* 195. Hic *E ma. pr.* uegentibus *C D E M O P Σ f r t* 3; *Φ uar. scr.* uergentibus *Φ ma. sec. Δ b*; *C uar. scr.* uincentibus *A ma. sec.* 43. uolscentibus 4)8. uenientibus *m ed. Ven.* 1484. *Ita*, aruis, *D m r* 12 *tres et ed. Ald.* 1516. armis *reliqui, etiam Φ.* 196. ter periere duo *D.* cecidere uiri *p uar. scr.* 197. domus curas et 29. honus *E f.* 198. Summunt *E ma. pr.* Sumite 12 23. Sumant 14. 199. Egred. tectis mil. *s.* miles generatus 33. 200. Et quis *m h.* quislibet *T.* quilibet esse potest *N.* 201. Carmenti *D Z b m ma. pr.* 8 *sex.* Carmentum *Σ.* dextro *Z f g ma. sec. h m s* 5 12 *octo.* est *om. Ψ alius.* portae uia dextera prox. *Φ. Gloss. b:* iano] templo iani. 202. noli quae fera nomen habet 8. — *Inter hunc et seq. uers. plerique codd. hoc distichon insertum habent:* Illa fama refert (namque ferunt *t*) fabios exisse trecentos (tricentos *P*). Porta uacat culpa sed tamen omen habet. *Totum omittunt A Φ ma. pr. f* 8 43 *tres alii. Pentametrum omittit D, sed in margine recentiore manu alium ascriptum habet:* Quos omnes misere perdidit una dies. *In u margini ascripti erant uersus qui sunt infra* 233, 234. 203. Vt cremeram celeri passu tet. *s.* passu tangere 14. passu tenuere *M* 311 *uett. ed.* 204. Turpidus *P.* Turgidus *nullus.* hybern. *D alii.* ille tumebat 34.

205. districtis *B C D b f p r alii et uett. ed.* ens. isti *B C.* illi *Ψ s duo.* icti *unus.* 206. Tirrenum *E r.* Trirenum *f.*

Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones
  Inuadunt sparsos lata per arua greges.
Diffugiunt hostes inhonestaque uolnera tergo
  Accipiunt: Tusco sanguine terra rubet.
Sic iterum, sic saepe cadunt. Vbi uincere aperte
  Non datur, insidias armaque tecta parant.
Campus erat. campi claudebant ultima colles
  Siluaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos armentaque rara relinquunt,
  Caetera uirgultis abdita turba latet.
Ecce uelut torrens undis pluuialibus auctus,
  Aut niue, quae zephyro uicta tepente fluit,
Per sata perque uias fertur, nec ut ante solebat,
  Riparum clausas margine finit aquus:
Sic Fabii uallem latis discursibus implent,
  Quodque uident, sternunt. nec metus alter inest.
Quo ruitis, generosa domus? male creditis hosti.

207. libica *DEΣbfr*. libya *codex Iac. Gron.* libyca regione leon. 6. libyca tellure leon. *unus.* de gente leon. *AEFΦΔMNOPΠΨΔΣTbfghrs triginta fere. Φ et M* rupe *pro uar. scr.* 208. Inu. ipsos *g tres.* arua boues *quinque.* 209. Diffudunt *f.* Diff. omnes *s.* 210. terra madet *ΠΣ* 41 *tres.* 212. armaque recta *A ma. pr.* arma cecata 29. armaque caeca *Π uar. scr.: fort. probe.* armaque operta *P* 3. que saeua 7. 213. campi clauserunt *f.* campi cingebant *Δ* 12 *tres.* ult. ualles *duo.* 214. mont. occulit *DEFΦOPΠΨΣTb ma. sec. fg ma. pr. rst* 3 3 3 3 4 41 *uett. ed.; MΔp uar. scr.* occul. alta *E ma. pr. FΨΣTg ma. pr. st* 1 *uett. ed.; ΦMOp uar. scr.* occul. alita *b in ras.* occuluere feras *m ma. pr.* 215. medio campos arm. *unus.* que rapta rel. *b alius.* que pauca *BCFOΔΣTmt duodecim; p uar. scr.* 216. Caetera per siluas abd. *b.* uirgult. condita *Ψ.* abd. terra *ms ma. pr.* abd. turma *tres.* 217. uelud *D.* torr. auctus pluu. undis *s.* pluu. actus *DMNΔbp duodecim.* pluu. arctus *Σ.* 218. quae tepido uicta *Δ.* zephiro *Er.* zephyris *T.* zeph. mota *Ψ.* zeph. monte *unus.* zeph. sole *unus.* zeph. uere *duo.* uicta repente *ΔΨΔb* 8 *duodecim et ed. Rub.* tep. cadit *s duo.* 220. marg. findit *Ψ.* fundit *unus.* fouit *E ma. sec. uel tert. tres; Ψ uar. scr.* fluit *unus.* claudit *E ma. sec. Δfr* 8 *(Ciof.) quatuor; M uar. scr.* clausit *O ma. pr. alius.* 221. ualles *nouem.* fab. latis uallem *BCΠΣ(?)s sex.*

222. Quosque *bhs quatuordecim et ed. Mediol.; M uar. scr.* sternunt *in ras. m.* uid. spernunt *CZ quinque.* uid. caedunt *s.* uid. feriunt *unus.* metus ullus *Ψ et g uar. scr.* 223. creditur *BΣ(?) gm et flor. Berol.; M uar. scr.* hostis *m.*

Simplex nobilitas, perfida tela caue.
Fraude perit uirtus. In apertos undique campos
Prosiliunt hostes et latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot milia fortes,
Quidue, quod in misero tempore restet, habent?
Sicut aper longe siluis Laurentibus actus
Fulmineo celeres dissipat ore canes,
Mox tamen ipse perit. sic non moriuntur inulti,
Volneraque alterna dantque feruntque manu.
Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes:
Ad bellum missos perdidit una dies.
Vt tamen Herculeae superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes et adhuc non utilis armis
Vnus de Fabia gente relictus erat:
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Continuata loco tria sidera, coruus et anguis,
Et medius crater inter utrumque iacet.
Idibus illa latent, oriuntur nocte sequenti.

226. Persil. *s.* 227. facient *EΦb.* faciunt *Δ.* facerent *D.* fac. fortes c. t. m. pauci *g.* fortis *m.* 228. misero pectore *E uar. scr.* tempore praestet *D.* restat *A ma. pr. BCNOΠTms* 8 44. *tredecim; p uar. scr.* restet habet *m duo; D uar. scr.* rest. habent *Zghps ma. sec. et duodecim cum ed. Mediol.* 229. aper siluis longe *T.* longe siluas *A ma. pr.* longe saeuis *Σ. Ita,* laurentibus, *m* 24 25 34; *g uar. scr.* latrantibus *Δ sex.* laterribus *f.* latratibus *reliqui.* latr. auctus *Π.* latr. aptus *Ψ.* 230. Flumin. *Π.* Fulmineus *h.* 231. tamen ille *CΣ.* 232. Vuln. *libri praeter A.* que alterum *r ma. pr.* dant feruntque *b.* 233. bell. pertulit *unus.* protulit *unus.* 234. missos abstulit *DΦO alius et m in marg. ad uers.* 202. 235. superessent agmina *unus.* 236. Credendum est *g alius.* 237. Iam puer inpubes *D.* impubis *A ma. sec. ΔNOPΠΔΣbfr ma. sec. s.* imberbis *t.* adhuc inutilis *CΣf.* util. annis *Ψh tres.* 239. Si licet *C.* possis *fr sex.* olim tam max. *T.* olim to max. *m ma. pr.* 240. Cum res *P.* res certando *T.* restit. fuit *g uar. scr.* 241. corbus *h.* cornus *m ma. pr.* 242. crater interumque *D.* que micat 34. que latet *ACDEFΦΔMNOPΠΨΔΣTZbfghprst* 44, *reliqui praeter* 2 *et nouem, uett. ed. praeter Mediol. Quod recepi C etiam pro uar. scr.* 243. Id. alba lat. *C.* orientur *Φ.* sequente *O.*

Quae tibi cur tria sint tam sociata, canam.
Forte Ioui Phoebus festum sollemne parabat:
Non faciet longas fabula nostra moras:
I mea, dixit, auis, ne quid pia sacra moretur,
Et tenuem uiuis fontibus affer aquam.
Coruus inauratum pedibus cratera recuruis
Tollit et aerium peruolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis:
Temptat eam rostro. non erat apta legi.
Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Iamque satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
Ad dominumque redit fictaque uerba refert:
Hic mihi causa morae uiuarum obsessor aquarum,
Hic tenuit fontes officiumque meum.
Addis, ait culpae mendacia Phoebus, et audes
Fatidicum uerbis fallere uelle deum?
At tibi dum lactens haerebit in arbore ficus,
De nullo gelidae fonte bibentur aquae.

244. Quae sibi *Πg* 34. cur ita sint *ΔO ma. pr.* cur tam sint *f.* sunt *ΦNTh.* tam sociata *in ras. m.* sint consociata *BCΔf* 10 *septem.* sint continuata *Π* 41 *sex.* 245. ioui festum phoebus *ΠT quatuor.* phebus *DEΦbr.* phoebus sacrum *h.* sollempne *Φr.*
246. faciat *O ma. pr. tres.* 247. nequid *E.* nec quid *N.* quid mea sacra *FN duo.* quid sine sacra *m ma. pr.* pia festa *g.* morentur *EΦΠΨfmps sedecim.* 248. Et uiuis tenuem *Π.* Et uiuam uiu. *p uar. scr.* tenuem e uiuis *CEOΨΣs.* font. aufer *g duo.*
249. Corbus *h.* inauratam *Ps.* 250. Tollet *m ma. pr.* Tollit in aerium *E ma. pr.* aereum *D b alii?* aethereum 8 *duo.* altus aether *Σ.* 251. adhuc ficus duris *uett. ed.* 252. Tentat *ΦΓb?*
253. Inmemor *D.* 254. fierent longa *duo.* tarda mollia *P* 3. tarda mitia 28. 255. Inde satur *Φ* (? *credo falsum esse Matth.*) *p uar. scr.* satur longum nigris *Φ.* nigr. longam c. u. hydram *M ma. sec. gloss. Δ.* long. capit *ΔΠΨgrs* 41 *tredecim et uett. ed.* unguibus anguem *Ψ.* idrum *Ebr.* 256. Et redit ad dominum fict. 7. factaque 3. uictaque *f.* 257. Non tibi causa *T.* uiuax obs. *duo.* 259. Addis cui culpae *C uar. scr.* phebus *DE.*
260. „τὸ uerbis *a m. sec. erasa prima lectione Mazar. Forte legendum* Fatidicum ueri, *nam* uer *erat integrum a manu prima; et sic Hamburg.*" *Heins. in schedis.* Verbis fatidicum *T.* 261. lactans *AΦ ma. pr.* 43. 262. De gelido mille fonte *t.* bibantur *ΦΣgh s quatuor.*

Dixit. et antiqui monimenta perennia facti,
  Anguis, auis, crater sidera iuncta micant.

Tertia post idus nudos aurora lupercos
  Aspicit et Fauni sacra bicornis eunt.
Dicite, Pierides, sacrorum quae sit origo,
  Attigerint latias unda petita domos.
Pana deum pecoris ueteres coluisse feruntur
  Arcades: Arcadiis plurimus ille iugis.
Testis erit Pholoë, testes Stymphalides undae,
  Quique citis Ladon in mare currit aquis,
Cinctaque pinetis nemoris iuga Nonacrini,
  Altaque Tricrene, Parrhasiaeque niues.
Pan erat armenti, Pan illic numen equarum:
  Munus ob incolumes ille ferebat oues.
Transtulit Euander siluestria numina secum.
  Hic ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.

263. monumenta patentia 8. monum. *aliquot.* perhennia *Er.*

264. Ang. crater auis *Φ.* auis erat sydera *D.* 265. Tercia *E.* idus modicos aur. *m ma. pr.* 266. bicorn. erant *Π.* erunt *BD fort. a sec. ma. EΛOΠΨfhst uiginti.* 268. Attigerit *BCΛM NOPΠΨTfhms ma. sec.* 3 *quindecim.* Attingunt *Eg ma. pr.* Attigerunt *r.* Contigerint *Φ.* lacias *E.* domus b. 269. deum ueteres pecoris *Bgp quinque.* col. fatentur *m ma. pr.* 270. Arch. arch. *DEr.* arcad. maximus *unus; M uar. scr.* 271. erit *om. Φ ma. pr.* erat *FΛPT* 3 *quindecim.* eras *O.* eris *uett. ed. omnes.* pholee *EΣ.* pholoes *P.* stynphal. *D.* scinphal. b. stiphalides *Σf.* timphalides *E.* temphalides *Φ.* 272. Quique adis lad. *m ma. pr.* Quique ciladontis in mare *f.* 273. Cintaque *C.* que spinetis *Λ P* 3 *tres.* pineti *m.* nonagrini *E alii.* nonacrina *C.* nonacrinis *Δ.*

274. Altaque cillene *C.* cyllene *Zm ma. pr. et decem* (*sex, sched. Heins.*). Altaque trocenae *B.* crosene *uel* crozene (*test. Gron.*) *C uar. scr.* trozenae *D.* trozene *EΦ.* toruosne *Σ.* traicene *p uar. scr.* tigene *P* 3. troiane *Δ ma. pr.* troigenae *T.* trohene 44. treszone b. thezene *f.* troezenie *p.* troezenae *ed. Rub.* troezene *reliqui scripti et ed. uett. Coniecturam posui.* parnasiaeque 3. parras. *DE Σr.* 275. armentis *T.* pan illa *A ma. pr.* pan illis *m ma. pr.* armenti custos pan numen 12 *quinque* (*tres, ann. impr.*). *Sic,* equarum, *ΨΔ ma. sec. Zm ma. pr.* 8 *sex.* aquarum *caeteri.* 276. Munus ab incolumes *E; C uar. scr.* incolomes *D.* incol. illa *T.*

277. siluest. munera *duo.* 278. Huc *D uar. scr.* est hic locus *Ψ.* est tunc *libri praeter AΣ.* urbis erit 3.

Inde deum colimus deuectaque sacra Pelasgis.
Flamen ad haec prisco more dialis erit.
Cur igitur currant, et cur, sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora ueste, rogas?
Ipse deus uelox discurrere gaudet in altis
Montibus, et subitas concipit ille fugas.
Ipse deus nudus nudos iubet ire ministros.
Nec satis ad cursus commoda uestis erat.
Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, et luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis, nullos agitata per usus:
Artis adhuc expers et rude uolgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas,
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco uomere taurus,
Nulla sub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat usus equi. se quisque ferebat:

279. *Hunc uers. cum seq. om.* 8 *et duo.* deuictaque *m.* 280. Flam. ab haec *b.* ab hoc *m quatuor.* ob hoc *p uar. scr.* ad hac *O ma. pr.* adhuc *t duo.* ad hoc *quinque.* haec festo *C uar. scr.* dialis inest *Λ alius. Sic*, erit, *A ma. sec.* *DEPΨΔΣbr septem; p uar. scr.* 281. Cur nudis curr. *C uar. scr.* currunt *O.* cur concurrere *Λ.* sic *om. A.* cur si *mend. ed. D. Heins., scriptus nullus.*
282. Nudaque sint pos. *g ma. pr. h.* Nulla fer. *m.* roges *m ma. pr.* 283. Ille *P* 3. Iste *s.* *Hic uers. cum seq. in margine m.*
284. subitas concitat *DΛNΣm* 2)34 45 47 *et, extra* 4)8 *et tres, reliqui.* sub. conspicit *p uar. scr.* corripit *s uar. scr.* conc. ipse *A* (*test. tacito Heins. contra disert. Gron.*) *BFΛMOΠΨΔbhr alii et uett. ed.; Φp uar. scr.* ille (ipse) feras *BCDEFΦMNOPΠΨΔΣTfgmrs* 2)34 42 45 47, *numeris insigniti aliquot praeterea et uett. ed. Ex his g pro uar. scr. habet quod ex AΛbhp* 8 *qui noti sunt, recepi.* 285. Ille deus *Ef.* nud. amat ire *T.* iubet esse *DEΣbfps decem et uett. ed.; g uar. scr.* 286. Haec satis *C.* cursum *r quinque.* erit 8 *duo.* erant *E ma. pr.* 287. iouem natum *b.* terr. habitasse *Φt; g uar. scr.* 288. Archad. *DEr alii.* gens fuit illa prior *CΦ.* 289. Vita ferae sim. 1. fere et sim. 34. feris et sim. *unus.* fere siluis null. *m ma. pr.* Vita fuit sterilis null. *O.* nullosque agit. *Ψ.* null. habitata *Δ ma. pr.* 290. adhuc *in ras. m.* expers ut rude *h.* uulgus *libri praeter A.* erant *M uar. scr.*
291. *Hic et seq. uers. post* 306 *positi Φ.* domibus *in ras. m.* norantque pro *E ma. pr.* 292. duobus *m.* 293. anelabat *E.* thaurus *D.* 294. inperio *D.* terra regentis *O uar. scr.* 295. *Prima quatuor uerba in ras. D.* adhuc *om. f.* Nullus erat tunc usus *b.*

Ibat ouis lana corpus amicta sua.
Sub Ioue durabant et corpora nuda gerebant,
Docta graues imbres et tolerare notos.
Nunc quoque detecti referunt monimenta uetusti
Moris, et antiquas testificantur opes.
Sed cur praecipue fugiat uelamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena ioci.
Forte comes dominae iuuenis Tirynthius ibat:
Vidit ab excelso Faunus utrumque iugo.
Vidit et incaluit. montanaque numina, dixit,
Nil mihi uobiscum est. hic meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Maeonis, aurato conspicienda sinu.
Aurea pellebant tepidos umbracula soles,
Quae tamen Herculeae sustinuere manus.
Iam Bacchi nemus et Tmoli uineta tenebant,
Hesperos et fusco roscidus ibat equo.
Antra subit tophis laqueataque pumice uiuo,
Garrulus in primo limine riuus erat,
Dumque parant epulas potandaque uina ministri,

297. Se quoque dur. 8. Sub sole dur. *b ma. sec.* corpora dura ***B C m*** *ma. pr. tres.* nuda ferebant ***ΠΔ*** *quatuor.* nuda tegebant 7. nuda regerebant *m ma. pr.* 298. Docti ***Σ***. tollerare ***Ef***. nothos ***D E G r***. 299. monum. *aliquot.* 300. antiquae 8. testificatur *s*.
302. Tradidit ant. *f*. Dicitur ***M*** *uar. scr.* fabula prima loci *m ma. pr.* 303. tyrinthius ***D***. tirincius ***E***. *Peiores peius.* 304. Vid. in exc. ***G***. utrunque ***D***. que luco ***M***. que loco ***A E F G Φ Λ P Π Ψ Δ Σ T b f g p r*** 2)3 43 *triginta duo et uett. ed.*; *m uar. scr.*
305. muntanaque ***P***. que *om. f*. 306. est *om.* ***Σ*** *s*. est haec meus 11; ***D M*** *uar. scr.* est hac meus ***M*** *uar. scr.* meus ignis erit ***Λ***. ardor ait 12 *alius.* ardor abit 41; ***Π*** *uar. scr.* 307. adoratis *b*. adornatis ***P***; ***O*** *uar. scr.* humeris ***Ψ*** *uar. scr.* 309. pallebant ***C E***. palebant ***B*** *m*. pell. rapidos ***Σ T*** *g p s* 34 *sex.* 310. Quae tantum herc. *f*. substituere *unus.* 311. bachi ***D E G*** *al.* et *omitt. duo.* nemus ethimoli ***C*** *b ma. pr. r*. et thimoli ***D M Σ*** *b ma. sec.* et timoli *f* 44. et moli ***Φ***. et thmoli ***E***. Iamque nemus bacchi et tmoli ***P***. Iamque nemus bacchi timoli uin. ***O***. Iamque nemus bacchi tmoli uin. 23 *recte, puto.* tenebat ***A E Δ*** *g m decem.* petebant *unus.*
312. Hesperus *libri praeter* ***A***. Hesp. ut fusc. ***G***. rosidus ***M N O*** *m p uett. ed.* 313. tofis ***G***. laquearia et pum. ***B***. laqueata et pum. *reliqui praeter* ***G N*** *s et octo.* 314. lumine ***B P***. limite ***Σ*** *h*. riuos *m*. 315. portandaque ***D***. uina ministrant ***E***.

Cultibus Alciden instruit illa suis.
Dat tenues tunicas Gaetulo murice tinctas,
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor zona est. tunicarum uincla relaxat,
Vt posset magnas exeruisse manus:
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Scindebant magni uincula parua pedes.
Ipsa capit clauamque grauem, spoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora sua.
Sic epulis functi sic dant sua corpora somno,
Et positis iuxta secubuere toris.
Causa, repertori uitis pia sacra parabant,
Quae facerent pure, cum foret orta dies.
Noctis erat medium. quid non amor improbus audet?
Roscida per tenebras Faunus ad antra uenit.
Vtque uidet comites somno uinoque solutos,
Spem capit in dominis esse soporis idem.
Intrat et huc illuc temerarius errat adulter,
Et praefert cautas subsequiturque manus.

316. Vestibus 4041. alc. induit *BCDTfgmrs duodeuiginti.*
318. Dat tenuem *EΨTrs octo.* cinctus erat *s.* 319. est *om. O.* tunicarum claustra *M.* uincula laxant 8 (*Ciof.*). uincula laxat *DEΦTf.* uincla resoluit *tres.* 320. possit *Φg ma. pr. sex*; *E uar. scr.* possit uastas 12; 2425 *uar. scr.* exer. magna manus *G ma. pr.* 321. Frangit et arm. *DΔ. Gloss. b*: armille] moriene.
322. Stringebant *EN* 5 *quatuor*; *Φ uar. scr.* Cingebant *Ψ*; *M uar. scr.* Rumpebant *Π* 41. magnis *Φ.* magnos *EN* 5 *quatuor*; *s uar. scr.* pedis *C uar. scr.* 323. Ipse *M ma. pr.* Illa *b tres et uett. ed.*; *p uar. scr.* cupit *A.* caput *m.* capud *Δ.* rapit *s.* clauamque tenens *Ψ.* soliumque *C.* 324. minore *f.* 325. epuli functis *D.* functi dant sic 14. functi dabant sua *unus.* sua pectora 11. sompno *E.* 326. Sic pos. *p.* succubuere *AFTf unus.* subcubuere *P.* sic cubuere 8 *duo.* discubuere 7. thoris *DEGr.*
327. uitis quia *libri praeter CDZm* 1 *et sex.* parabat *m.*
328. purae *G.* pure *in ras. m.* 329. med. quen non *t.* impr. urget *t flor. Ber.*; *P uar. scr.* 331. uidet somno comites *r*? somno (?) famulos *f alius.* uid. socios *unus.* com. uino somnoque *G.* sompno *EΦΣb.* que sepultos *GΔΣTZgps* 124041 *quindecim*; *ΠΨ uar. scr.* que iacentes *b duo*; *p uar. scr.* que grauatos *hr ma. sec. sex.* que sopitos 30 *alius.* 332. capit et dom. *duo.* cap. hinc dom. *unus.* dominos *T.* saporis *E.* 333. Intonat huc *C.* Intr. adhuc ill. *AP* 43. errat in antro *E.* 334. praef. captas *N.*

Venerat ad strati captata cubilia lecti,
Et felix prima forte futurus erat.
Vt tetigit fului setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit sustinuitque manum:
Attonitusque metu rediit, ut saepe uiator
Turbatum uiso rettulit angue pedem.
Inde tori, qui iunctus erat, uelamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Ascendit spondaque sibi propiore recumbit:
Et tumidum cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima:
Horrebant densis aspera crura pilis.
Caetera temptantem cubito Tirynthius heros
Reppulit. e summo decidit ille toro.
Fit sonus. inclamant comites, et lumina poscit
Maeonis. Illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto grauiter deiectus ab alto,
Membraque de dura uix sua tollit humo.

335. strati tractata *m*. cubulia *E*. 336. Et prima felix *ΛM O* 10. sorte *omnes libri praeter A*. 338. Vulnera *C*. pert. continuitque *EΦ*. continuatque *D*. manus *DEΦΛMNOΨbf decem et uett. ed.* 339. que manu red. *Λ* 43. metu riguit *BZm tres*; *C uar. scr.* metu rediens *N*; *b uar. scr.* metu timuit *unus*. metu tremuit *alius*. red. (rig.) ceu sepe *BCghmpr quindecim et uett. ed.* rediit sic sepe *M ma. sec.* *Σ*; *Δ uar. scr.* rediit seu *N*. rediit quasi sepe *O*. 340. Turbatus *CΛΨgm duodecim*. retulit *EGfr*.

341. thori *DEGr*. 343. Accedit *P uar. scr.* prop. resedit 13. recunbit *G*. 344. Et cupidum *m*. Et rigidum *Σ*; *O uar. scr.* Et rigido 6. 345. Iam tenues tunicas *D*. hora *E*. ora deducit *O*. subd. ad ima *b*. 346. Horruerant *G*. Horr. spissis 17. Horr. duris *quatuor*. densis horrida *F*. 347. Caet. cunctantem 11. tent. *Φb alii*. tempt. subito *AFGΓOPΠΔb* 8 40 41 *nouem*; *C uar. scr.* thirintius *DGr*. tirincius *E*. tyrintius *Γ*. 348. Repulit *EΦΓr*. Rep. et summo *FGgh uett. ed.* thoro *DEGΓ*. 349. sonus et clamant com. *Γ*. sonus et comites inclamant, lum. *GPTrs septem*. son. et comites inclamat, lum. *h* 3 *tres et uett. ed.* son. et comites clamabant, lum. *b*. son. et comites conclamant lum. *duo*. inclamat *gh et aliquot ignoti*. incl. omnes *p uar. scr.* poscunt *ΨTm alius*.

350. Maeon. allatis *s tres*. Maeon. aclatis *f*. ign. apta parant *B*. acta uident *Π* 41. 351. gemit grauiter lecto *BCfm duo*. lecto pariter *m ma. pr.* lect. grauius *Λ*. deiectus *in ras. m*. diiectus *Λ*. detectus *h*. depulsus *E*. 352. menbraque *G*. de *om. E ma. pr.* de uiua 35.

Ridet et Alcides et qui uidere iacentem,
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste deus lusus fallentes lumina uestes
Non amat et nudos ad sua sacra uocat.
Adde peregrinis causas, mea Musa, latinas
Inque suo noster puluere currat equus.
Cornipedi Fauno caesa de more capella
Venit ad exiguas turba uocata dapes.
Dumque sacerdotes ueribus transuta salignis
Exta parant medias sole tenente uias,
Romulus et frater pastoralisque iuuentus
Solibus et campo corpora nuda dabant.
Vectibus et iaculis et misso pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant:
Pastor ab excelso, per deuia rura iuuencos,
Romule praedones et Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari. diuersis exit uterque
Partibus. occursu praeda recepta Remi.
Vt rediit, ueribus stridentia detrahit exta

353. Risit *b*. alchides *Γ*. 354. lida *DEGΓr*. 355. fall. numina *E ma. sec. P*. 356. nudas *CΨm*. sua festa *gp*. 357. peregrinae *BZm ma. pr.* causam m. m. latinam 29. 358. Iamque *g*. Inque tua *s*. Inque tuo *ADΓMNOPΠΨΔTfps* 8 (*Ciof.*) 41 43 44 *undeuiginti*. 359. Ceruipedi *Z*. 361. uerubus *libri praeter ADEΓPΠΔfr* 2. transsuta *Φ*? uerib. consuta *Γ*. uer. transusta *Δ*. transcussa 40. transfixa *OΣ* 2) 8 *quatuor, gloss. G*. transiecta *hp tres et totidem uett. ed.* 362. Sacra *quatuor; C uar. scr.* medium s. t. diem 12 23. sole fouente *BCZm duo*. 364. Sol. in campo *t*. Sol. et campis *Γ*. Sol. et ludo *M uar. scr.*

365. *Hoc distichon duo scripti omittunt, unus post u. 368 ponit.* Vestibus *ADEGMfr nouem; CΔ* 44 *pro uar. scr.* Vtribus 34. Cestibus *reliqui libri exceptis, quos sequor, CZm duobus et F uar. scr.* et missi *BCFΦ(?) OPΨmps tredecim.* et mixti *g sex*. et mixto *N duo*. pondere ferri *Φ*. pondere disci *Γ*. 366. per ludos *Δg quinque; C uar. scr.* lus. expedienda *GT „alii."* lus. excutienda *Π*.

367. deuia iura *D ma. pr.* 368. praedones eripe dix. *BCG m* 34. 369. diuers. errat uterque *g quinque*. diuers. haesit *unus*.

370. accursu 13. ocursu *b*. occurso *h*. praeda reperta *b alius*. praeda retenta *DEΦNΠΨΣps quatuordecim*. remo *r*. remi est *PΠΨΔhs et aliquot cum uett. ed.* 371. Vtque redit *Σ* 44. uerubus *BCFGΦΔMNOΨΣTghs alii*. uer. spirantia *g quatuor*. uer. pendentia *Ψ uar. scr.* uer. spumantia *Φ*. fumantia *gloss. g*. uer. stringentia *r*. strid. detragit *Γ*. strid. detulit *BCm* 29.

Atque ait, haec certe non nisi uictor edet.
Dicta facit, Fabiique simul. Venit irritus illuc
Romulus, et mensas ossaque nuda uidet.
Risit et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.
Fama manet facti. posito uelamine currunt,
Et memorem famam quod bene cessit, habet.
Forsitan et quaeras, cur sit locus ille Lupercal,
Quaeue diem tali nomine causa notet.
Siluia uestalis caelestia semina partu
Ediderat patruo regna tenente suo.
Is iubet auferri paruos et in amne necari.
Quid facis? ex istis Romulus alter erit.
Iussa recusantes peragunt lacrimosa ministri,
Flent tamen, et geminos in loca iussa ferunt.
Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.
Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare uideres,

372. ait hoc certe *Tm*. ait hinc *Π*. 373. irr. illic *ΔΨf*; *N uar. scr.* 375. fab. cecidisse rem. 7. 376. quinctilios *Φ*(?) *Σ bf* 2. quint. nec pot. *T*. 377. Fama uolat facti 12. positoque uel. *G*. currit *Δ ma. pr.* 378. famam qui bene *BCEΦΓΔO PΠΨΔΣTbhpst flor. Berol. plus uiginti et uett. ed.* fam. quam bene *C uar. scr.* fam. cui bene *m uar. scr.* bene iessit *Γ*. bene gessit *ABCEFΦΔMNOPΠΨΔTbfghmprst flor. Ber. numeris insigniti praeter* 5 11. 379. quaeres *C uett. ed.* quaeris *T*. locus iste *Pfr*. lupercar *D*. 380. Quaeque locum tal. *r*. Quaeue lucum *G*. Quaeue locum tal. *A ma. sec. EΔMOPΨΣTbfghp st* 43 *undetriginta et uett. ed.* Quaeue notet tali n. c. locum *D*. diem tanto *BCZm octo (sex, annot. impr.)*. causa uocet *Γt duo.*
381. Ilia *duo*; *CΦMNfg uar. scr. gloss. G*. Liuia 44. uest. caelestis sem. martis *DE*. uest. caelesti numina part. *ΔΠΨ* 41. uest. caelestia numina part. *quatuor*. 383. iub. adferri *Ψ*. iub. afferri *ΓΣT*. auf. (adf.) pueros *bf*(?) 13; *ΠΨ et tres uar. scr.* auf. patruos *m ma. pr.* et mane nec. *b*. in igne nec. *T*. 384. alter erat *Φ ed. Ald. prior.* alter ait *Φ uar. scr. test. Heins.* 385. Iussa lacrimantes *r*. 386. Flent simul *p uar. scr.* gem. ad loca *h uett. ed.* loca sola *Bm*. in sola loca *C*. loca fossa *T*. 387. Alb. quam tyberim *b*. tyberin *BCFΔMNOΨhs alii.* tyberim tiberinus mersis in *Φ* (*t. Heins.*). tib. tiberinus mersus in *f*. tyberim *EG*. tib. mersis tib. 734. tyberinus *D*. in undas *Γ quatuor.* in unda *BCG Tm quatuor.* 388. Reddit hib. *b*. Reddit et hib. *s*. timebat *m*.
389. Huc *Δ*. Hac *s*. nunc loca *Ψ uar. scr.* lintr. agitare *m*. er-

Quaque iacent ualles, Maxime circe, tuae.
Huc ubi uenerunt, neque enim procedere possunt
Longius, ex illis unus et alter ait:
At quam sunt similes, at quam formosus uterque!
Plus tamen ex illis iste uigoris habet.
Si genus arguitur uoltu, nisi fallit imago,
Nescio quem e uobis suspicor esse deum:
At si quis uestrae deus esset originis auctor,
In tam praecipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certe, si non ope mater egeret,
Quae facta est uno mater et orba die.
Nata simul, moritura simul, simul ite sub undas
Corpora. Desierat deposuitque sinu.
Vagierunt ambo pariter. sensisse putares.
Hi redeunt udis in sua tecta genis.
Sustinet impositos summa cauus alueus unda.

rare solebant *Ψ*; *O alius uar. scr.* 391. Hic *AΔbm*. Hii *C*. Hic tibi uen. *m*. ubi nunc uentum est neque 29 (23 *ann. impr.*). uen. nec enim *DEPΨΣbh sex et uett. ed.* neque iam proc. 829. nec iam *Φ* (? *suspicor neglig. Matth.*) praecedere *Th*. producedere *m*.

392. unus an alter *Bm* 8. alter erat *b ma. pr.* alter erit *A ma. pr. m*. 393. *Ita*, At, *A ma. pr. m ma. pr.* 8. Ha *BEΓΔPΠΔΣTbfpr* 3. Ab *reliqui*. similes et quam *FΠm*. sim. ha quam *BEΓΔPΔΣTbfr*. sim. quam sunt form. *D*. sim. sunt quam form. *gp*. ah quam *reliqui praeter A ma. pr.* 8, *quos sequor*. uterque est *CM*. 394. ex istis *omnes libri praeter BCΓΠZm* 141; *O uar. scr., ex quibus Laurentianum Coloniensem sequor.* istis ille *ΦΨ* 1223. uigoris erit *Γ ma. pr.* 395. arguitur uisu *DEΓΔ*. uisu et nisi *D*. uultu *libri praeter A*. uultu ni fall. *ΔΠΨ* 6 *alius*. uultu non fall. 24. fallat *Δb*. 396. quem ex ucbis *ΓΔNPΨTgrs decem*. quem in uobis *m ma. pr.* (1?) *duo*. quem a uobis *duo*. quem uobis 514 *duo*. „*In uno Farnes. erasa uetus lectio.*" suspicer *CFs ma. sec.* suspicor ecce coniicio. 397. siquis *G*. uestri *f*. orig. actor *ΔN*. 399. Ferre et opem *D*. opem matri si *M*. opem mater *M uar. scr.* opem uitae *Φ uar. scr.* 400. una *Fbs ma. pr.* orba dee *E ma. pr.* 401. simul peritura simul *P*; *Ψ uar. scr.* simul nunc ite *BCTm* 14 *quinque*. undis *O ma. pr. PΠΨ duo*. sub umbras *ΔTf ma. pr. alius*. 402. Pignora 28. Corpora subierat depos. *A*. Corpora siluerat depos. *D*. que simul *gp*; *M uar. scr.*

403. Audierant *m ma. pr.* *Ita*, Vagierunt, *A ma. pr.* 8 (13?) 43. Vagierant *reliqui*. Vagier. clamore pari sen. *g quinque*; *p uar. scr.* ambo pueri sens. *s*. sentire put. *Eg quinque*; *Ψp uar. scr.*

404. redeant *m ma. pr.* tecta oculis *Δ*. 405. inpos. *G*. summa tamen alu. *Φ*.

Heu, quantum fati parua tabella tulit!
Alueus in limo siluis appulsus opacis
Paulatim fluuio deficiente sedet.
Arbor erat. remanent uestigia, quaeque uocatur
Romula non ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expositos, mirum, lupa feta gemellos.
Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est, prodest quoque. quos lupa nutrit,
Perdere cognatae sustinuere manus.
Constitit et cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires. timor abfuit, ubera ducunt
Nec sibi promissi lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit. locus ipse lupercis.
Magna dati nutrix praemia lactis habet.
Quid uetat Arcadio dictos a monte lupercos?

406. Ha *s.* quant. facti *B.* facti summa tab. *D.* fati curua tab. *g* 11 17 *duo.* fati parta 44. tab. dedit *A uar. scr.* tab. uehit *Ψ duo.* tab. capit *Σ.* tab. fuit *g* 11 17. *Gloss. D*: Tabella, aluei. Vel summa tabella, i. e. summum periculum mortis. Hoc tractum ab his qui euentum suum praedixerunt in tabula. l'. abalea [*alea*]. quia summa tabula i. e. finis ludi iam uicinus aut damnum fert aut lucrum et sic summa tabella in se habet totum pondus ludi. 407. apulsus *b.* inpulsus *Cm quatuor; p uar. scr.* inpulsus 44. apac. *G.*
408. Pullatim *r.* Paullatim *Φ*? defic. cadit *Γ ma. pr.; A uar. scr.* 409. uest. quaque *E ma. pr.* 410. Rumina *Zm* 8 *duo. Ita*, non, *b* 44 *ed. Rub.* 1475; *MNΠ uar. scr.* nunc *reliqui.* ficus rumula ficus *hs alius; g uar. scr.* ficus rumina ficus *g duo. Gloss.* 44: quae nunc est romula ficus tum romula ficus non erat. 411. mirum *om. b ma. pr.* mirum est lupa *C uar. scr.* foeta *Φ*? *G*?
412. credet *Λ.* cred. geminis non *Σ.* 413. est *om. tres.* quoque quod lupa *m.* 414. Prodere (*Φ*?) *ΨT.* 415. Substitit *g quatuor.* 416. *Ita*, fingit, *AFΦ (test. Heins.) MNOb sub ras.; g uar. scr.* lambit *DΨΣ alius.* linguit *Ef.* lingit *reliqui et FΦ (test. Heins.) pro uar. scr.* 417. ubera sugunt *POΣh* 3 40 41 *tres et uett. ed.; Mp uar. scr.* ubera lactant *M uar. scr.* 418. Et sibi 8 34 *duo.* permissi *Cgm* 8 34 40 41 *tres.* promissa *O ma. pr.*
419. Ipsa *Φ* 8 28. loco fecit nomen *GΠ.* locus iste *Γ duo.* locus ille *CFΦΛNOPΠΣTbfg uiginti tres alii et uett. ed.* ille (ipse) lupercal *BCEGΦ ma. sec. (test. Heins.) ΛMNPΣTbghmpr ma. sec. st* 3 44 *duodetriginta.* ipse lupercus *Ψ*; 44 *uar. scr.* 420. nutr. munera lact. *T.* 421. *Hic uers. cum seq. margini ascriptus in m.* Quis uet. *CΦΛNOΠΨΔbghmst* 6 40 41 *uiginti quatuor*

Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.
Nupta, quid expectas? non tu pollentibus herbis,
  Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fecundae patienter uerbera dextrae,
  Iam socer optatum nomen habebit aui.
Nam fuit illa dies, dura cum sorte maritae
  Reddebant uteri pignora rara sui.
Quid mihi, clamabat, prodest rapuisse Sabinas,
  Romulus. hoc illo sceptra tenente fuit:
Si mea non uires, sed bellum iniuria fecit?
  Vtilius fuerat non habuisse nurus.
Monte sub Esquilio multis incaeduus annis
  Iunonis magnae nomine lucus erat.
Huc ubi uenerunt, pariter nuptaeque uirique
  Suppliciter posito procubuere genu:
Cum subito motae tremuere cacumina siluae,
  Et dea per lucos mira locuta suos.

et uett. ed.; p uar. scr. Qui uet. *E ma. sec.* Quis uetet 6. archad. *DEΓfr.* uet. argolico *G.* dict. de monte *NΨ.* 422. archad. t. liceus *mei.* 423. Nuptaque despectas *A* 43. exspect. *fortasse quidam.* expectas quae nec poll. *D, fort. recte.* expectas ntia poll. *r.* polentibus *f.* pellentibus *Φ ma. pr. (test. Mat.).* pallentibus *Φ (test. Heins.) OPΠ ma. pr.* 3 40 41 *quatuor et uett. ed. inde ab anno* 1480. tu furialibus *unus.* 424. Non *N.* nec magno *Δ.* 425. Accipe *b.* foec. *Φ? alii? ed. Rub.* fec. patientia uerb. *D.* pacienter *G.* uerb. palmae *tres.* uerb. caudae *tres; g uar. scr.* 426. optati *m.* habebat *O ma. sec. p.* habebit ait 43. 427. Non *B.* Iam *tres.* fuit ille *C.* dira *M uar. scr.* dura consorte *Φ (t. Heins.) r. Versus in summa pagina scriptus extra ordinem Φ.* 428. Reddiderant *G.* rara *om. D ma. pr.* cara *Δ.* nulla *unus.* plena *duo.* 429. rap. puellas *G.* 430. Rom. haec ipso *Ψ.* hoc ipso *FΛbp.* ceptra *Γ.* illo regna ten. *E.* 431. *Vers. om. et suppl. ead. ma. Φ.* uir. set bell. *m.* sed bella ini. *G.* 432. non rapuisse *g ma. sec. p* 47 *tres.* 433. exquilio *C.* ecquilio *Γ.* esculeo *DEΛ.* esquiliis 23. *Ita,* incaeduus, *ΦΛΠΣbm* 8 *(non Ciof.)* 28; *g uar. scr.* incesus ab annis *Γ.* inciduus *reliqui.* 434. Iunon. dictus nom. *T.* magnae in nom. *G.* numine *Λg quinque; N uar. scr.* 435. Hic *ΓΛm.* ubi conueniunt par. *EΓ.* 436. Subpliciter *Γ.* Supliciter *D.* Siplicitier *E.* Simpliciter *N; Ψ uar. scr.* pos. subcubuere *Γ.* succubuere *DEGMPΨr* 3 *tres.* 437. Tum *Ψ.* sub. notae *B.* notu *Σ.* moto *Γ.* subito morte *E sub ras.* motae tenuere *Φ ma. pr.* cacumine *DGΛ.* 438. Est dea *MTs nouem.* locata *Σ.*

Italidas matres, inquit, sacer hircus inito.
  Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat. nomen longis intercidit annis:
  Nuper ab Etrusca uenerat exul humo.
Ille caprum mactat. iussae sua terga puellae
  Pellibus exectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo noua cornua motu,
  Virque pater subito nuptaque mater erat.
Gratia Lucinae. dedit haec tibi nomina lucus,
  Aut quia principium tu, dea, lucis habes.
Parce precor grauidis, facilis Lucina, puellis
  Maturumque utero molliter aufer onus.
Orta dies fuerit, tu desine credere uentis.
  Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant et sex reserata diebus
  Carceris Aeolii ianua laxa patet.
Iam leuis obliqua subsedit aquarius urna:
  Proximus aethereos excipe piscis equos.

439. Ethalides 23. Italides *MPrs* 3 *undecim*. Italias *E ma. pr. f sex*; *C uar. scr.* Italicas *hp uett. ed.* matres irtus (*Γ*. hirtus 14) caper inquit inito *Γ* 14. matres hircus sacer inquit *E*. inquit caper hircus (hyrcus *m*) *Cm*. caper hirtus *m ma. sec.* inquit caper hirtus inito 33 34. sacer hirrus *f*. 440. Opstupuit *D*. Obstipuit *AB* 43 *quinque*. Obst. subito *m tres*. 441. erat longis nomen int. *Π*.
442. etrusia *Σ*. hetr. *Φb ed. Rub.* 443. mactat uisae *C ma. pr.* mactat missae *m*. terga maritae *OΨ* 10 *quartus ignotus*.
444. Pell. esectis *Γ*. exhestis 40. exentis *h*. exiectis *r ma. pr.* ereptis *f*. exemptis *uett. ed.* exsect. *DE*. percucienda *DΓ*. 445. decimo sua corn. *ΠT tres*. cornua mense *ΛOgr aliquot Ciof.* cornua cursu *p* 2 *quatuor*; *Ψ uar. scr.* 446. Vixque *Ψ*. sub. femina mater *Π* 41. 447. haec cognomina *Ψfr tres*. tibi numina *P* 3. 448. An quia *Φ uar. scr.* Autor princ. *E ma. sec. scil. linea in* q *erasa*. lucis eras *ΛΨ*; *Z uar. scr.* 449. precor facilis grauidis *Φs tres*. 450. Maternumque *DE*. Maturoque *Pfr* 3 *duo*. affer *b*. effer *p uar. scr.* honus *Eb*. 451. dies fuerat *A ma. pr. CΓMNOm ma. pr. s.* fuerit tum des. *Σ*. fuerit tunc des. *f*. fuerit nunc des. 7. 452. Prodidit *s duo*. temp. acta fid. *m ma. pr.* 453. Flam. nunc const. *E ma. sec. b*. Flam. tunc const. 10 11. const. quod sex *g*. sex seruata dieb. *b ma. pr.* 454. *Ita*, laxa, 621; *DΦ uar. scr.* tota *duo*. lata *reliqui*. 455. leuis antiqua *F*. subsidit 33. subsidet 11. aquar. unda *duo*. 456. Protinus *Mb quatuor*; *C uar. scr.* Prox. aithaeos 12. aetherios *Σf uti*

Te memorant fratremque tuum, nam iuncta micatis
Signa, duos tergo sustinuisse deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione
Tunc cum pro caelo Iuppiter arma tulit,
Venit ad Euphraten comitata Cupidine paruo
Inque Palaestinae margine sedit aquae.
Populus et cannae riparum summa tenebant,
Spemque dabant salices hos quoque posse tegi.
Dum latet, insonuit uento nemus. illa timore
Pallet et hostiles credit adesse manus.
Vtque sinu tenuit natum, succurrite nymphae
Et dis auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora, prosiluit. pisces subiere gemelli:
Pro quo nunc cerni sidera munus habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec uiolant timidi piscibus ora Syri.

uidetur. aequoreos *M ma. pr. tres; F uar. scr.* aeth. suscipe *F; E uar. scr.* accipe *Φ.* 457. iuncta duorum *D.* iuncta manetis *r.*

458. Sidera signa suos sust. *s.* Signa deos t. sust. duos *Ψ.*

459. Terr. quidam *C.* fug. tiph. *D.* thiphona *EΓr.* phitona *Π.* tiphoea *N alius.* typhoea *unus.* diene *f.* dionae *Φ.* 460. Tunc eum *G.* Tum *FΠΨm quatuor.* iupiter *EΓ.* 461. eufratem *EΓMNOΠΔTgmps.* comittata *E.* comit. cuspide paruo *D.*

462. Iamque *ΓΣ quinque.* palistene *Γ.* 463. tenebat *T.* summa tegebant *DEGΣhs ma. pr. 3? septem; MΨ uar. scr.* 464. dab. facies has quoque *m.* bas *Z* 44. hoc 33. sal. se quoque *g tres.*

465. Dum iacet *m* 20 *tres; C uar. scr.* intonuit *CΠmr* 3 10 *duo.*

466. Pallit *f.* cred. habere *unus.* 467. sinu natum tenuit *Ds tres.* tenuit iam nunc succ. *B.* sucurr. *E.* succurrere *b ma. pr.* nimph. *DE alii.* 468. diis *DEPΠΔ uett. ed.* 469. prosiliit *Ψs quinque.* prosiliunt *CΣbt* 44 *decem; s uar. scr.* gemellis *A.* gemellos *b.* 470. Pro quis quae cernis sidera 6. Pro facto quo nunc sidera 7. Pro quo quae cernis sidera *ΨZg* 13 *duo et uett. ed.* Pro quo quae dignum sidera *h.* nunc dignum sidera *BCΛm ps* 12 20 *tredecim.* nunc cernis sidera *reliqui. Nam Heinsii coniecturam recepi. Ita,* munus, *BChmr* 7 *tres; M uar. scr. fortassis etiam aliquot praeterea ad ed. Elz.* 1629 *collati.* numen *M uar. scr.* nomen *reliqui, ADEFGΦΓΛMNOPΠΨΔΣTZbfgps* 8 12 13 20 40 41 44 *duodetriginta et uett. ed.* habet *A m.* 471. nef. dicunt *CΦΓMOP ma. pr. ΠΨΣTh ma. pr. m ma. pr. st undeuiginti et edd. saec.* XV. hoc inducere mens. *unus.* 472. Ni uiolent *E.* Neu uiol. *Ψ uar. scr.* Ne uiolent *DΦMNOPΨΔΣTr* 43 *quindecim fere.* pisc. orta *m ma. pr.* siri *EΓr.* sirii *f.*

Proxima lux uacua est. At tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Siue quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo uenit in astra deus:
Siue suo regi nomen posuere Quirites:
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.
Nam pater armipotens postquam noua moenia uidit,
Multaque Romulea bella peracta manu,
Iuppiter, inquit, habet romana potentia uires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum. quamuis intercidit alter,
Pro se proque Remo qui mihi restat, erit.
Vnus erit, quem tu tolles in caerula caeli,
Tu mihi dixisti. sint rata dicta Iouis.
Iuppiter annuerat. nutu tremefactus uterque
Est polus et caeli pondera mouit Atlas.
Est locus, antiqui Capreae dixere paludem.
Forte tuis illic, Romule, iura dabas.
Sol fugit et remouent subeuntia nubila caelum,

473. est ac tert. *Γ*. tercia d. quirini *G*. quirino est *O*. 475. *Ita*, curis, *B ma. sec.* *ΓMΣZm ma. pr.* 2)6 *duo*. cures *A* 820. quris *duo*. qyris *unus*. quiris *reliqui scripti et edd. saec.* xv. quir. piscis *E*. quir. primis 7. 476. a bello *MO*. uen. ad astra *ΔT*. *Gloss. D:* a telo] uirtute teli. 477. Siue suum regi *CMm nouem*. suo nomen regi *gp sex*. 478. Seu quod rom. *E*. romanus uicerat *p uar. scr.* uicerat *duo*. uixerat *C uar. scr.* 479. postquam sua moen. *g sex*. menia *DE*. 480. que *om. f*. perapta *h*.

481. Iopiter *P*. Iupiter *EGΓr*. 482. Sang. illa mei non eget officio *Δ*. eget ista *N*. eg. ille *m ma. pr.* illa meo *E*. 483. Redde pater nat. *Gbg* 29 *tres*. quanuis *D*. quamuis pater intercidit *m*. intersidet 8. intercidit altum *A* 43. interc. ille *T*. 484. mihi praestat erit *D*. 485. erit *om. b ma. pr.* erat *Ψ*. coerula *Δ*. tolles ad sidera caeli *Ψp octo*. in sidera caeli *reliqui libri praeter AΓZ m et duos Ciof. et Neap., quos seq.* 486. dix. sunt *C ma. pr. G tres*. rara *E ma. pr.* rata uerba iou. *Γ*. 487. Iopiter *P*. Iupiter *EGΓ*. adn. *Φ*? ann. motu *DE duo*; *Ψ uar. scr.* 488. Et polus *s*. caeli sidera *T*. pondere motus atlas *unus*. pondera nouit *Eh quatuor et uett. ed.*; *M uar. scr.* pondera sensit *ΓΠΨΣ* 241 *duo*; *M uar. scr. et E ma. recentiss.* athlas *EGΓbr*. 489. ant. capae *D ma. pr.* cape *b ma. pr.* caprae *PΠm ma. pr.* capream *Γ* 10. paludes *BΦ (test. Heins.) duo*. 490. Forte uiris ill. *CZm quinque*. tura *A*. 491. Sol fulgit *D ma. pr.* et remanent sub. *f* 8.

Et grauis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus aether.
Fit fuga. rex patriis astra petebat equis.
Luctus erat, falsaeque patres in crimine caedis:
Haesissetque animis forsitan illa fides.
Sed Proculus Longa ueniebat Iulius Alba,
Lunaque surgebat nec facis usus erat,
Cum subito motu sepes tremuere sinistrae:
Rettulit ille gradus horrueruntque comae.
Pulcher et humano maior trabeaque decorus
Romulus in media uisus adesse uia,
Et dixisse simul. prohibe lugere Quirites,
Nec uiolent lacrimis numina nostra suis.
Thura ferant placentque nouum pia turba Quirinum,

subeuncia lumina *Γ*. sub. sidera **14**. nubila caeli *A* 8. nubila coetum *m* *sub ras.* nubila lucem *t*. nubila solem *P* *uar. scr.* **492.** decinit *r*. **493.** Intonat hinc **14**. Hinc pluit hinc *f*. tonat et missis *D*. Hic tonat hic miss. *b*. tonat immissis abrump. *Δ* 29. tonat emissis abr. *C*. hinc mersis abr. *duo*. Intonat emissis abr. *m* *quatuor*. Intonat emissis erumpitur ign. 8. miss. obrumpitur *Φ*.

494. patr. hasta pet. *b* *ma. pr.* aquis *Φ* *ma. pr.* *bf* *ma. pr.*

495. falsoque *PT* 3 *duo*; *EΔ* *uar. scr.* falsae patres *Df*. falseque cedis in crimine patres *E*. in crimina *Φ* *sex*. caedit *Σ*.

496. forsitan ipsa *bh* *quinque et uett. ed.*; *p* *uar. scr.* illa dies fides *G*. illa dies *P*. **497.** *Ita*, proculus, *Zm* 12 13 15 22 23 29 *tres*. procul elonga *DG*. procu elonga *E*. procul a longa *Φ*. procul e longa *reliqui*. ueniebat uillicus *C* *uar. scr.* **498.** Lunaque fulgebat *BCEΔMNΣfgmprs* *quindecim et edd. saec.* xv. Lunaque fugebat *Γ*. Lunaque lucebat *Π* 41 *tres*. nec fascis *E*. nec satis *b*.

499. subito metu *D*. subito sepes motu *f*. motu nubes creuere sin. *BZm* *alius*. motu nubes crepuere sin. *C*. motu trepidere sin. *f*. sepes crepuere *Φ* *fort. recte*. motu species sonuere sin. *g* *tres*. sepes sonuere *ΓΣp* 14 20 *sex*; *BΔ* *uar. scr.* sepes tenuere *unus*. tremuere fenestrae *b*. *Gloss.* *D*: bono omine quia quod sinistrum dis dextrum est nobis. *Similiter gloss.* *C* *in ann. impr.* *Heins.* **500.** Retulit *EΓf*. Reppulit *Φ* (*t. H.*). Rett. ipse *F*. horruerantque *libri si detraxeris* *ACΦΣg* *ma. sec.* *m* *ma. pr.* 8 43 *et undecim, quos sequor: tum* *Δ*, *qui ita:* Horruerantque comae, rettulit ille gradus.

501. trabeaque decorum *m* *ma. pr.* **502.** media iussus *m* *ma. pr.* uia est *ΔMOPΨΣTfr* 3. **504.** Ne uiol. *libri praeter* *A* 12 20 43 *et duos*. lacr. lumina *A* *et quatuor*. lacr. munera *b*.

505. Tura *EΦ*? *fortasse alii*. ferat placetque *gm* *ma. pr.* placetque *MNOΠ* *aliquot*. placeatque *C*. placent nomen pia *E*. placent dominumque nouum pia turba *r* *ma. pr.* pia thura quir. *f*. turba quiritum *AT*.

Et patrias artes militiamque colant.
Iussit. et in tenues oculis euanuit auras.
Conuocat hic populos, iussaque uerba refert.
Templa deo fiunt. collis quoque dictus ab illo est:
Et referunt certi sacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem stultorum festa uocetur,
Accipe. parua quidem causa, sed apta subest.
Non habuit doctos tellus antiqua colonos:
Lassabant agiles aspera bella uiros.
Plus erat in gladio, quam curuo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen ueteres iaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Vsibus admoniti flammis torrenda dederunt,
Multaque peccato damna tulere suo:
Nam modo uerrebant nigras pro farre fauillas,
Nunc ipsas ignes corripuere casas.
Facta dea est Fornax. laeti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.

506. arces *Γt.* miliciamque *D.* colat *m.* 507. Dixit et *ΨT.* et ex oculis in tenues euanuit 7. 508. Et uocat hic *s.* hic populum *Σ* 12. hic patres *bg ma. sec. h quatuor Heins., nouem? Ciof. et uett. ed.* hic homines *unus.* pop. uisaque uerba *DM ma. pr.* pop. dictaque uerba *Ψ.* pop. uerbaque iussa ref. *BCm* 20. 509. deo faciunt *Ps* 3 *quatuordecim.* deo ponunt 29. est *abiic. ΦNPΣ fp* 12 20 *sex.* 510. ref. certa sacra paterna die *D.* 512. quidem causaque aperta subest *g tres.* causa sed tamen apta *Γ*; *g uar. scr.* sed apta fides *Cm ma. pr.* sed apta tamen *Ψ.* 513. hab. tellus doctos ant. *BCDΣm* 8 *quinque.* 514. Laxabant *Π* 41. Lassabunt *m ma. pr.* 516. domino parua *r.* pauca gerebat *M.*
517. uet. faciebant *r ma. pr.* farra peribant *m ma. pr.* 518. Primicias *DEGΓ ed. Rub.* farra secata *BCm quatuor.* farra reperta *s.* refecta, sacrata *singuli.* 519. Visibus *A ma. pr. M ma. pr.* ammoniti *DEGΓb.* Vs. edocti 7. flammis horrenda *E.* flammis siccanda *Γt.* dedere *BC sex.* 520. dampna *DEr.* damna dedere *m.* 521. Iam *p uar. scr.* Nam nunc urebant nigr. *f.* uertebant *b p ma. pr.* uerebant *E ma. pr.* modo sumebant *O ma. pr.* nigr. sub farre *p.* pro parte *b.* farra *f.* ferre *E ma. pr.* fauillas *in ras. m.* salinas *unus.* 522. Nunc ignes ipsas corr. *Δ.* ipsas igne corr. *CΠ alius.* ips. igni corr. *g ma. sec. m ma. pr. s ma. sec.* 8 12 *sex.* corrupuere *f.* corr. domos *unus.* 523. Fornax facta dea est laeti *P duo.* Facta deae est *BΠΔm alius.* forn. laesi *g.*
524. ut uires temp. *hs ma. sec. uett. ed.* temp. ille *Ψ.* temp.

Curio legitimis nunc Fornacalia uerbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.
Inque foro multa circum pendente tabella
Signatur certa curia quaeque nota.
Stultaque pars populi quae sit sua curia, nescit,
Sed facit extrema sacra relata die.

Est honor et tumulis, animas placare paternas
Paruaque in extructas munera ferre pyras.
Parua petunt manes. pietas pro diuite grata est
Munere. non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est uelata coronis,
Et sparsae fruges, paruaque mica salis,
Inque mero mollita ceres, uiolaeque solutae:
Haec habeat media testa relicta uia.
Nec maiora ueto. sed et his placabilis umbra est.
Adde preces positis et sua uerba focis.
Hunc morem Aeneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.

ipsa *ABEG*. 525. Curtio *Σ*. legitimus *f*. legit. tunc forn. *libri praeter ACΦ*(?)*Δ* 8 12 20 43 *et quinque, quos sequor*. fornicalia *DΓΣM ma. pr. m*. fornocalia *b*. formicalia *quinque*; *p uar. scr*. formacalia *r*. 526. Max. instituit *G*. indixit *hr edd. Ven. Vic.*; *E uar. scr*. incidit *p uar. scr*. nec sacra stata *Γ*. 527. pendente corona *BE*. 528. Signatur cera (caera *D*) curia quaeque sua *DEΓ*. 529. Sstultaque *D*. Multaque *Φ*. populi nescit sua curia quae sit *ΓΠ*. sit sita curia *p uar. scr*. 530. sacra relicta *omnes libri exceptis, quos sequor, BCDm* 20 *et tribus aliis*. 531. et tytulus an. *Γ*. placate *Σ*? *m ma. pr.*? 532. in extinctas *Γm* 34. exstruct. *D*. in extructa munera ferre uia *Ψ*. ferre *om. D ma. pr.* fere *f*. ferte *Φ*? *Σ*? *m*. piras *EGΓ*. 533. pro . . . ete grata est *E*. est *abi. Δ alius*. 534. stix *DEΓr*. habet una *septem*; *p uar. scr*. habet atra *flor. Ber*. hab. unda *G quatuor*. 535. Teg. prorectis *f* 5 11. Teg. proiectis *g uar. scr*. est uallata *h uett. ed.*; *g uar. scr*. 536. Et sparsum *g uar. scr*. frug. sparsaque *BDPm* 3 *sex*; *Cp uar. scr*. parcaque *A ma. sec. G* 8 34. 537. mer. molita *m*. moll. seges *g ma. pr*. 538. Haec abeat *r*. habeant *f ma. pr*. Haec habet in media *DΨ septem*; *CO uar. scr*. te.ta *E ma. pr*. testa soluta uia *b*. testa reperta uia *Aldd*. 1516 *et* 1534. 539. Non mai. *EP*. mai. peto *m*. sed in his *E ma. pr*. et bic *p uar. scr*. 540. pos. in sua (29?); *Ψ uar. scr*. et pia uerba 15 *et Ald*. 1516. 541. actor *ΔNs*.

Ille patris genio sollemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruere dies.
Non impune fuit. nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo. bustis exisse feruntur
Et tacitae questi tempore noctis aui.
Perque uias urbis, latosque ululasse per agros
Deformes animas, uolgus inane, ferunt.
Post ea praeteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque uenit funeribusque modus.
Dum tamen haec fient, uiduae cessate puellae:
Expectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi, quae cupidae matura uidebere matri,
Comat uirgineas hasta recurua comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces et ab ignibus atris
Aufer. habent alias maesta sepulcra faces.

543. patri gen. *CNP ma. pr. quinque.* solempnia *D G.* sollempn. *r.* soll. uerba *g ma. pr.* soll. busta, iura *singuli.* dona gerebat *Π.* 544. rit. addidicere *P* 3. edidic. nouos *Fh aliquot, ed. Rub.*; *p uar. scr.* edid. suos *B.* edid. tuos *Δ uar. scr.* 545. longa gerent *Σ.* longa legunt *CZm.* longa ferunt *Λ alius.* pugnatibus *r ma. pr.* pugnantibus *EGΓΛΨΣTbs sedecim*; *Φp uar. scr.* 546. parentellas *m ma. pr.* parentalis derusuere *r.* deseruisse *m duo.* 547. inpune *E.* nam fertur crimine ab 14. 548. incoluisse *m.* concaluisse *gloss. Λ.* incal. focis *ΓT.* *Gloss. D:* Suburbium incensum fuisse dicitur igne egresso a tumulis. Vel tanta pestilentia orta est quod tota roma incaluit ab igne rogi mortuorum incensorum sub urbe. 549. exisse fatentur *m.* 550. tacito *Ψ* 6 20. (tacita?) questi nocte feruntur aui *tres.* noctis anni *m ma. pr.* 551. urbis iactosque *unus.* urb. latiosque *C(Σ?)* 10 11 48. latos ululasse *AEG ΦΓΛNΨTbfgs uiginti quatuor.* ulul. feruntur 43. 553. Postea *G.* Postea praerepti tum. *D.* thum. *Γ.* onores *r.* 554. Prodigiis fuerat fun. *Φ.* Prodigiisque suus fun. 20. uenis *h.* 555. haec fiunt *CDGg m ma. pr.* 8 12 20 *decem.* fient (fiunt) auidae *D ΛΣ* 6. 556. Expectat *AΣf quatuor.* Exoptat *s duo.* puras *Σ.* theda *DGΓ.* 557. Non tibi *Φ.* quae primum mat. 12 20 *duo.* quae timide *E uar. scr.* 558. uirgineos *Γ.* recurua manu *Δ.* *Gl. G:* hasta] acus. 559. hyminee *Dr.* yminee *Γ.* himinee *EG.* him. fasces *E.* iminee *f.* himinea *b.* et *om. Σ.* 560. *Vers. om. D ma. pr.* sepulchra fasces *E.*

Di quoque templorum foribus celentur opertis,
  Thure uacent arae, stentque sine igne foci.
Nunc animae tenues et corpora functa sepulcris
  Errant. nunc posito pascitur umbra cibo.
Nec tamen hoc ultra, quam tot de mense supersint
  Luciferi, quot habent carmina nostra uices.
Hanc, quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem.
  Vltima placandis manibus illa dies.
Ecce anus in mediis residens annosa puellis
  Sacra facit Tacitae. nec tamen illa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,
  Qua breuis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata ligat cum fusco licia plumbo,

561. Dii *EGΓΠ.* Dum quoque *Σ.* for. celebrentur *Ψb duo.* coelentur *C.* colentur *C uar. scr. cum gloss:* a colo colas. — cel. apertis *ΨP ma. pr. p.* 562. Ture *EGb.* arae sintque *g quatuor; p uar. scr.* igne dies *G.* 563. Hinc an. *m ma. pr.* ten. nunc corp. *Φ.* ten. sed corpora *Δm.* corp. facta sep. *Δ ma. pr.* corp. maesta sep. *g quatuor.* sepulchris *E.* 564. Errent *A.* Err. imposito pasc. *Π.* nunc paruo pasc. 6 *ma. pr.* 565. Non *h et uett. ed.* tam. haec ultra *AΦΓPΨΣbfrs.* tam. hic ultra *O. Sic,* tot, *BCD(Σ?)mps* 8 *nouem.* quam quod de *AEΨ* 43. quam quot de *FGΦΓΔMNOPΠTbfghr* 3 *undetriginta et uett. ed.* ultra quamquam de *Δ.* quam quum de *ed. Elz. sed Heinsii uix ulli scripti.* quam cum de *„ueteres" Neap.* ultra cum tot de *„alii" Neap.* supersunt *libri exceptis ABCE ma. pr. FGΓΔM ma. sec. N ma. sec. PΔbfm* 8; *p uar. scr.* 566. Letiferi *Ilf. ma. tert.* Luctiferi *DF.* Lucif. (Luctif.) quod habent *ABDΓ.* Lucif. tot habent *ΔT* 20 *duo.* habet *E ma. sec.* nostra dies pedes *Γ.* nostra dies *A Ilfeld. BCDEMNΨΔΣbfmr* 43 *uiginti tres alii.* nostra pedes *caeteri. Coni. posui.* 567. *Hic uers. cum seq. recenti manu ascr. in ΠΔm.* Hanc et iusta *Π.* quia busta ferunt *D.* dixere piacula lucem *Γ.* 568. Optima plac. *E in ras. ma. sec. T* 7. man. ista *tres; NΨ uar. scr.* man. iste *r ma. pr.* 569. anus residens mediis annosa *Γ.* in medio res. *A* 43. animosa *F* 6. 570. Festa fac. *duo.* facit mutae 11; *E uar. scr.* nec *in ras. Ilfeld. m.* tac. uix tamen *D(Φ?)* 5 *tres.* tac. non tamen *bh quinque; p uar. scr.* nec tacet ipsa tamen *Gr.* tamen ipsa *libri praeter AΓNO.*

571. tura *G? Φ?* thura simul sub 8. sub limite *b.* sublimine *G.* sub limina *f ma. pr.* 14. 573. Vel cant. *Ψ.* Tunc *libri rell. praeter BD(Φ?) GO Ilfeld. et quatuor.* Dum *M uar. scr.* cantata tenet *libri (Ilfeld. in ras. praeter primum* t) *exceptis BCDmps ma. sec.* 8 12 20 *decem.* ten. (lig.) confuso lic. *fg* 5 41 *octo; C uar. scr.* ten. con fusco *Φr ma. pr.* cum fisso lic. *ut puto E ma. pr.* cum

Et septem nigras uersat in ore fabas.
Quodque pice astrinxit, quod acu traiecit aëna,
Obsutum maenae torret in igne caput.
Vina quoque instillat. uini quodcumque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas inimicaque uinximus ora,
Dicit discedens ebriaque exit anus.
Protinus a nobis quae sit dea Muta, requires.
Disce, per antiquos quae mihi nota senes.
Iuppiter immodico Iuturnae captus amore
Multa tulit tanto non patienda deo.
Illa modo in siluis inter corileta latebat,
Nunc in cognatas desiliebat aquas.

fuso lic. FΠm. licia limbn C ma. pr. licia blumbo G. licia bumbo Γ T 5 29 44. licia bombn octo; N p uar. scr. lic. rhombo 5 29 uterque pro uar. scr. 574. nigr. mersat g uar. scr. 575. Quotque h. Quique C uar. scr. adstr. E (Φ? Σ?) alii. abstrinxit P. astringit B C O T 6 20 duo. astrixit Γ r. astruxit f duo. qund acus duo. tragecit Γ r. acu transfixit Ilfeld. B C D m p 8 nouem. acu transfigit 20. ahena Φ? Σ? alii. tra. acuta C Π Ψ 41 sex. 576. Opsutum D. Obtusum 8 13; P uar. scr. Obsuto 2. Obscurum quinque. maenae Heinsii est coniectura, cui proximi sunt libri mane D, menae Z habentes. Aeque prope sagaciter Bergkius dum uersamus codicem Ilfeld. in difficillima eius rasura mulli legebat. mentae A E ma. pr. Π; P uar. scr. mento Δ Σ m ma. pr. 2)6. menta reliqui libri, etiam Ilfeld. me iudice. menta torquet in P. capud E. capam 44. 577. instillant b quinque. est abi. duo. 579. lingaus Γ. que om. E. uincsimus C. uiximus duo. neximus Φ. iunximus D Π h s quatuor et uett. ed. uincimus undecim. iungimus unus. uicimus E Γ Ψ Δ ma. sec. T undecim. uic. arma E Γ octo. 580. Dicet A D E F G Φ (test. Heins.) M O Π Σ T b g ma. pr. p r tredecim. Dixit Ψ quatuor. 581. Forsitan 29 34. sit dimota req. m ma. pr. sit mutata req. Δ ma. pr. dea nuta p. requiris E M f tres. requiras Γ b s alius. 582. Vers. in marg. habet r. nota dies G.

583. Iopiter P. Iupiter D E G Σ b r alii. Iuppiter modico in ras. ita, ut possit fuisse indomitum Ilfeld. inmodico G Φ Γ f. indomito B C m 1)4)8 quinque; M uar. scr. iut. uinctus F N Ψ r 6 quatuor. iut. iunctus unus. iut. tactus unus. iut. uictus reliqui exceptis, quos sequor, Ilfeld. B C D m 8 sedecim; Ψ uar. scr. amore est f. amorem fort. Ilfeld. sub ras. 584. pacienda E G. potienda m ma. pr.

585. silu. intra p uar. scr. int. conlecta b. cerileta f. coruleta Γ 2. coryl. dubito an nullus. Ita, latebat, Φ N duo; C E g uar. scr. Vestigium eius scripturae restat in Ilfeld. iacebat reliqui libri.

586. dissiliebat b h. adsiliebat fort. sub ras. E.

Conuocat hic nymphas, Latium quaecumque tenebant,
Et iacit in medio talia uerba choro:
Inuidet ipsa sibi, uitatque quod expedit illi,
Vestra soror, summo iungere membra deo.
Consulite ambobus. nam quae mea magna uoluptas,
Vtilitas uestrae magna sororis erit.
Vos illi in prima fugienti obsistite ripa,
Ne sua fluminea corpora mergat aqua.
Dixerat. annuerant omnes Tiberinides udae,
Quaeque colunt thalamos, Ilia diua, tuos.
Forte fuit nais Lara nomine. prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat,
Ex uitio positum. Saepe illi dixerat Almon,

587. ninph. *E.* nimph. *rell. mei.* lacium *D G Γ r.* quascunque *b alius.* quotcunque 11 48. tenebat *f.* tenebas 11. colebant *N.*

588. Et facit *G uar. scr.* medio cognita uerba *F.* 589. ipsa dei uit. *A* 43. ipsa mihi *tres.* exped. ipsi *Δ tres.* 590. somno *Γ. Sic,* iung. membra, *B C D* 8 *duodecim; p uar. scr. Atque ita olim fuisse in Ilfeld. probabile est.* iungere uerba *g m.* summo succubuisse *s quinque.* summo procubuisse *Δ.* summo subposuisse *f.* summo concubuisse *qui restant libri cum uett. ed. meis et Ilfeld. a tert. ma. in spatiosa rasura.* membra thoro *duo; p uar. scr.* uerba thoro *g.* concub. ioui 12. *Gloss. C:* iung. membra] scil. concubuisse. 591. ambobus quoniam mea 6. namque mea *Ilfeld. olim.* namque est mea *G Φ Γ f Ilfeld. ma. tert.* namque est mihi magna *D.* nam quae est mea *B b g h p* 20 *decem et uett. ed.* nam quod mea *Ψ* 11. quae mihi magna 48. mea prima uol. *C.* uoluntas *Φ ma. sec.* 592. Vtil. nostrae *E.* magna *in Ilfeld. ma. tert. aut scriptum aut renouatum.* uestrae prima *B* 4)8 *sex.* sororis erat *E.* 593. illi prima 14. fug. insistite *P.* 594. Nec *s.* fulminea *T b ma. pr.* sua finitima 12 23. merget *Ψ.* corp. iungat, tangat, regat, tegat, madet, mandet *singuli.* 595. annuerunt 11 *ed. Ald. postr. Receptam scripturam integram F tuetur.* adnuerant (*sic solus hic*) undae tiberinides udae *f.* ann. nymphae *Δ ma. sec.* ann. nymphae tiberinides undae 6 *alius.* omn. tiber. omnes *A.* tiberinides (tyber. *Γ,* tibrenides *Σ,* tiberinidos *Δ*) undae *E G Φ Γ Λ M P Π Ψ Δ Σ T b r s* 3 *sedecim. Gloss. G:* undae] pro nimphae. *Hos hactenus indicatos si detraxeris, qui restant libri ita:* ann. nymphae tyberinides omnes, *sed in ea scriptura:* ninphae *D,* nimphe tiberinides *Ilfeld.,* tiberiades 20.

597. fuit nympha 20. fuit nymphe *tres. Sic,* lara, *Z g m ma. pr.* 12 *quinque alii et ut uideor uidisse, Ilfeld. sub ras.* lar nomine *reliqui libri.* nomine sed tamen illi 12 20 23. 598. bis *in ras. m.* sulaba *C.* sillaba *Ilf. D E G Γ r.* nomen erit *Λ Γ.* nom. habet *duo*

599. Exicio *et prox. syll.* um *in Ilf. ab improba tert. ma.* uicio

Nata, tene linguam. nec tamen illa tenet.
Quae simul ac tetigit Iuturnae stagna sororis,
Effuge, ait, ripas. dicta refertque Iouis.
Illa etiam Iunonem adiit. miserataque nuptas,
Naida Iuturnam uir tuus, inquit, amat.
Iuppiter intumuit, quaque est non usa modeste,
Eripuit linguam, Mercuriumque uocat:
Duc hanc ad manes. locus ille silentibus aptus.
Nympha, sed infernae nympha paludis erit.
Iussa Iouis fiunt. accepit lucus euntes:
Dicitur illa duci tum placuisse deo.
Vim parat hic. uoltu pro uerbis illa precatur
Et frustra muto nititur ore loqui.
Fitque grauis, geminosque parit, qui compita seruant
Et uigilant nostra semper in urbe, Lares.

Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et uenit ad socios turba propinqua deos.

EG. Ex alto positus saepe *m ma. pr.* uitio impositum 6. positum est saepe *Δf.* saepe illa *a pr. ma. corr. Ilfeld. Ita*, almon, *Ilfeld.* 2029. almo *caeteri.* 600. Nate *BD.* ling. non tam. *BΨ alius.* tamen ipsa *Δ* 43. 601. simul attegit *G ma. pr.* stagna *primis duabus litteris in litura Ilfeld.* iut. magna sororis *m ma. pr.* iut. tecta *unus.* stagna lacusque *b ma. pr.* 603. Illa eadem iun. 12. miserata maritas 14. nuptas *posteriori syllaba in ras. Ilfeld.* nuptam *GO(Σ?)gps ma. sec. decem*; *D uar. scr.* nimpham *D.* nympham *quatuor.* nymphae *Cm ma. pr. tres.* nymphas *h tres et uett. ed.*

604. Naiada *ΦΔNΠTbfghps.* inquid *E.* 605. Iupiter *Ilf. EP.* qua non est usa *Π* 41. est *om. s duo.* 606. *Sic*, Eripuit ling., *BCDZm* 8 *quatuor.* Eripuit huic ling. *Ψ.* Eripit hinc ling. *f.* Eripit huic linguam *reliqui*, *etiam Ilfeld., sed hic eam partem scripturae, qua ab recepta differt, a rec. ma. in litura, ampliore quam pro recepta scriptura.* mercuriumque monet *Zm* 8 *quatuor*; *C uar. scr.* uocat *a tert. ma. Ilfeld. in ras.* 607. Hanc duc ad *Δ.* Dux hanc *ΓΣ.* Duc ait ad *Φ.* locus iste *P* 314. silent. altus *ab ead. ma. singulari modo corr. Ilfeld.* 608. Nymphis infernae *N.* Nympham. haec inf. *gs tres.* Nympha haec inf. 12 *sex* Nimpha, nimpha *Ilf. DEGr.* 610. *Ita*, tum, *Ilfeld. BDGΨ* 820 *quatuor:* duci complacuisse *Σ.* tunc plac. *reliqui scripti et edd. uet.* placuisse suo *BCNOΨ et aliquot*; *G uar. scr.* 611. parat huic uult. *ΔΓ* 6 *alius.* parat et uult. *E.* parat hunc uult. *s ma. pr. sex.* parat hinc *unus.* 612. Et muto frustra *Δ.* 614. in aede lar. *CΨ et uett. ed.* 615. duxere *b.* *Sic*, carist., *Ilf. DEGΦΓbfr*; *p uar. scr.*

Scilicet a tumulis et qui periere, propinquis
Protinus ad uiuos ora referre iuuat,
Postque tot amissos quicquid de sanguine restat
Aspicere et generis dinumerare gradus.
Innocui ueniant. procul hinc, procul impius esto
Frater et in partus mater acerba suos,
Cui pater est uiuax, qui matris digerit annos,
Quae premit inuisam socrus iniqua nurum.
Tantalidae fratres absint, et Iasonis uxor,
Et quae ruricolis semina tosta dedit:
Et soror et Procne, Tereusque duabus iniquus,
Et quicumque suas per scelus auget opes.
Dis generis date thura bonis: Concordia fertur
Illa praecipue mitis adesse die.
Et libate dapes. ut, grati pignus honoris,
Nutriat incinctos missa patella Lares.

karistia *AP*. charist. *reliqui*. char. rari *Δ ma. pr.* kari *A*. 616. turba uocata *Π* 40 41. socias turb. uoc. (prop.) dapes 11 40 41; *g et tres uar. scr.* prop. cibos *unus*. prop. patres *unus*. *Gloss. DE:* deos] penates. 617. Silicet *Γ*. Scil. attumulis *E*. tum. sed qui 8. propinqui *ΑΓΛ* 43 *septem*. propinquos *O*. 618. ora perferre *f*. 619. admissos *ΓΣ*. de genere restat *D*. 620. gener. annumerare 8 *alius*. denumerare *g*. dinum. gradum *N*. 621. uenient *A*. ueniunt *f*. 622. acerba tuos *G* 7. 623. Qui *m*. uiu. cui mater 6. qui mater *E ma. pr.* degerit 6 43. dirigit *MΨ*. *Gloss:* uiuax] ultra quam uelit *b*. nimium *r*. 625. Tantalides *ABEFG ΦΓΛΟΡΔΣΤbfr* 43 44 *duodecim*. Tant. absint fratres *f*.

626. sem. testa *Σ*. cocta *unus*. dedit *in ras. m.* tosta dabit *C*.

627. *Sic*, procne, *D*(*Φ*?). pronine *E*. progne *Ilf. et reliqui*. ther. *Γ*. iniquis *m*. 628. per celus *Γ*. 629. Diis *Ilf. DEP*. Dii *Π*. generis om. *E ma. pr.* Diis gentis *duo*. tura *Ilfeld.* boni *libri praeter Ilfeld. Γg ma. pr. m et octo*. concordia feruet *b*. 630. Illo *Φbg ma. sec. h duo et uett. ed.* adesse iubet *A*. 631. dapes et grati *Dmps octo; M uar. scr. Ilfeld. in ras. a tert. ma.* dapes in grati *Φ*. *Sic*, honoris, *ABCEΦMΔZbr* 8 *undecim*, *Ilfeld. in ras. a tert. ma.*; *Tmp uar. scr.* amoris *reliqui et AE uar. scr.*

632. *Ita*, incinctos, *bm ma. pr.* 20 *et duo uel tres*. intactos *BM et, ut puto, Ilfeld. sub ras.* inuentos 7. immissos *uel* inmissos *DF ΦΓ undequadraginta; MΠp uar. scr.* intinctos *reliqui*. inc. mussa latella *m ma. pr.* iussa pat. *Ilfeld. ma. pr. DZ*. uucta pat. *g* 11. iuncta pat. *unus*. parua pat. *duo*. *Ita*, lares, *CZm sub ras. teste Heinsio et eodem modo non dubito affirmare de Ilfeld.* cibos *reliqui omnes*.

Iamque ubi suadebit placidos nox humida somnos,
Parca precaturi sumite uina manu,
Et, bene uos, bene te patriae pater, optime Caesar,
Dicite suffuso ter bona uerba mero.

Nox ubi transierit, solito celebretur honore
Separat indicio qui deus arua suo.
Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Te duo diuersa domini pro parte coronant
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit. huc ignem curto fert rustica testu,

633. Iam tibi suad. *uett. ed.* ubi *om. C.* ubi sua dederit *M.* humida *ab impr. ma. in ras. Ilf.* nox ultima *BCZ ma. pr. m* 23 33. sompnos *E.* sonnos *Φr.* 634. *Ita*, Parca, *Ilf. ma. pr. m; C uar. scr.* Larga *caeteri.* Verba prec. *T uar. scr.* precatura *Φ (test. Heins.) et p uar. scr. uterque.* sumite uerba *A.* sum. uera 43. sum. thura *ΦΓΨ.* dona, sacra *M pro uarr. scrr.* manus 11. 635. bene nos *ΦN s ma. sec.* 14 34 *uett. ed.* uos patriae bene uos pater 12. uos patriae bene tu pater *tres.* bene tu patr. *libri exceptis ABCDE ma. pr. FTm* 6 8 20 *et quatuordecim aliis.* 636. subfuso *P.* perfuso post sacra uerba *g.* suffuso in sacra uerba *ABFΦ ma. sec.* 8 43 *decem alii; CT uar. scr.* Dic. fundentes in sacra uerba merum *Tr.* suffuso iam sacra uerba *G.* suffuso sint bona uerba *CDΦ sub ras. (teste Heins.) Ψ Ilfeld. m* 12 20 *quinque.* suffuso sit bona uerba 11. suffuso sint sacra *Z* 6 7. suffuso quin sacra 48. suffuso sacraque uerba *f* 40. suffuso post sacra *bp quinque.* suffuso per sacra *reliqui. Nam Heinsii coniecturam recepimus. Gloss. Ilfeld:* bona i. e. sacra. 637. transieris 11. ubi desierit *duo.* transierit subito *Δ alius.* celebratur *EΓΔ ma. pr. g quatuor.* 638. Seperat *ed. Ven. Vic. Ald.* 639. siue palus *s ma. pr.* siue est *m.* es *om. f.* es diffussus *E ma. pr.* defossus aratro 20. in aruo *unus.* agris *FΓM.* agros *Δ.* 640. *Interpunxi ad exemplum cod. Ilfeld. et uett. ed.* antiquis sic quoque *DEF(Φ?)p* 6 *Ilfeld. ab improba ma. in ras.* nomen *libri praeter Ilfeld. BCFPΨg undeuiginti alios et uett. ed.*

641. duo *in ras. Ilf.* diuers. dom. de *in ras. m.* diuersi *Γ.* dominum *f. Sic*, pro parte, *Ilfeld. BCDZ* 20 *sex.* de parte *reliqui.*

642. Binaque dona tibi binaque serta fer. *Π.* binaque dona ferunt *libri praeter eos, quos sequor, BCDZghmp ma. sec. Ilfeld. ma. tert. in ras.* 8 *tredecim alios et uett. ed.* ferunt uel testa *r, ascripto glossemate, ad uers. seq. quod pertinebat in codice archetypo.*

643. fit. hic ign. *CEΓMΣbfr* 6 8 10 12 20 *triginta duo et Ilf., sed hic supra lineam scripto* fit. fit hic. ignem *FΔNPΔTghmp s* 47 *et uett. ed.* fit huic ign. *GΦ* 29; *CM uar. scr.* huc *etiam p uar. scr.* fit hic curto fert ignem rustica testo 49. ignem curta *D*

Sumptum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte,
Et solida ramos figere pugnat humo.
Tum sicco primas irritat cortice flammas:
Stat puer et manibus lata canistra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parua fauos.
Vina tenent alii. libantur singula flammis.
Spectant et linguis candida turba fauent.
Spargitur et caeso communis Terminus agno,
Nec queritur lactens cum sibi porca datur.
Conueniunt celebrantque dapes uicinia simplex,

ΔNPΨbhm *ma. sec. Ilf. ma. tert.* 6 13 20 47 *septemdecim et uett. ed.*; BFGΠgp *uar. scr.* ignem curuo CGΔ *ma. sec. tres; unus uar. scr.* ignem curua BEΦΓOΠΣTfgpr *ma. sec.* s 41 *uiginti sex*; Pm *uar. scr.* rust. texto A. rust. tectu A *uar. scr. in marg.* rust. testo Fm *ma. pr.* 8. tecto Z. textu Δ *alius.* texta *unus.* testa BDEΦΓΛNOPΠΨΣbfghm *ma. sec.* pr *ma. sec.* s *Ilfeld. ma. tert.* 6 13 20 41 47 *triginta tres et uett. ed.*; CFG *uar. scr. Receptam scripturam credo etiam sub rasura Ilfeld. latere.* 645. Tigna 34. Lingna E. min. coustiaque constr. E *ma. pr.* conscisaque b. conscissaque Gs *quatuor*; p *uar. scr.* concissaque BΛΣ. concussaque M *uar. scr.* que instruit f. que contulit Π 41. que destruit 28. constr. arae Ψ. constr. apte Φ *et* Π *et* Ψ *uar. scr.* ante *quatuor.* alta, artes *singuli.* arcte 12 22; G *uar. scr.* arce Σ. constr. arte A BCEFGΦΓΛMNOPΠΔTbfghpr 3 43 *triginta duo Ilfeld. ma. tert. uett. ed.*; Ψ *uar. scr. In Ilf. receptae scr. uestigium sub ras. apparet.* 646. Ac sol. M. Vt sol. b. figere temptat ΦM *ma. sec. octo*; gp *uar. scr.* tentat *uett. ed.* 647. Dum 33. Tunc EΦΓ PΠΔTbfpr *uiginti et uett. ed.* sicca f. sicc. flammas irr. cort. primas N. primas inuitat 8 28. 648. *Hic uers. et proxime sequentes tres in margine Ilfeld. et m scripti, in Ilf. a sec. ma.* man. laxa can. D. man. leta r. man. alta Φ *uar. scr.* 649. medicos inmisit E *ma. pr.* inmisit G. in agros M *uar. scr.* 650. inscisos f. incussos, infusos *singuli.* filia flamina fauos Σ. 651. Vina parant alii s 12 *duo.* 652. Spectant et inlinguis *Ilfeld.* Spectat et in lignis m *ma. pr.* s *ma. pr. octo.* Spectat et 41. lingnis E *ma. pr.* lignis C. ling. calida turba *unus.* ling. caetera turba 12 20 s *ma. sec.* cand. lingua fauet O *ma. pr.* turba fauet ABCDG *Ilfeld.* Λ PΠΔΣTbfgmprs 8 40 41 43 44 *triginta quatuor et uett. ed.* turba uenit C *uar. scr.* 653. caesa (G?) c. t. agna Λ. term. anno N. 654. lactans ABG *Ilf. ma. tert. in ras.* Φ *ma. sec.* ΛPΠΨΣTg mps 40 41 *alii.* lact. sit sibi D *sub ras.* lact. si sibi DT. lact. et sibi Π. 655. uic. suplex MNPΔTg *ma. sec.* s. uic. supplex G Φh 12 *uiginti unus et uett. ed.*; Ψ *uar. scr.*

Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos urbesque et regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est. nullo corrumperis auro:
Legitima seruas credita rura fide.
Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non leto missa trecenta forent,
Nec foret Othryades congestis lectus in armis:
O quantum patriae sanguinis ille dedit!
Quid noua cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Ioui cessit turba locumque dedit.
Terminus, ut ueteres memorant, inuentus in aede
Restitit, et magno cum Ioue templa tenet.
Nunc quoque se supra ne quid nisi sidera cernat,

656. cantat *Bf quinque.* term. facte *p uar. scr.* 657. urbes et *P.* et menia ingeucia *r.* ing. signas (*Heins.*; signat *Gron.*) *p uar. scr.*
658. te luxuriosus ag. *b.* 659. Nulla uel amb. *b.* ambicio *Γ.*
660. seru. condita *unus.* cred. iura *Dfma. pr. duo.* 661. tu seruasses olim *BP*3 *quatuor. Ita emendate,* th., *solus m ma. pr.* tyriatida *Ilfeld.* tyriada *D.* tyatida *M.* thyaterida *BFp* (*t. Gron.*) 43. tyaterida *unus.* thiatherida *ANΔT*8 12 *tres.* thiaterida *E.* thiacerida *r.* triaterida *CΦΓΔOb ma. sec. g ma. pr. m ma. sec. p* (*test. Heins.*) *s ma. pr. duodecim et uett. ed. nisi quod* trieterida *Rub.* traterida *G.* tiraterida *b ma. pr.* tiatherica 3. triaterica *ΠΣf duo; M uar. scr.* tatherica *P.* tereida *h.* thireida 11. tyreeida 15. tirannia *unus. Gloss. h:* terram] inter argiuos et lacedaemonas quae etiam cynosura [*cynuria*] dicitur. 662. non laeto *D.* non loeto *Ilfeld.* tricenta *P.* 663. Non *OΠhm quatuor et ed. Rub.* Rex foret *O uar. scr.* othriades *C.* otriades *D.* athiadas *E ma. pr.* ethriades *Δ.* echiades *Γ.* othiades *E ma. sec. Gbr.* otyades *Φ.* othrydes *p.* odriades *f.* otriades *ed. Rub.*; *Φ uar. scr.* otryades *uett. ed. rell.* othr. coniectis *FOΣTbgpr duodecim.* coniestis *Γ*8. contextis *duo.* lectus *coni. Barth.* tectus *libri. Gloss. E:* Othiades uel amphiamus dux quidam qui pugnantibus inuicem lacedemonibus et atheniensibus pro suo exercitu ut uictoriam haberent se deuouit et armis hostium suffocatus est. 664. patrii *P*14. illa *m ma. pr.* 665. *Hic uersus et proximus omissi in serie, ascripti in summa pagina in Φ.*
666. turba deditque locum *G.* 667. ut memorant ueteres *DEGΓMPΨTfms et decem fere.* ut memorant homines inu. *Π*41 *quatuor.* memorant iunonis in *g tres.* mem. (uet.) conuentus *C*6 11 *et fort. m sub ras.* (*alius?*) *Gloss.* 44: inuentus i. e. interrogatus.
668. ioue regna tenent 6. 669. se supra *partim cum membrana erosum, partim in litura a tert. ma. Ilfeld.* quoque si frustra ne *C* 34. supr. nequit nisi *Γ.* ne quod non sid. *b.* cernat *postrema lit-*

Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, post illud leuitas tibi libera non est:
Qua positus fueris in statione, mane.
Nec tu uicino quicquam concede roganti,
Ne uideare hominem praeposuisse Ioui.
Et seu uomeribus, seu tu pulsabere rastris,
Clamato, suus est hic ager, ille tuus.
Est uia quae populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra uidet fieri sextus ab urbe lapis.
Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanae spatium est urbis et orbis idem.

Nunc mihi dicenda est regis fuga. traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.
Vltima Tarquinius romanae gentis habebat
Regna, uir iniustus, fortis ad arma tamen.

tera in ras. posita Ilfeld., totum in ras. m. 671. post illam *tres.* 672. fueras *COΠΨg ma. pr. decem; ΦPp uar. scr.* manes *ABCEFΦ ma. sec. ut et Ilf. ΓΛMOPΠΔΣTbfghprs* 40 41 43 *uiginti tres et uett. ed. Vetus scriptura in Ilf. agnoscitur.* 673. uicino illum quicquam *r.* 674. Nec uid. *AP.* praepos. deo *G.*
675. tu uiolabere rastr. *F.* puls. rotis *f.* 676. *Ita,* suus, *DΛ et duo.* meus 6 29 (*sec. schedas:* 11 *in annot. impr.*) tuus *reliqui.* tuus hic est ager *fg.* ager iste *G.* ille suus *A ma. sec. BCMP ma. sec. ΨTbhm ma. sec. prs duodecim et uett. ed. Gloss. C:* suus, i. e. illius. 677. uia laurentes populum quae ducis in *Γ.* populos *DN quinque.* laurentos *Ilf. ma. tert. r ma. sec.* 678. dardanido *D.* dard. terra pet. *ΦΣbr duo.* dard. terra potita *unus.* regna petenda *unus.* 679. Illac *BΓ.* Illic *ΛMOPgh ma. sec. s undeuiginti et Ald. prim.; Π uar. scr.* Illo 12 *alius.* Ille *unus; p uar. scr.* lanigerae *O.* 680. Sacra iubet *P.* uides *quatuor; C uar. scr.* fieri vitus *Γ.* orbe *f.* 681. data limite *a tert. ma. in ras. Ilfeld.* aliis data tellus *h uett. ed.* tellus in limite *BDm ma. pr. quinque.* limine *Γ.* lumine *r ma. pr.* 682. Romanis *D.* Romano *p uar. scr.* spacium *Ilfeld. DEG.* 683. Nunc dicenda mihi regis *b* 11 14. est regum *PΣ* 3. ab illo *D alius.* 684. Quintus ab 2. Septimus extremo *N* 7; *M uar. scr.* ab alterno nomine mense 6. extrema *D.* ab eterno *Φ ma. pr.* ab externo *Φ ma. sec.* 685. habebit *E ma. pr.* 686. uir incestus *f.* fortis in arma *Φ uar. scr.* (*test. Heins.*) arma uenit *O ma. pr.*

Ceperat hic alias, alias euerterat urbes,
Et Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque trium minimus, proles manifesta Superbi,
In medios hostes nocte silente uenit.
Nudarant gladios. occidite, dixit, inermem:
Hoc cupiant fratres Tarquiniusque pater,
Qui mea crudeli lacerauit uerbere terga.
Dicere ut haec posset, uerbera passus erat.
Luna fuit. spectant iuuenem, gladiosque recondunt.
Tergaque deducta ueste notata uident:
Flent quoque, et ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille uiris.
Iamque potens misso genitorem appellat amico,
Perdendi Gabios quod sibi monstret iter.
Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum riuo lene sonantis aquae.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, et uirga lilia summa metit.
Nuntius ut rediit decussaque lilia dixit,
Filius, agnosco iussa parentis, ait.

687. Coeperat *Ilfeld.* aliasque euert. *P* 3 *sex.* euerteret *D ma. pr.* auerterat (*G test. Heins.*) 13 33. alias cum terreat urb. *m ma. pr.* euert. arces 34. 688. turpi ceperat *f ma. pr.* 689. Iamque Σ 11. Nanque *D.* 691. Nudarunt *NPhs septem et uett. ed.* 692. Haec *BΔf.* *Ita,* cupiant, *AΦΣ* 29 33 43. cupient *unus.* cupiunt *reliqui omnes.* 693. lacer. uulnere *Γgm octo.* lacer. uulnera *quatuor.* uerb. membra *unus.* 694. *Ita,* haec, *Dgs octo. Omitt. uoculam C.* hoc *reliqui.* Dic. hoc ut *f.* possit *s.* poss. uulnera *g octo.* 695. spect. iuuenes *Γ ma. pr.* que recludunt *b.* 696. Tergaque nu deducta *Γ.* diducta *NΔs ma. sec.* 697. ut *om. M.* 698. adnuit *G*? ann. illa 11 23. 699. apellat *EΓbr.* 700. Prodendi (*Φ*?) *Γs.* gab. qui sibi *D* 6 *tres;* *Φ uar. scr.* gab. quo sibi *decem;* *C uar. scr.* gab. ut sibi *duo.* gab. quid *unus.* gab. quem *unus.* monstrat *M ma. pr. O tres.* monstr. opem 7. 701. Ortus *DE.* hodorat. *r.* od. fuerat cult. *Π tres.* odor. quod erat cult. *Σ.* odor. fuerat nitidissimus herb. *D.* 702. Sectus *in ras. m.* Septus *OΠg ma. sec. hps* 41 *decem et uett. ed.* leue *Ψ.* 703. Ille et tarq. *E ma. pr.* latencia *Γ.* recentia *supra ascriptum Ilfeld. ma. sec.* 704. Concipit *G.* summa legit *E duo.* summa petit *m ma. pr. s alius.* 705. Nuncius *D Ilfeld. G.* red. discussaque *Φ* (*test. Heins.*) *MΨ quatuor;* *T uar. scr.* decisaque *NOTm ma. pr. duo.* concisaque 6. diffusaque *unus.* 706. agn. uerba par. *E;* *g uar. scr.*

Nec mora. principibus caesis ex urbe Gabina
  Traduntur ducibus moenia nuda suis.
Ecce, nefas uisu, mediis altaribus anguis
  Exit et extinctis ignibus exta rapit.
Consulitur Phoebus. sors est ita reddita, matri
  Qui dederit princeps oscula, uictor erit.
Oscula quisque suae matri properata tulerunt
  Non intellecto, credula turba, deo.
Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
  Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.
Ille iacens pronus matri dedit oscula terrae:
  Creditur offenso procubuisse pede.
Cingitur interea romanis Ardea signis,
  Et patitur lentas obsidione moras.
Dum uacat et metuunt hostes committere pugnam,
  Luditur in castris. otia miles agit.
Tarquinius iuuenis socios dapibusque meroque
  Accipit. ex illis rege creatus ait:

707. gabina *in ras. ma. tert. Ilfeld.* gabinis *B C m sex.* 708. Produntur *M uar. scr.* maenia *D.* 709. nefas mediis mersus alt. 11. nefas uisum est med. *m septem.* 710. et extructis *O uar. scr. Gloss. D*: post uictoriam enim faciebant sacrificia. 711. phebus *D E.* phoeb. uox est *s duo.* sorsque est *B C Π m* 12 *septem. Etiam in Ilf., si recte imitatus sum, possit* que *erosum esse.* reddita malis *b.* 712. *Ita,* princeps, *A Ilf. sub ras. B C E F G M Δ b m* 43 *undecim et Aldini posteriores; p s uar. scr.* primus *reliqui, sed* Oscula qui dederit primus uict. *f.* Qui primus dederit osc. *s.* osc. maior erit *M uar. scr.* 713. Osc. quique *D.* tulere *s* 26 *duo.* prop. dederunt *F Λ M N O Π b r s et quindecim fere; p uar. scr.* prop. dedere *G.* 714. *Litterae* llecto *in ras. E.* turba sono *N.* 715. erat sapiens stultique imit. *G.* sap. imitor *f.* sap. mutator *Σ.* sap. mirator *b ma. pr.* 29. 716. *Gloss. D*: quia si sensisses calliditatem eius insidiatus esses ei. quia sapientes magis suspecti regibus sunt ut ait salustius. 717. iacens matri pronus dedit *D.* pron. terrae d. o. matri *G f.* 718. Creditus *A C F G Γ Λ M P Ψ Δ b f p s Ilf. ma. pr. sedecim; E uar. scr.* off. succubuisse *E.* 719. Interea cingi rom. 11. 720. Et premitur *g uar. scr. Ita,* lentas *Ilf. Z m sex; C uar. scr.* longas *reliqui.* 721. uocat *Δ.* uacant *f.* host. contemnere pugn. *A* 43. host. contendere pugna *P duo.* pugnae *N ma. sec.* pugnas *s.* 722. Conditus in 12 23. ocia *E G.* miles habet 12; *g uar. scr.* 724. Excipit *D.* Conuocat *M uar. scr.* Acc. atque illis *Γ f sex.* illis lege creatus *m.*

Dum nos sollicitos pigro tenet Ardea bello
  Nec sinit ad patrios arma referre deos,
Ecquid in officio torus est socialis, et ecquid
  Coniugibus nostris mutua cura sumus?
Quisque suam laudat. studiis certamina crescunt,
  Et feruent multo linguaque corque mero.
Surgit cui dederat clarum Collatia nomen:
  Non opus est uerbis, credite rebus, ait:
Nox superest. tollamur equis, urbemque petamus.
  Dicta placent. frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. Regalia protinus illi
  Tecta petunt. custos in fore nullus erat.
Ecce nurum regis fusis per colla coronis
  Inueniunt posito peruigilare mero.
Inde cito passu petitur Lucretia. nebat,
  Ante torum calathi lanaque mollis erant.
Lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant,
  Inter quas tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda est domino, nunc, nunc properate, puellae,
  Quam primum nostra facta lacerna manu.

725. Dum uos *b s.* sollicit. *in ras. ma. tert. Ilfeld.* nos difficilis *B C Z m* 12 *sex.* 726. patrias a. r. domos *Ψ quinque.* 727. Etquid-etquid *Ilf. ma. pr.* Hecquid-hecquid *E ma. pr.* En quid-en quid *s.* inoffenso torus *P.* offitio *D Γ.* thorus *Ilf. D E G Γ.* 729. ludat *B.* laudant 6. 730. Exercet multo *E r ma. pr.* feruet *libri extra Ilfeld. B C Φ O Z h m quinque alios.* 731. cui dedat *Φ.* cui clarum dederat 10. collacia *M. Gloss. Ilf.:* tripliorinus qui et collatinus. 733. Rex *unus.* super est *D E.* 734. Verba *unus.* inpediuntur *D.* 735. Protulerant *P.* Et tulerant *f.* Pertul. montes reg. *m ma. pr.; C uar. scr.* prot. ipsi *s duo.* 736. constos *E ma. pr.* pet. signis in *r ma. pr.* 737. colla catenis *Σ.* colla capillis *B C Φ N O P Π Ψ Δ T b f g p* 1)3 33 34 41 *undeuiginti; E M uar. scr. Receptum C Δ g pro uar. scr.* 738. *Vers. in marg. Γ.* Inu. multo *quatuor.* praeuigilare *C.* 739. *Ita,* nebat, *Z m ma. pr.* 11 23 24 *et, ut credo, sub improba rasura olim Ilfeld.* lucr. cuius *caeteri.* 740. thorum *Ilf. D E G Γ.* colathi *E.* kalati *f.* erat *libri praeter D Γ Ψ Σ et quatuor alios.* 742. ait *om. C.* ait illa *libri detractis Ilfeld. B Σ Z (m?) quatuor aut quinque aliis.* 743. properatae *r.* 744. Quamprim. *libri mei praeter Ilf.* prim. facta est nostra lac. *E.* prim. uestra 6 *duo; p uar. scr.* nostra est facta *Γ.* lucerna *p.*

Quid tamen auditis? nam plura audire potestis:
Quantum de bello dicitur esse super?
Postmodo uicta cades. melioribus, Ardea, restas:
Improba, quae nostros cogis abesse uiros.
Sint tantum reduces! sed enim temerarius ille
Est meus, et stricto qualibet ense ruit.
Mens abit et morior, quotiens pugnantis imago
Me subit, et gelidum pectora frigus habet.
Desinit in lacrimas incoeptaque fila remisit,
In gremio uoltum deposuitque suo.
Hoc ipsum decuit. lacrimae decuere pudicae,
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, uenio, coniunx ait. Illa reuixit
Deque uiri collo dulce pependit onus.
Interea iuuenis furiatos regius ignes

745. audistis *Ilf. B C D E fort. ma. sec. Γ Λ M P Π Σ T b g h m r s ma. pr. duodeuiginti; p uar. scr. (t. Gron.).* aud. iam plura *Σ.* nam plus aud. *O.* aud. soletis 12 23. 747. Post modo *Ilf.* Post ea uicta *Ψ* 14. ardea signis *unus.* restat *unus.* 748. Inproba *D.* Impia 12. Impr. cur nostr. 23. adesse *b.* 749. Sint tamen et reduc. *E alius.* Sint tamen hi red. 26. Sint tamen o reduc. 11. reduces timeo temerar. *Φ.* reduces et enim temer. *N.* temerarius ultro 27; *p uar. scr.* temerarius est o 33. 750. Vir meus *Π Σ p sex; C uar. scr.* quolibet *C F Λ O P Π Ψ Δ Σ T b g h p r undecim et uett. ed.; M uar. scr.* quoslibet 11. quemlibet *O uar. scr.* ense fruit 8 (*Ciof.*). ense petit *O.* 751. et maior quot. 8. et moueor *duo.* quoties *ulli?* 752. gel. frigora pectus habent *Λ b* 26. gel. frigora pectus habet *editi* 1480, 1484, 1502. frigus habent *Ilfeld. E Γ M Ψ Σ g undecim.* 753. Des. et lacrimis *T. Ita,* lacrimas, *Ilfeld. B C m ma. pr.* 8 12 13 *duodecim.* lacrimis *caeteri.* in....taque *Ilfeld. ma. pr. cum litura quatuor litterarum.* incertaque *Π.* conceptaque 7. intentaque *m ma. pr.* 8 *duo et ed. Ald. post.* incept. *rell.* remittit *Ilf. B G Γ m ma. pr.* 8 13 *decem alii et uett. ed.* remittat *C uar. scr.*

754. uultum *libri.* deposuitque meo *M.* que suum *Ilfeld. fort. sub ras. B Γ Π T m ma. pr.* 8 *septemdecim et uett. ed.; C uar. scr.*

755. ipsam *G N T Ilf. ma. tert. b h m ma. sec. s nouem et uett. ed.* decuere *Ilf. in ras. latiori, m ma. sec.* lacrimae cecidere 8 13 *septem.* pudicam *libri praeter quos sequor, Ilfeld. f m* 8 13 14 *septem.* 756. Haec facies *b.* que par ue fuit *Ilfeld.* 757. uenio *om. f.* metum coniunx ueni ait *G.* metum uenit *r ma. sec.* metum ueni *libri rell. praeter quos seq., Ilfeld. B C Γ O Π Σ g m p quindecim.* coniux *D.*

758. honus *E.* 759. *Ita emenduuit Heinsius.* furiatus *Ilfeld. m ma. pr.* 8 *quatuor uel sex.* furiales *reliqui.* fur. concipit ignes *T.*

Concipit, et caeco raptus amore furit.
Forma placet, niueusque color, flauique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Verba placent et uox, et quod corrumpere non est:
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.
Iam dederat cantus lucis praenuntius ales,
Cum referunt iuuenes in sua castra pedem.
Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille. recordanti plura magisque placent.
Sic sedit. sic culta fuit. sic stamina neuit:
Neglectae collo sic iacuere comae.
Hos habuit uoltus. haec illi uerba fuerunt:
Hic color, haec facies, hic decor oris erat.
Vt solet a magno fluctus languescere flatu,
Sed tamen a uento qui fuit, unda tumet:
Sic quamuis aberat placitae praesentia formae,

760. Regius et *T.* et saeuo *duo.* caeco captus *COPΔT3 quinque.* amore fuit *NΠΣ* 40 41 *octo.* 761. placet uiuensque 34. color niueique *D.* color nigrique *unus.* 762. aderant *A.* nulla captus *Γ.* arte color *ΦΓΣT tres.* 763. uox quam fas corr. *O ma. sec.* uox quam tum corr. *F uar. scr.* uox quam et corr. *b.* uox uel quam corr. *Γ.* et quam corr. *ABEGOΠΨΔΣT g ma. sec. pr* 12 *nouem.* et quae *P duo.* et quo *E uar. scr.* et quem *h uett. ed.* et qua *tres.* et qui *unus.* et fax corr. *alius.* 764. Quodque *Ven.* 1484. minus 7 10. est *om. s.* minus sperat hoc *tres.* est tam magis *g quatuor.* magis ipse *ΦMf; p uar. scr.* ille furit *E tres.* cupit *euanuit in Ilf.* 765. cantum *FGΔMNPΣbrs* 3 *decem.* praenunc. *Ilf. DE.* 766. Tum *O.* pedes *ΠΣfhs* 40 41 *nouem.*

767. Carp. absumptus *unus.* attonitus *CDΓΔΣgp* 8 41 *duodecim; Φ uar. scr.* imag. uisus *unus. Gloss. b:* attonitos] per.

768. Illa *quinque.* Iamque record. *D.* Atque record. *gp tres.* record. pulchra magisque *unus.* placet *s tres.* 770. *Ita,* Negl., *Ilf. BDZg ma. sec. hm* 8 12 22 23 24 25 *undecim et ed. Ven.* 1475; *Cfp uar. scr.* Inlectae *A.* Innectae *P.* Innexae 6. Inpexae *O.* Insecte *b.* Disiectae *s duo.* Iniecto *unus.* Iniectae *reliqui omnes.* sic decuere comae 23 *et Io. Sarisb. metalog.* 4, 10. 771. uultus *libri excepto A.* hab. cultus *PΔTf.* fuere *EN(Σ? f?) g quatuor.*

772. calor *P.* Hic decor h. f. hic color oris *Ilfeld. Bm* 8 12 *sex; C uar. scr.* color hic fac. *A.* 773. a flatu magno languescere fluctu *tres.* lang. fluctu *A.* 774. uento quae *Ilfeld. sub ras., nisi erraui.* uento quo fluit unda 8 29. qui furit *unus.* fuit ante tumet *EΠb septem; ps uar. scr.* 775. Sed quamu. *A* 43. quanuis *D.* aberant *b.* placidae *EFΓMNPΣTbfrs quindecim.* ab. tacitae *tres.*

Quem dederat praesens forma, manebat amor.
Ardet et iniusti stimulis agitatur amoris:
Comparat indigno uimque dolumque toro.
Exitus in dubio est. Audebimus ultima, dixit:
Viderit. audentes forsue deusue iuuat:
Cepimus audendo Gabios quoque. Talia fatus
Ense latus cinxit tergaque pressit equi.
Accipit aerata iuuenem Collatia porta
Condere iam uoltus sole parante suos.
Hostis ut hospes init penetralia Collatina:
Comitur excipitur. sanguine iunctus erat.
Quantum animis erroris inest! parat inscia rerum
Infelix epulas hostibus illa suis.
Functus erat dapibus. poscunt sua tempora somnum.
Nox erat, et tota lumina nulla domo.

776. forma tenebat amor *Γ alius.* 777. et inuicti *s ma. pr. tres.* iniustis *Φ.* agitatur *euanuit in Ilf.* agitatus *BCEFΓΨΣfg hmp undecim et uett. ed.* 778. Conparat *G.* Cum parat ind. *m ma. pr. Ita,* dolumqne, *Ilfeld. BDGΓΔgm* 4 8 12 33 34 35 *quindecim; C uar. scr.* metumque *reliqui.* thoro *Ilf. DEGΓr.* 780. audentem *s alius.* audaces *Δ.* ardentes *E. Ita,* forsue, *C et fort. Ilfeld. ma. pr. Sic,* deusue, *C uar. scr. et fort. Ilfeld. ma. pr.* forsne deusne *m ma. pr.* 5 8 12 29. aud. mensque deusque *A test. Gron.* forsque meusque *A test. Heins.* forsque uenusque *EMOΔ h s ma. sec. tredecim Ald.* 1502; *Φbr uar. scr.* sorsque uenusque *quinque et editi saec.* XV. forsque metusque *BFΦΣr 3 nouem; E uar. scr.* metusue *C.* sorsque metusque *Pbs alius.* sorsque deusque *GΓΔ NΨTfg quindecim et flor. Berol.* forsque deusque *reliqui, Ilf. fort. ma. rec.* iuuant *EGΓΔOΠ ma. sec. Σgps septem; C uar. scr. Gloss.* Viderit] ipsa *D.* hoc aliquis *E.* i. e. uidebitur, impersonaliter *b.* 781. Coepimus — talia dixit *Ilfeld.* talia factus *Ilf. uar. scr. ma. pr.* aud. fabios *D.* 782. cingit *ΓΔfg ma. sec. octo et fort. Ilfeld. sub ras.* 783. Excipit *f quatuor.* collotia *b.* collacia *M.* 784. uultus *libri A excepto.* sole patente *Δ ma. pr.*

785. hospes adit *ΦΓ. Sic,* collatina, *b* 29. colla la . . . . *Ilfeld. Sub rasura nihil legi poterat, sed* tina *fuisse conuenit.* colla tenetque *BF tres.* colatini *Σ.* collatini *reliqui.* 786. Cominus *P.* Com. accipitur *DGOg decem.* sang. uinctus *C.* 787. Ha quantum erroris inest *Σ.* Quantus inest animis error parat *alius.* 788. epul. hospitis illa sui 8. illa suas *D.* 789. poscit *duo.* sua corpora *Ψ.* sompnum *E.* somnus *duo.* somni *ΦΓΔfm ma. pr.* 8 12 *octo.*

790. toto *f.*

Surgit et auratum uagina deripit ensem,
  Et uenit in thalamos, nupta pudica, tuos.
Vtque torum pressit, ferrum, Lucretia, mecum est,
  Natus, ait, regis Tarquiniusque loquor.
Illa nihil. neque enim uocem uiresque loquendi,
  Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis
  Parua sub infesto cum iacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? uincetur femina pugnans.
  Clamet? at in dextra qui uetet, ensis erat.
Effugiat? positis urgentur pectora palmis,
  Tunc primum externa pectora tacta manu.
Instat amans hostis precibus pretioque minisque:
  Nec prece, nec pretio, nec mouet ille minis.
Nil agis. eripiam, dixit, per crimina uitam:
  Falsus adulterii testis adulter ero.

791. *Ita*, auratum, *Ilfeld. B C m* 8 (*Heins.*) 13 *decem*. ornata 7 *tredecim*. aurata *reliqui*. uaginam *E ma. pr. f*. *Sic*, deripit, *Ilfeld. B C m p* 4 13 34 *alius*. diripit *D Δ T quatuor*. liberat *reliqui*. 792. Venit et ad thal. *N*. uen. ad thal. *D Ψ quinque*. nupta puella *m ma. pr.* 793. thor. *Ilf. D E G Γ r al.* press. mecum lucretia ferrum est *Π*. ferrumque lucr. *A O r s decem*. que lucretia uidit *tres ex istis*. 794. *Ita*, loquor, *A F M Δ Σ f r s quinque; P uar. scr.* que fero *F uar. scr.* que uocor *reliqui omnes et F M uar. scr.* 795. nichil *D E r*. enim uires uocemque *Δ*. uoces *D N Π g h*. 796. Atque aliq. *Γ*. Non aliq. *M uar. scr.* toto corpore *G ma. pr. corr., duo*. mentis erat *P g octo*. mentis inest *b*. 797. Contremit *G, quantum legi poterat*. Cum *Φ uar. scr.* Sed fremit 8. stab. comprensa *f*. compressa *unus*. 798. sub ingesto *Δ*. sub imposito *Γ*. cum tremit *g*. cum latet *alius*. 799. faciet *E ma. pr. O Π b nouem*. faceret *F ma. sec.* pugnat *f*. fem. pugna *Ilfeld. B m* 1)8 12 *quatuor*. 800. qui uetat *D E Δ M O Ψ Σ f* 1 *sedecim*. qui necet *g s ma. pr. septem*. ensis adest *Φ* 1)8 *duo*. 801. Effugiet *Γ P Π Ψ decem et uett. ed.* Effuget *f*. urgetur 1. urguetur *E: neque enim credo me negligentem fuisse.* pos. iugulentur *m*. 802. Tum *Ilfeld. B Ψ b m duodecim*. Nunc *O* 23 (*minime Φ*). externis *Γ ma. pr.* extrema *unus*. tecta *F P Ψ T quatuor*, 803. host. pretio precibusque *Γ P Π Δ Σ T b nouem et uett. ed.* praecioque *Ilf. D E G*. que ministro 8. 804. praec. *Ilf. D E G*. nec ualet *E Σ f* 14 34; *C uar. scr.* mouet illa *m ma. pr.* ille manus *b*. 805. eripiam uitam per crim. dixit *E*. dixit pro crimine *Δ* (*g?*) 8. 806. adulter erat *B*. adult. erit *Ilfeld. ma. pr. m ma. pr. r ma. sec.* 8 *quinque alii.*

Interimam famulum, cum quo depressa fereris.
  Succubuit famae uicta puella metu.
Quid, uictor, gaudes? haec te uictoria perdet.
  Heu quanto regnis nox stetit una tuis!
Iamque erat orta dies. passis sedet illa capillis,
  Vt solet ad nati mater itura rogum.
Grandaeuumque patrem fido cum coniuge castris
  Euocat. et posita uenit uterque mora.
Vtque uident habitum, quae luctus causa, requirunt,
  Cui paret exequias, quoue sit icta malo.
Illa diu reticet pudibundaque celat amictu
  Ora. fluunt lacrimae more perennis aquae.
Hinc pater, hinc coniunx lacrimas solantur et orant,
  Indicet, et caeco flentque pauentque metu.
Ter conata loqui ter destitit. ausaque quarto
  Non oculos ideo sustulit illa suos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit,

807. fam. quo cum 12. depressa *Ψ*. depr. iacebis, fateris *singuli*. 808. fa *litterae in ras. m.* famae femina uicta *unus*.
809. gaudet *T.* suades *Δ*, gaudens *r*. uict. perdes *unus*.
810. quantum *D Π Ψ Σ b ma. sec. f h* 41 *et nouem aut duodeuiginti*; *E uar. scr.* quanti *Ald.* 1502. quant. damnis nox *T.* nox nocet *Ilfeld. ma. tert. in ras.* 40, nox tulit *Π* 41 *tres*. nox dedit *Σ h s ma. pr. quinque*. nox obstitit *f alius*. stet. (ded.) illa *Σ b*. stet. ista *N uar. scr.* 811. Namque *C.* Iamque dies orta sparsis sed. *f*. erat una dies *b*. dies spassis *r ma. pr.* dies sparsis *Ilfeld. B C D E Δ N O P ma. sec. Π Ψ Σ T b ma. sec. h m r ma. sec. s septemdecim et uett. ed.*; *Φ uar. scr.* sparsis dedit sedet illa *D*. 812. Vt sedet *M.* 813. que senem *unus*. patr. cum fido *D alius*. 814. Conuocat 12. 815. quae cultus causa *Γ*. 816. exseq. *ex meis E (G?)*. quo sit *E r*. *Ita*, quoue, *Ilfeld. B C G Π T h m p* 8 *quindecim et uett. ed.* quoque *reliqui*. sit acta *b* 1426. icta (acta) modo *A D E F G Φ Δ M N Π Δ T b f h r* 26 *undeuiginti et uett. ed.*; *O uar. scr.*
817. diu retinet *A* 43. que *om. D.* que caelat *Ilf.* que uelat *Γ*. amictum *f*. 818. more fluentis *Φ duo*. perhennis *E Γ b r*.
819. coniux *Φ*? lacrimis *Ψ Δ ma. pr.* solatur *E ma. pr.* 820. que fauentque *tres*. 821. loqui est ter *D.* ter restitit *E.* ter deficit *g tres*. 822. oculos adeo *G? M ma. pr.* 8 *sex*. ocul. ad eos sust. *Ilfeld. C D E Γ Δ O ma. pr. Σ Z m septem*. Non ad eos oculos sust. 722. oculos idem *unus*. *Quod ex A et tot aliis rec., C uar. scr.* illa suis *G.* 823. Haec *D E sub ras. T p sex*. tarq. debemus an eloquar *G.* debeb. alloquar *m*; *C uar. scr.*

Eloquar infelix dedecus ipsa meum?
Quaeque potest, narrat. restabant ultima. fleuit
Et matronales erubuere genae.
Dant ueniam facto genitor coniunxque coactae.
Quam, dixit, ueniam uos datis, ipsa nego.
Nec mora, celato fixit sua pectora ferro,
Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
Tunc quoque, iam moriens, ne non procumbat honeste,
Respicit. haec etiam cura cadentis erat.
Ecce super corpus communia damna gementes
Obliti decoris uirque paterque iacent.
Brutus adest. tandemque animo sua nomina fallit:
Fixaque semianimi corpore tela rapit,
Stillantemque tenens generoso sanguine cultrum
Edidit impauidos ore minante sonos:
Per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruorem,
Perque tuos manes, qui mihi numen erunt,
Tarquinium profuga poenas cum stirpe daturum.
Iam satis est uirtus dissimulata diu.

824. Elloquar *m.* ipsa *in ras. m.* 825. Quodque *hs tres et Ald. prim.* 827. Dant facto ueniam gen. (*g*?) 11, *uix alii.* facti 17 31 *duo; p uar. scr.* coacti *O.* coacto *Ilfeld.* (Σ?) *m* 8 12 *octo* (*minime Φ*). 828. Quam ueniam dixit *duo.* datis illa *C.* 829. caelato *Ilf. et ed. D. Heins.* mora collato 29. figit *B C m* 8 *sex et Ilf., ut puto, sub ras.* fodit sua *E O.* sua corpora *Γ Ψ tres.* pect. telo *Π* 41. pect. cultro *Ilf. B C m p* 16 40 *octo.* 830. cad. ad patr. *tres; p uar. scr.* sanguinulenta *Ilf.* 831. Tum *Ilf. B N* 14. mor. nec non *E ma. pr.* mor. ut non *M uar. scr.* 832. Resp. hoc 12 *duo.* 833. dampna *E G Γ r.* 834. iacetur *uel sim. quid Γ.*
835. sua pectora *Ψ.* 836. semianimis *A* 43. semianimo *Φ ma. sec.* 7. semian. pectore *E; r uar. scr.* semanim. *Γ Σ b f r.* 837. tenet *Σ duo.* gener. pectore *duo.* 838. *in imo marg. suppl. Ilf.* Edidit et pau. *r.* inpau. *E.* ore decente *b.* ore micante 11.
839. Hunc ego per castum iuro fortemque *f.* Perque ego iuro *Σ.* Perque ego nunc iuro *P.* Per te ego nunc iuro *Γ.* Per ego iuro tibi hunc fortem *D.* Per tibi hunc iuro *E octo.* Per tibi nunc iuro *s duo.* Per tibi ego iuro *h duo.* ego nunc iuro *G.* ego iuro hunc fortem *N Δ.* Per tibi nunc castum iuro fortemque *O.* hunc fortem iuro castumque *unus.* hunc castum iuro fortemque *duo.* iuro castum fortemque *aliquot ignoti.* 840. michi *D.* qui tibi *B m ma. pr.* 34.
841. Tarq. poenas profuga cum *g quatuor.* poenam profuga *tres.* profugum *O Π quatuor.* poenam *Ψ.* cum prole *E O duo.* 842. dissim. mihi *Δ quatuor et ed. Rub.*

Illa iacens ad uerba oculos sine lumine mouit,
Visaque concussa dicta probare coma.
Fertur in exequias animi matrona uirilis
Et secum lacrimas inuidiamque trahit.
Volnus inane patet. Brutus clamore Quirites
Concitat, et regis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prole fugit. capit annua consul
Iura. dies regnis illa suprema fuit.

Fallimur, an ueris praenuntia uenit hirundo
Et metuit, ne qua uersa recurrat hiems?
Saepe tamen, Procne, nimium properasse quereris,
Virque tuo Tereus frigore laetus erit.

Iamque duae restant noctes de mense secundo,
Marsque citos iunctis curribus urget equos.
Ex uero positum permansit Equiria nomen,
Quae deus in campo prospicit ipse suo.

843. Illa tacens *Φ*. Illa cadens oculos ad uerba in morte grauatos 14. iacens aduersa ocul. *P ma. pr.* *Ψ sex.* lum. nouit *m ma. pr.* lum. uertit *g*. 844. que confusa *r*. conc. uerba *g sex*. 845. Fert. ad ex. *ΓΠ*. in exuuias *unus*. 846. Et fecit lacr. *unus*. lacrimam *b*. lacrimas inuidiosa tr. *E*; *M alius uar. scr.* lacr. manditiamque *unus*. que tulit *ΔT duo*. 847. Vuln. *libri praeter A*. Vulnus mane *p uar. scr.* 848. Excitat *b*. Conuocat *Δhs alius*.
850. Regna *Ψ*. Thura *M ma. pr.* Iura fides *f*. regn. ultimus ille fuit 29. illa summa *E ma. pr.* suprema tuis *b*. 851. Fall. en *unus*. an ueniat praen. ueris *p*. an uenit pr. ueris *duo*. praenuncia *D*. 852. An met. *s tres*. An uetuit *m ma. pr.* ne qua parte rec. *Γ*. recurret *M ma. pr.* hiemps *G*. hyemps *EΓr*. 853. prochne *D*. progne *EG al.* proper. fereris *BCm quinque et fort. Ilfeld. sub ras.* prop. fateris *unus*. 854. Vtque *duo*. tuus, tui *singuli*. ther. *G al.* laetus erat *BCΠm duo et fort. Ilfeld. sub litura*. 855. duae noctes regnant de *O quatuor*. 856. que scitos *r*. que cito iunct. *A*. citis iunct. *F*. citus *tres*. que suos (*Φ*?). iunctos *f*. urguet (*Φ*?). 857. Ex illo pos. *M ma. pr.* eciuria *Ilf. ma. pr.* ecuria *m ma. pr.* equirria *Σr*. eciurria *Ilf. ma. sec. uel tert.* 858. Quod deus *s*. Quae fieri in *f alius*? deus e campo 11. *Ita*, prospicit, *A ma. pr. Ilfeld. sub ras. ut puto, ΦΔMOΔΣTbfgs* 13 *quindecim*; *m uar. scr.* perficit *GΓ*. praestitit 48. perspicit *reliqui*. uiderat *p uar. scr.* prosp. ille *f quatuor*. persp. ille *unus*.

Iure uenis, Gradiue. locum tua tempora poscunt
Signatusque tuo nomine mensis adest.
Venimus in portum libro cum mense peracto.
Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.

LIBER TERTIVS.

Bellice depositis clipeo paulisper et hasta
Mars, ades et nitidas casside solue comas.
Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte poetae:
A te qui canitur, nomina mensis habet.
Ipse uides peragi manibus fera bella Mineruae.
Num minus ingenuis artibus illa uacat?

859. Itur yemps grandiue loco sua tempora *b.* Ipse uenis *b uar. scr.* grauide *E ma. pr.* grad. locus t. t. poscit *unus.* 860. numine *Ψ uar. scr.* nomina mensis habet *b.* mensis erat *A.* mens. erit 43 *duo et ed. Rub.* ades *unus.* 861. Vltimus ad port. *b.* Ven. ad port. *Ψ alius.* in positum *M ma. pr.* 862. Nauigat *Δ duo.* Nau. hic *B D sub ras. puto, F G Γ P Δ b f r* (1?) 3 *septem.* iam *in ras. tert. ma. Ilf.* iam tibi *Δ alius.* iam mea *E Φ T duo; b uar. scr.* iam mea nauis *C uar. scr.* mihi nauis 40. LIB. II EXPL' INCIPIT LIB. III. *Ilf.* Explicit lib' .II. Incipit .III. *E.* P. OVIDII NASONIS FASTORVM FINIT LIBER II. INCIPIT TERTIVS. *Π.*

LIBER III. *D.* Incipit tercius *G.* P. OVIDII NASONIS FASTORVM LIBER TERTIVS INCIPIT *p.* Tercius lib' fastorum incip. de mse martii. *b.*

Primum distichon superiori libro addunt Ilfeld. et m. V. 1. Pellice *r* 43. deposita *D.* clypeo *libri praeter Ilf. E G Γ et ed. Rub.* paulumper *Δ.* 3. rogas *D.* cum matre *r ma. pr.* poetis *Π.* 5. uides manibus fieri fera *D.* uid. manibus peragi *libri praeter A Ilf. E Ψ T g* 12 20 *quinque alios.* 6. *Ita*, Num, *A B m* 28 20 43. Ah *uel* Ob *Ilfeld. sub ras.* Nun *p.* Nec *E ma. sec. O.* Non *reliqui.* illa uacant *T.* illa ualet *G Δ; O r uar. scr.* illa fauet *g uar. scr.*

Palladis exemplo ponendae tempora sume
Cuspidis. inuenies et quod inermis agas.
Tunc quoque inermis eras, cum te romana sacerdos
Cepit, ut huic urbi semina magna dares.
Siluia uestalis, quid enim uetat inde moueri?
Sacra lauaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli decliuem tramite ripam:
Ponitur e summa fictilis urna coma.
Fessa resedit humo, uentosque accepit aperto
Pectore, turbatas restituitque comas.
Dum sedet, umbrosae salices uolucresque canorae
Fecerunt somnos et leue murmur aquae.
Blanda quies furtim uictis obrepsit ocellis,
Et cadit a mento languida facta manus.
Mars uidet hanc, uisamque cupit, potiturque cupita,
Et sua diuina furta fefellit ope.

7. Pallados 6. pon. pectora *P*. temp. summe *CE sub ras.*
8. Cuspis inu. *Φ*. Cassidis 13 *nouem*; *CΦMg uar. scr.* inuenias *f ma. pr.* *Ita,* et quod, *A Ilf. DΛΔ g r s* 8 43 *tres.* ecquid 2. et qui *Γ*. et quid *reliqui.* inhermis *E*. in ermis *G*. agat *O uar. scr.*
9. Tum *Ilf. E fort. sub ras. T* 8 *tres.* Tu *CDENΠΔg sex.*
10. Coepit *Ilf.* Cepit et huic *ADEΓb ma. pr. m ma. pr. p tres.* ut hinc *r*. huic genti *Δ*. urbi nomina 8 29 33. semina multa *N*. sem. digna 13 14. magn. daret *Λ*. digna (magn.) dedit 14; *E uar. scr.* 11. Ilia *B. gloss. G.* Syluia *ed. Elz.* uest. quis *Σps nouem*; *Ψ uar. scr.* enim notat *Ψ*. 12. leuaturas *Γ*. lauatura *D cum ras. in fine.* 13. ad molle decl. *Γ ma. pr.* ad mollem decliui *Π ghps ma. pr.* 3 *septemdecim*; *Φ uar. scr.* ad mollem decliuo *CEOPΣTbf* 47 *quatuordecim et uett. ed.* molli decliuam 23. 14. summa fuctilis *r ma. pr.* flectilis *b*. 15. humi *Ilf. BCΓΠΔ ma. sec. m ma. pr. s.* uentumque *f*. uentos accepit *T*. que recepit *DΦΠ*.
16. turb. composuitque *O* 26. 17. Cum *Γ*. sedit *f ma. pr.* que sonorae *m uar. scr.* 18. sompnos *E*. somnum *Φ*. et lene *f*; *C uar. scr.* leneque murm. *O*. leueque *PΨ* 3. 19. quies uictis furtim subrepsit oc. 20. uictis subrepsit oc. *BNTh* 12 40 41 47 *quatuordecim.* uictis surrepsit oc. *Ilf. ma. sec. uett. ed.* uictis subrepit *C uar. scr.* uictis surrepit *Ilf. ma. pr.* uictis oppressit ocellis *Λ alius.* uictos obrepsit ocellos *Δ alius.* uictos oppressit ocellos *C* 9 *septem.* furt. iunctos oppressit ocellos *Σ*. uictos subrepsit ocellos *unus.* uictos suppressit ocellos *Π f* 30 *duo.* furt. blandis subrepsit ocellis *m s duo.* furt. captis subrepsit oc. 14. 20. amento *Ilf. D r.*
21. potiturque petita *D*. cupitam 12 20.

Somnus abit. iacet ipsa grauis. nam scilicet intra
Viscera romanae conditor urbis erat.
349. Ille uenit *Φ*. laet. numeratque *O*. 351. *Ita*, credemur, *p* duo. credemus *A D E F G Φ Γ M O P Π Ψ Δ T f h m ma. sec. r* 33 43 *uiginti unus et uett. ed.*; *p uar. scr*. credamus *B C g m ma. pr*. 12 20 *quinque*. credetis *qui restant*. ait quia *O*. sequentur *b ma. pr. quinque*. sequatur *B C Δ P ma. sec. Π m ma. pr. s* 3 12 20 29 *nouem*. sequantur *duo*, sequuntur *duo*. 352. Ex. et audi *C*. Ex. exaudi 12 20. Ex. aen audi *Γ*. Ex. et dubie crast. *m*. crast. piscis *m ma. pr*. quisqu. eris *M uar. scr*. 353. Protinus extulerit cum *g uar. scr*. Prot. totum cum terris *P T h* 3 *octo et uett. ed*. cum totus cinth. *G*. chintius *D*. cinchius *E*. cinth. *Γ r*. 354. Iopiter *P*. Iupiter *E G*. inperii *D*. pignera *G*. 355. Descendunt *duo*.

Dependetque fides a ueniente die.
Mollis erat tellus rorata mane pruina:
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit, et in solio medius consedit acerno.
Innumeri circa stantque silentque uiri.
Ortus erat summo tantummodo margine Phoebus:
Sollicitae mentes speque metuque pauent.
Constitit, atque caput niueo uelatus amictu
Iam bene dis notas sustulit ille manus.
Atque ita, tempus adest promissi muneris, inquit:
Pollicitam dictis, Iuppiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum iam sol emouerat orbem,
Et grauis aethereo uenit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit:
Credite dicenti. mira, sed acta loquor:
A media caelum regione dehiscere coepit:
Summisere oculos cum duce turba suo.

356. fides adueniente *ABCDE* (*incertum num pr. ma.*) *FGΦΓΛΡΠΔΣΤbfghmps quatuordecim et uett. ed.* 357. erat terra ....rorata *Γ*. erat terra rorata *b*. rorataque mane *EFΛΟΡΤghm ma. sec. r* 3 *septemdecim et uett. ed. Gl. r*: Mollis] per pruinam.
358. lumina *CΛMP*3 *quatuor*. regis erat *Nf ma. pr.* ad est *G*.
359. melius *b*. medio *T*. conscendit *s quatuor; M uar. scr.* cons. eburno *Ψ* 20 22 *alius; M uar. scr.* 360. Innixi *Δ ma. pr.* Inn. circum *DTh*. que sedentque *BCΦΓΟΨm; GN uar. scr.* que uirentque *unus*. que pauentque *unus*. 361. summa *O*. summ. ternüs modo *unus*. summ. tunc magnus marg. *unus*. pheb. *DE*.
362. metu pauent *D*. que labant *flor. Berol.* que cadunt *Πg* 40 41. 363. capud *E*. 364. diis *DE*. not. sustinet *G*.
365. Vtque *P*3. prom. numinis *ΛPΣgm ma. pr.* 3)5 *quatuor*. prom. pignoris 23 34. 366. Sollicitam *Bm*. Pollicitas *Δ*. iupit. *EGΓ*. adde manus *Δ*. 367. loq. iam sol totum *Ψ*. sol euoluerat *fg* 8 *tres; r uar. scr.* sol (tot.) commouerat *Ψp*. sol ostenderat *s uar. scr.* sol emerserat *T* 34. 368. aetherea u. a. arce *unus*. aeth. uergit ab *Π* 41. ab igne 12 20. 369. ton. sub nube deus ter fulmina *Λ*. fulgora *C*. tria fulmina *ADEFGΦΓMNOPΠΨΔΣTbfghprs* 3 43 *duodetriginta et uett. ed.; Cm uar. scr.*
370 dic. numinis acta *Π* 41. loquar *EΛOPbhm ma. pr. r octo, ed. Rub.; C uar. scr.* 371. E media *B*. A media subito celum discedere uisum (est *C test. Sant.*) *Cm*. regione rubescere *Φs*. deiscere *Γb*. dehisc. uisum est *p sex; N uar. scr.* 372. Subm. *D*? *E*? Submittunt oc. 10 34. Summisitque oc. *g*. Surrexere manus cum *Ψ*. oc. sub duce *E ma. pr.* turba suos *CEΦΛQPΠms* 3 20 40

Ecce leui scutum uersatum leniter aura
Decidit. a populo clamor ad astra uenit.
Tollit humo munus caesa prius ille iuuenca,
Quae dederat nulli colla premenda iugo:
Atque ancile uocat, quod ab omni parte recisum est,
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multae calliditatis init.
Plura iubet fieri simili caelata figura,
Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius morum, fabraene exactior artis,
Difficile est ulli dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, facti pete praemia, dixit:
Si mea nota fides, irrita nulla petes.
Iam dederat saliis a saltu nomina dicta
Armaque et ad certos uerba canenda modos.

41 *quatuordecim.* 373. leue *C.* uersatur *Δ b.* leuiter *D Γ Σ.*
374. Deicit *Γ.* a terra clam. *b.* cl. in astra *F G r.* 375. Toll. ab humo *C.* Toll. munus humo *h uett. ed.* humo numa caes. *r.*
376. nullo *E ma. sec. P.* null. terga *tres.* 377. Idque (*O*?) *Z m ma. pr.* 33 *octo Ald. sec. Isid. Hisp.* 18, 12; *C M uar. scr.* ancille *D ma. pr. Γ.* uocant *Δ P Ψ p* 3 *quatuor, Isid.* parte rotundum est *f.* rescisum est *E ma. pr.* est *abi. tres, Isid.* 378. *Ita*, Quaque, *D Π Z m ma. pr.* 33 43 *quatuor uel quinque.* Quamque *A.* Quemque *reliqui.* Quemque oculis spectes ang. *Δ T b*; *M uar. scr.* Quemque oculus spectet *unus.* 379. Fit rumor imp. *C.* Tum *habere constat D F G Φ Γ Δ M N P Π T m s*; *C uar. scr.* Tunc *fort. reliqui.* imp. sortes *E.* in ipso *O.* 380. Cons. magnae *C.* Cons. mirae *O Π Ψ uar. scr. omnes.* call. habet *Φ uar. scr.* 382. ins. erat *Ψ.*
383. *Deest hinc folium uersuum septuaginta octo in Π.* Nammurius *A.* Mammurius *E ma. pr. Γ M Δ p r.* Marmurius *C Δ O P Ψ Σ T s* 3; *M N p uar. scr.* Marmorius *f.* Marmucius *b.* Maricius 44. Marm. an morum *Σ.* moris *s.* fabrine *Γ quinque.* fabraeue *G T.* fabraeque *O.* fabricaene *p uar. scr.* exauctior *Σ.* *Gl. D:* morum] parenthesis. 384. est illi *tres.* est illud 33. clusit *duo.* culsit *Ψ.* sculsit *r uar. scr.* sculpsit *p.* claus. iter *duo.* 385. magnificus *Ψ.* fati *Φ.* pete munera *Ψ.* 386. mea uera *O P* 3; *E uar. scr.* nota uides *T.* fides est *G.* nulla feres *E.* 387. *Ita A B D G Φ Δ M N O P Ψ Δ Σ b g h r s* 3 20 43 *undetriginta et uett. ed.*; *C E p uar. scr.* saliis qui saltu nomina ducunt *E Z f m p* 33 41 *decem.* sal. quae saltu nomina ducunt *C.* sal. qui a saltu no. ducunt *Ald. tert.*; *g uar. scr.* nomine dicta *T.* nomina dicunt 21. nom. ducunt *Z sub ras.* 34. nom. ducta *qui restant.* 388. ad ceptos *g ma. pr.* can. sonos *D T.*

Tum sic Mamurius. merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa uetusto
Praemia persoluunt, Mamuriumque uocant.
Nubere siqua uoles, quamuis properabitis ambo,
Differ. habent paruae commoda magna morae.
Arma mouent pugnam. pugna est aliena maritis:
Condita cum fuerint, aptius omen erit.
His etiam coniunx apicati cincta dialis
Lucibus impexas debet habere comas.

Tertia nox demersa suos ubi mouerit ignes,
Conditus e geminis piscibus alter erit.

389. Tunc *EGΦΓbfprs* 33 *quindecim*. Quum *ed. Rub.* Cum sit 23. sic mea murius *E ma. pr.* marmurius *CDΓΛNOPΨTb fps* 3. mammurius *MΔr*; *p uar. scr.* 390. Nomine (que?) *Δ*. Nomina ut extr. *p uar. scr.* ut aeterno *idem itidem*. carm. nota *E ma. pr. g ma. pr.* 391. permissa *unus*. uenusto *Gb*. 392. mammur. *ΛMΔr*. marmur. *CΓΛNPΨTps* 3. marmir. *b*. que canunt *D*. 393. uolet *m*. uolens *Σ*. 394. comm. multa *N*. comm. parua *O*. 395. mou. pugnas *m* 20 33 *duo*. mou. pugnae *C*. est inimica *unus*. *Hinc r hoc ordine:* 395, 400, 403, 404, 397, 398, 399, 396, 400, 401, 402, 405, 406. 396. eris *m ma. pr.*

397. *Hinc tria disticha Φ ma. rec. in margine: ea deesse in quibusdam exemplaribus notatur in* 44. *Ita plane* 5 10 48. apic. sancta *reliqui praeter eos, qui indicabuntur*. coni. apicatis cincta *F*. coni. apicali cincta *CZ*. coni. apicalis cincta *B* 9 36 *decem*; *C uar. scr.* coni. apicali sancta *unus*. coni. apicatis cura dial. *m*. etiam cunctis apicalis cincta *Dp* 14 21 *quatuor*. *Gloss.*: cunctis diebus anciliorum *D*. etiam cunctis coniunx distincta dial. *Λ*. coni. cunctis disiuncta dial. *M uar. scr.* coni. uestes succincta dial. 40. coni. ritu subcincta dial. *N*. ritu disiuncta *N uar. scr.* coniunx capitis discincta dialis *EGΦΓMOΨΔghs* 8 12 13 20 35 43 *sedecim et uett. ed.* coniunx capiti succincta 44 *gloss. Λ*. capiti disiuncta 44 *uar. scr.* coniunx epi succincta dialis *P* 3. etiam capitis coniunx distincta dialis *A*. etiam capitis coniunx discincta *Σbfr ma. pr. quinque*; *mp uar. scr.* etiam uestes coni. *r ma. sec.* discincta capillis *p uar. scr.* etiam capitis coniux succincta *T*. etiam capras coniunx discincta 41. 398. inpexas *D G*. implexas *f*. abere *Γ*. 399. Tercia *DEG*. *Ita*, demersa, *N quatuor*; *O uar. scr.* dimersa *ΛEΓMTf ma. sec. r quatuor*. demensa *FGZ m ma. sec.* 5 *alius*. dimensa *Σgps* 8 9 12 20 21 30 *decem et edd. saec.* XV; *N uar. scr.* de mense *BCm ma. pr.* 10 13 33 *quatuor*. diuersa *Δ* 43. dimisa *P* 3 *duo*. dimissa *ΦOΨb* 6 14 41. immissa 40 *tres*. inmissa *tres*. emersa 37 47. emensa 45. demissa *qui*

Nam duo sunt. austris hic est, aquilonibus ille
Proximus, a uento nomen uterque tenet.

Cum croceis rorare genis Tithonia coniunx
Coeperit et quintae tempora lucis aget,
Siue est arctophylax, siue est piger ille bootes,
Mergetur uisus effugietque tuos.
At non effugiet uindemitor. Hoc quoque causam
Vnde trahat sidus, parua docere mora est.
Ampelon intonsum satyro nymphaque creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis.
Tradidit huic uitem pendentem frondibus ulmi,
Quae nunc de pueri nomine nomen habet.
Dum legit in ramo pictas temerarius uuas,
Decidit. amissum Liber in astra tulit.

Sextus ubi oceano cliuosum scandit Olympum

restant. suos *om.* *G.* duos *E Φ Γ sub ras.* *O P* 3 *duo.* suos cum mou. *M.* suos ostenderit *M uar. scr.* suos promouerit *Ψ uar. scr.* ubi uiderit *g uar. scr.* mou. ortus *libri praeter Λ Ψ* 43 *sex; C K uar. scr., quos seq.* 400. Editus *M uar. scr.* Cond. et gem. *s.* 401. sunt hic est austris *Φ P Δ* 3. austr. hoc est *E ma. pr.* 402. a uentis *h r tres et uett. ed.* nom. utrumque *E Δ T* 43. 403. croceis rutulare *D Γ p s duo; Z m* 34 *uar. scr.* croceis cirare *unus.* ror. comis *h alius.* tytonia *D.* titonia *Γ.* titania *E.* tithania *Δ.* coniux *Γ.*

404. Cep. *D E.* Coeperat *edd. Ven. Vic.* et quartae *duo.* et qui uix temp. *b.* lucis erunt *D E Γ Ψ g quatuor.* lucis habet *unus.*

405. est *prius om.* *D.* artofilax *D E.* artophil. *G Γ.* boetes *E.*

406. effigietque *Γ.* 407. non efficiet *r ma. pr.* uind. hic quoque *m ma. sec.* uind. hanc qu. *quatuor.* 408. trahit *s sex.* sid. dicere parua mora *Φ* 12 20 41 *quatuor.* parua referre *m. C E Z m sex; M uar. scr.* 409. Anp. *D E.* Anphelon *Γ.* satyris *A B F Φ (test. Heins.) M P T f p r ma. pr.* 3 43 44 *gloss. Λ septem; E uar. scr.* satyras *unus.* nimph. *D E.* nymphaque citatur *b.* 410. in hism. *E G Γ r.* bachus *D E G.* 411. Traditur huic uitis pendens 41 *alius; C uar. scr.* pend. e frond. *A B C D F G Φ M O P Ψ Σ b h p s* 43 *alii et uett. ed.* pend. e frontibus *Λ.* pend. e uitibus *E.* pend. ex frond. *g.* frond. olim *m.* 412. nunc a pueri *b.* 414. Dec. auulsum *Λ.* admissum *C Γ Δ r ma. sec.* am. bachus *E; p uar. scr.* astra neit *C.* astra uehit *B Z b m ma. pr.* 22. 415. *Ita,* oceano, *B C D Z m* 13 33 *tres; M uar. scr.* ubi a terra *E g sex.* ubi e terra *reliqui.* *Ita,* scandit, *A B D F G Γ Λ P T b g r* 20 33 *uiginti; C uar. scr.* scandet *reliqui.* olimp. *D E G Γ.*

Phoebus, et alatis aethera carpit equis,
Quisquis ades castaeque colis penetralia Vestae,
Gratare, Iliacis thuraque pone focis.
Caesaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Accessit titulis pontificalis honor.
Ignibus aeternis aeterni numina praesunt
Caesaris. imperii pignora iuncta uides.
Di ueteris Troiae, dignissima praeda ferenti,
Qua grauis Aeneas tutus ab hoste fuit,
Ortus ab Aenea tangit cognata sacerdos
Numina. cognatum, Vesta, tuere caput.
Quos sancta fouet ille manu, bene uiuitis ignes.
Viuite inextincti flammaque duxque precor.

Vna nota est Marti nonis, sacrata quod illis
Templa putant lucos Vediouis ante duos.

416. Pheb. *D E al.* et elatis *Z m ma. pr.* 20 *duo; p uar. scr.* alat. aequora *B C f ma. pr.* 43. alat. aera *unus.* carpet *libri praeter A D F Γ Δ P T f ma. sec. g m ma. sec. r s* 3, *quos seq., et praeter G, qui:* scandit. 417. abes *b.* ades grataeque 20. ades canaeque *Z m ma. pr.* 418. Gratara *unus.* Cratere *f.* Crathera *m ma. pr.* Cratera *Z* 4 33. Gratatae *unus.* Laetare *unus.* Grat. italicis donaque *duo.* yliac. *Σ.* iliac. donaque *g uar. scr.* 419. innum. quem mal. *Z* 14. innum. qui mal. *m ma. pr.* (*sec. sched.*). quos mauult *Δ.* mal. ipse *g ma. sec. h nouem et uett. ed.* ille tueri *G uar. scr. uel gloss. Gloss. Γ:* maluit] uoluit. 420. honos *T* 10 12 33 *octo.* 421. aet. aeternaque lumina *C.* eterni munera *D.* prosunt *T duo.* praestant *r ma. pr.* 422. imperiis *C D m quinque.* imp. culmina *p uar. scr.* pignera *G.* pign. certa uident *Ψ.* pign. uesta uidet 6. pign. dicta uidet 11. iuncta uidet *A B E F Γ Δ M O Δ Σ T f r* 20 *undeuiginti et uett. ed.; C N m p* 44 *uar. scr.* iuncta uident *D Φ N g p* 3 12 *gloss. Δ nouem.*
423. Dii quibus troie *G ma. pr. corr.* Dii ueteres *Φ Δ P Ψ T b ma. sec. m nouem.* ueteri troia *gloss. Δ.* praeda ferendti *Γ.* ferentis *b ma. sec.* De uetere troia dignissima praeda fauilla 5. De ueteris troiae dignissima praeda fauilla 13 33 (? *ann. impr.*) 424. Qua pius *duo; C uar. scr.* ab oste fuut *r.* 425. *Vers. om. D ma. pr.*
426. Nomina *p uar. scr.* Nom. sacratum *P* 3. 427. Quos fouet sca ille *Γ.* fou. illa *b f.* fou. ipse *E.* bene uirginis ignes *B.* uiu. inquit *p uar. scr.* 428. Viuite meracti flam. *b.* 429. Y nata est marcii iunonis sacrata *Γ.* est martii *N T; C uar. scr.* est marcii *B Ψ; M uar. scr.* est marii *b.* est martis *reliqui praeter A C D Φ Δ M P ma. pr. Δ Σ f g m r* 20 33 *quatuordecim, edd. saec.* xv; *s uar. scr., quos sequor. Gloss. r:* marti] pro martii. sacrataque nonis *C uar. scr.* 430. putent *A* 44. patent *P b duo.* patet 3; *p uar. scr.*

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, dixit, confuge, tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine creuit,
Turba uetus quam non inuidiosa fuit!
Ne tamen ignaro nouitas tibi nominis obstet,
Disce, quis iste deus, curue uocetur ita.
Iuppiter est iuuenis. iuuenalis aspice uoltus:
Aspice deinde, manu fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos caelum affectare gigantas
Sumpta Ioui. primo tempore inermis erat.
Ignibus Ossa nouis et Pelion altius Ossa
Arsit et in solida fixus Olympus humo.
Stat quoque capra simul. nymphae pauisse feruntur
Cretides, infanti lac dedit illa Ioui.
Nunc uocor ad nomen. Vegrandia farra colonae
Quae male creuerunt, uescaque parua uocant.

lucos utiouis (*siue* ut iouis) ante *A B D E F Γ b f r* 20 33 *quindecim*; *p uar. scr.* lucos ul' iouis *G*. ueiouis *reliqui*. utiouis esse *f*. ante tuos 5 *quatuor*; *p uar. scr.* ante suos 20 *tres*; *g uar. scr. Gloss. D*: iouis dixit non ut nunc est sed ut ante fuit i. e. iuuenis. sic bis legas ante. 432. Cuilibet *Γ Λ*; *M uar. scr.* Quil. hoc *m ma. pr.* huc inquit *C Φ? m* 12 20 29 33. tut. erit *duo*; *O uar. scr.* 433. detinuit rom. *m ma. pr.* ten. troianus *unus*. 434. insidiosa *unus*.

435. Nec tamen *E G f*. tam. ignoti *p*. nom. instet *E*. 436. Disce quid iste *quatuor*. curque *B C D h m ed. Rub.* 437. Iupit. *E G*. Iupp. et iuu. *D*. *Ita*, iuuenalis *et* uolt., *solus A*. iuuenales *G* 33. iuueniles *reliqui*. iuuen. inspice 12. iuuen. respice *p uar. scr.*

438. deinde manum *B C M N P T m p* 3 6 20 *septem*. deinde manus *E Δ b h s quatuordecim et uett. ed.*; *g uar. scr.* nulla *om. Γ ma. pr.* nulla tenent *h quatuor et uett. ed.* 439. caelum affectasse *Λ O P* 3 *duo*. caelum temptare *D alius*. gigantes *libri praeter G M Σ?* 12 33 *tres*. 440. *in marg. r.* Sumta *Γ*. inhermis *E*. 441. ossa iouis *D E N Σ f tres*. pel. alcior *Γ*. altior *C G? Λ N O Ψ Δ T h s undeuiginti*; *F* 33 *uar. scr.* pel. ignibus ossae *m ma. pr.* 442. solita 6 *duo*. solida est fix. *Φ*. f...s *E*. fissus, fessus *bini*. olimp. *D E Γ*. 443. Stant *s*. quoque capta *b*. nimph. *mei*. 445. Nunc uocer *m ma. pr.* Nunc uehor 12 20. Nunc uenio *unus*. ad numen *C f p r sex*. ad uotum *G*; *C uar. scr.* nom. (uot.) uehe grandia *A B C D E F G Γ Λ P Δ b f p r quindecim*. nomen uel grandia *octo*. nomen negrandia *gloss. Λ*; *p uar. scr.* farra colono (*A test. Gron.*) *B* 5 6 20 *nouem*. farra coloni *reliqui praeter A C D E F G Γ M Σ b f r* 8 44 *sex*, *quos seq.*, *et C M uar. scr.* 446. creu. paruaque uesca *Λ* 44 *duo*. parua nocent *Γ ma. sec.*

Vis ea si uerbi est, cur non ego Vedionis aedem
 Aedem non magni suspicer esse Iouis?
Iamque ubi caeruleum uariabunt sidera caelum,
 Suspice: Gorgonei colla uidebis equi.
Creditur hic caesae grauida ceruice Medusae
 Sanguine respersis prosiluisse iubis.
Huic supra nubes et subter sidera lapso
 Caelum pro terra, pro pede penna fuit.
Iamque indignanti noua frena receperat ore,
 Cum leuis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur caelo, quod pennis ante petebat,
 Et nitidus stellis quinque decemque micat.
Protinus aspicies uenienti nocte coronam
 Gnosida: Theseo crimine facta dea est.
Iam bene periuro mutarat coniuge Bacchum
 Quae dedit ingrato fila legenda uiro.
Sorte tori gaudens, quid flebam rustica? dixit,

447. Vis eia si *Γ*. Vis est si uerbi *E ma. pr.* si *om. D ma. pr.* si uerbis *unus.* est cur ego non *G.* ego (non) ul' iouis ed. *GΓb.* ego l'iouis *DE.* ego l'oiuis *r ma. pr.* ego tiiouis *f.* ego uel iouis *Σ.* ego iouis *Φ ma. pr.* ueiouis *reliqui.* 448. Edere non *G ma. sec.* non parui *p.* suspicor *BCDEGΛMOPΨΔbr uiginti sex.*
449. ubi sidereum *Δ.* uariabant *ACObma.pr.m quinque.* caer. uallabunt *Z* 22 23 24 25 *tres.* uallabant *nesc. quis.* 450. Suscipe *r ma. pr.* 451. Dicitur hic *BCm tres.* hic caesa grau. *Ψ* 10 41. Creditur anguicome grau. *f.* 452. repersis *E.* resp. exiluisse *Ψ.* prosil. iugis *F uar. scr.* pros. labris 29. prosil. comis *libri praeter DZbmr* 13 15 22 33; *M uar. scr., quos sequor.* 453. Huicque supra *Λ.* Huic subter *g ma. pr.* et ultra sid. *Ψ.* subter nubila *E.* sydera *D.* 454. pro penna pro pede terra *D ma. pr.* pinna *Λ* 43.
455. frena ceperat *Γ.* frena acceperat *Ψ* 44 *alius.* 456. Cui leu. *C uar. scr.* adonias *Γ ma. pr.* ung. fudit *Zb ma. pr. mr* 12 20 21 *tres; C uar. scr.* ung. fecit *EΨf.* ung. fouit *unus.* 457. cael. qui penn. ante patebat *s.* pinnis *Λ.* peteb.. *G.* 458. Et nitidis *A ma. pr. ETf* 20 *quinque.* stell. sexque d. q. micant *h.* 459. ueniente *G.* uenienti *om. b ma. pr.* uen. nacte *E ma. pr.* 460. Gnosiam *B.* Gnoscia *m ma. pr.* Gnossida *ullus?* est *abi. Γ.* 461. Nam *Λ.* bene pro iuro *C uar. scr.* mutabat *m.* mutauit *b* 20 *quinque.* mutata *Δ ma. pr.* mutato *Δ ma. sec.* coniuge *oblitteratum in G.* bachum *mei, Gloss. D:* ypallage. 462. fila neganda *unus.* fila regenda *caeteri praeter BZbm ma. pr.* 13 17 33 *quinque, quos seq.*
463. thori *mei.* Sorte uiri *g uar. scr.* tori dixit *m ma. pr.* gaudens quem fleb. *Φ.* gaud. cur fleb. *O.* quid fles ah rust. *s ma. sec. sex.*

Vtiliter nobis perfidus ille fuit.
Interea Liber depexis crinibus Indos
Vicit, et eoo diues ab orbe redit.
Inter captiuas facie praestante puellas
Grata nimis Baccho filia regis erat.
Flebat amans coniunx, spatiataque littore curuo
Edidit incultis talia uerba comis:
En iterum, fluctus, similes audite querelas:
En iterum lacrimas accipe, harena, meas.
Dicebam, memini, periure et perfide Theseu!
Ille abiit. eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque nulla uiro clamabo femina credat.
Nomine mutato causa relata mea est.
O utinam mea sors qua primum coeperat, isset,
Iamque ego praesenti tempore nulla forem.
Quid me desertis morituram, Liber, harenis
Seruabas? potui dedoluisse semel.
Bacche leuis, leuiorque tuis, quae tempora cingunt,
Frondibus, in lacrimas cognite Bacche meas,

465. depexos *A D E F Φ Γ ma. sec. O P Δ b h m ma. sec. p r* 12 20 33 43 *duodeuiginti et uett. ed.; C g uar. scr.* depexus *G m ma. pr. s quinque; D g uar. scr.* deprensos *M ma. pr.* depressos *unus.* 466. Vincit *libri praeter, quos sequor, A C D E Φ Γ M ma. sec. O h* 20 43 *undecim et uett. editos.* orbe uenit *C D E Γ Δ b m* 33 *quatuor.* 467. capt. forma pr. *p.* p̃rante *m.* 468. Gr. minus *r alius.* bach. *mei.* 469. spac. *D E G.* litore *E Γ.* litore paũo *C.* litora paruo *m.* 470. uerba modis *p uar. scr.* uerba sonis *tres.* 471. iter. similes fluctus *B C Φ m* 20 33 *duo.* sim. audire *Δ.* aud. loquelas 10. 472. lacr. suscipe 12 20 *duo.* lacr. decipe *duo.* arena *G? Γ b r.* 473. periure perf. *C m.* 474. Illa *A.* habiit *C.* Ille habuit *m ma. pr.; C uar. scr.* Ille abit haec eadem *O sex.* bach. *mei.* 475. Nunc ego nulla *G.* uiro clamabam *M.* credet *Δ ma. pr.* 476. causa nouata *Z.* causa necata *g uar. scr.* causa renata *gloss. Δ.* causa iterata *duo.* rel. meo 20 *tres.* est *abi. duo.* 477. mea fors? *E.* mea mors *T.* sors quam *Δ alius.* sors cum *B.* sors quo *C F G Φ O P Π Δ Σ b g h m ma. pr. p r s* 10 *tredecim et uett. ed.; E uar. scr.* quo primo inceperat esset *m ma. pr.* primum inceperat *Γ.* 478. Namque *N uar. scr.* Iam quae praes. 12 20 21 *duo.* Iam quoque praes. *Γ.* Iamque in praes. *B G h s.* nulla soror *b ma. pr.* 479. me in des. *libri praeter B C D P g m p* 33 *decem, quos seq.* des. perituram 12 20. aren. *Γ b.* 481. Bache *mei.* timpora *D E G r.* 482. in lacrimis *Δ ma. pr. m quinque.* cognita *E ma. pr.* bache *mei.*

Ausus es ante oculos adducta pellice nostros
　Tam bene compositum sollicitare torum?
Heu ubi pacta fides? ubi quae iurare solebas?
　Me miseram, quotiens haec ego uerba loquor!
Thesea culpabas, fallacemque ipse uocabas:
　Iudicio peccas turpius ipse tuo.
Ne sciat hoc quisquam, tacitisque doloribus urar,
　Ne totiens falli digna fuisse puter.
Praecipue cupiam celari Thesea, ne te
　Consortem culpae gaudeat esse suae.
At puto praeposita est fuscae mihi candida pellex.
　Eueniat nostris hostibus ille color!
Quid tamen hoc refert? uitio tibi gratior ipso est.
　Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem praesta, nec praefer amoribus ullam
　Coniugis. assueui semper amare uirum.
Ceperunt matrem formosi cornua tauri,
　Me tua. at hic laudi est, ille pudendus amor.

483. Ausus ante *Γ*. ocul. abducta *ΔΨb*. oc. deducta *Φ*. pelice *DEGΓr*. 484. Iam bene *Gm ma. pr.* 12 20 33 *septem.* conpos. *G*. thor. *mei.* 485. Heus ubi *BDEGΦΓΛNOPΠΨΔ bfm ma. sec. pr uiginti et uett. ed.* Haec ubi *m ma. pr.* ubi est pacta *Φ*. fides et quae *Γ*. fides quam tu iur. *B uar. scr.* ubi qui *Φ*.
486. quociens *EΓ*. uerba queror 29 *uar. scr.* loquar *ΛEΦΣ* 6 33 *septem; p uar. scr.* 487. Tes. *Γ*. 488. Indicio *E ma. pr. Ψ*. Iuditio *D*. Peccas iudicio turp. *Δ*. pecc. tutius *Π ma. pr.* 41. pecc. turpiter *ADm* 12 20; *p uar. scr.* 489. Nesciat *DEGΦΓb fr uett. ed.* Nesciet 12 20 *quatuor.* Nesc. haec *A ma. pr. EΓTb.* quisq. tectisque *b*. dolor. utar *EGΓMNObgr*. dolor. utor *As*. urat *h*. 490. tociens *DEΓ*. putet *h ma. pr.* 491. Prcipue *G*. tesea *Γ*. thes. nec te *mhr*. 493. An puto *D ma. pr.* Vt puto *AEFGM ma. pr. NOΔΣTbf* 43 44 *uiginti duo; CΔp uar. scr.* puto *erasum in m.* praeposita mihi fusce cand. *Σ*. praeposita fusce *alius.* est mihi fuscae *T alius.* pelex *D ma. sec. EGΣr*. 494. nostr. ossibus *m ma. pr.* ille pudor *p ma. pr.* 495. tamen haec refero uit. *ΨTs nouem.* tamen hoc refero *Σb; CO uar. scr.* uicio *GΓr*. uitio si grat. 21. grat. ipsa est *DΣ decem.* grat. illa est *p uar. scr.*
493, 496, 495, 494 *transp.* 12 20. 496. facis *om. Γ ma. pr.* inq. ille *Cm ma. pr.* 497. Bache *mei.* amor. illam *ΣTbr ma. pr.*
498. Coni. assuetum 23 *ma. pr.* Coni. assuetis *E uar. scr.* assue *alius.* assuetae 13. 499. thauri *D*. 500. Me uiat et laedit *Δ*. Maeniat et laed. 43. Me iuuat et ledit *B primo loco CDEFGΦΓ*

Ne noceat, quod amo. neque enim tibi, Bacche, nocebat,
Quod flammas nobis fassus es ipse tuas.
Nec quod nos uris, mirum facis. ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.
Illa ego sum, cui tu solitus promittere caelum.
Hei mihi, pro caelo qualia dona fero!
Dixerat. audibat iam dudum uerba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.
Occupat amplexu, lacrimasque per oscula siccat,
Et, pariter caeli summa petamus, ait.
Tu mihi iuncta toro mihi iuncta uocabula sumes:
Nam tibi mutatae Libera nomen erit.
Sintque tuae tecum faciam monimenta coronae,
Volcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit, gemmasque nouos transformat in ignes:
Aurea per stellas nunc micat illa nouem.

MNPΠΔΣbfm ma. sec. r 3 10 12 20 33 41 *triginta duo; Ψ uar. scr.* Me tuat et laedit *s alius.* Me tua me laedit *Ψp* 40 *undecim; EΦ NOg uar. scr.* Me tua me legit *unus.* Me iuuat me laedit *Og.* Me iuuat sed laed. *Λ uar. scr.* Me tua (Mutua *B uar. scr.*) me laudant *B secundo loco Zm ma. pr.; Γ uar. scr.* Me tua me laudat *quatuor?; p uar. scr.* Me tua sed laedit *reliqui scripti et edd. uet.; CMΠ uar. scr.* laedit iste *B primo loco.* laedit ipse *N* 5. laudant illa *m ma. pr.* pudendus erat *B sec. loco C m ma. pr.; p uar. scr.* pudendus eat *B uar. scr.* 501. Nec noc. *FNΨbg ma. pr. r tres.* amo nec *EΛN OTbfg alii et uett. ed.* neque *om. r.* amo ne quid tibi *Π.* enim hoc tibi *C.* bache *mei.* nocebit *E ma. pr. s.* 502. Qui flamm. *Cs.* Quod nobis flammas *DΛ alius.* 503. Non quod *P.* urit *Λ.* ortus ab *Π uar. scr.* 505. Non ego *Λ.* 506. Ei mihi (michi *D*) *ABDFGTbfr* 8 9 35 36. Heu mihi *Ψ.* Vae mihi *p uar. scr.* qualia damna *duo.* 507. Dix. audierat *libri praeter, quos sequor, A CZm ma. pr.* 33 43. uerba loquentis *Γ.* 508. Liber et a *EΛm.* 509. Ocup. *G.* amplexum *Δ.* lacrymas super osc. *Ψ.* 511. Tu modo *Φ.* uincta, uincta *C.* thor. *mei.* thoro tu iuncta *D.* uocab. sumis *B; C uar. scr.* uocab. sume *Ψ* 10 *tres alii.* 512. Iam tibi *Γp ma. pr. sex.* tibi mutata *B.* mutare *b.* 513. tuae mecum *Σ s; g uar. scr.* monumenta *Γ? b? alii Heins.? Gloss. D:* quia semper maneat memoria tui et coronae tuae. 514. Neptunus thetidi quam *Ψ.* illa mihi *E et M uar. scr. Vers. om. m ma. pr.* 515. gemmasque nouas *b.* gemmasque nouem *reliqui.* nouem mars signat in 11. in ignem *b.* 516. Aurea post stellas *C.* illa diem *m ma. pr.*

Sex ubi sustulerit, totidem demiserit orbes
Purpureum rapido qui uehit axe diem,
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus urget aquis.
Qui tamen eiecta si forte tenebitur unda,
Caelius accipiet puluerulentus equos.

Idibus est Annae festum geniale Perennae
Haud procul a ripis, aduena Tibri, tuis.
Plebs uenit, ac uirides passim disiecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quisque sua.
Sub Ioue pars durat. pauci tentoria ponunt:
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est:
Pars ubi pro rigidis calamos statuere columnis,

517. ubi tránstulerit *f*. *Ita plane* 1220 *quinque*. totidem dimiserit *CDZm*. totidem dimerserit *B*. totidem quot merserit *B et p uar. scr.* totidemque remiserit 14. totidem quoque demserit 7. totidem quos demserit *unus*. totidem quod deserit *unus*. totidem quot deserit *duo*; *Φ uar. scr.* totidem cum deserit *AEFGΓΛΠΔΣfr* 10 33 43 *undecim*. totidem cum deseret *MOPTgp* 3 9 36 37 *tredecim*; *C uar. scr.* totidem tum deserit *unus*. totidem cum dempserit *N quatuor*. totidem quot dempserit *s tres*; *p uar. scr.* totidem con demserit *Φ*. totidem et consederit *Ψ*. totidem quoque deseret *h* 44 *uett. ed.* totidemque resumpserit 40. totidem cum emiserit *duo*. tot quot dimerserit *unus*. totidemque emiserit *qui restant*. deseret (demps.) ignes 3; *ΦNP uar. scr.* deserit horas 33 48. 518. Puream *unus*. Purpureo rapidum 20. Purpureo radio 26. Purp. niueo *f*. Purp. tepido *g uar. scr.* rabido *G*. ueit *Γ*. qui mouet *M uar. scr.* 519. spectabit *f*. equirria *r*. equirrio *G*. equirtia *b*. 520. Quae *Π*. tyberis *Σ*. 521. tamen erepta *Π* 41. abiecta *Γ*. iniecta *Γ uar. scr.* egesta 44 *gloss. Λ*. 522. Celicus *Γ*. accipiat *ABCEFGΓΛMNOΔbmps* 20 43 *duodeuiginti*. 523. perhennae *DEr*. 524. Haut *D*. Non proc. *AEFGΦΓΛPΠΨΔT bghprs uiginti septem et uett. ed.*; *m uar. scr.* tybre *Σ*. 525. uen. ad uir. *A*. uen. et uir. *GΨ* 20 33 *sex*. uenit et passim uirides *Fr*. passim discecta *C uar. scr.* pass. deiecta *ΓΛΠ alius*. pass. disiuncta 21. pass. digesta 7. pass. indigesta *Ψ*. 526. Pauit *unus*. acumb. *Γ*. pare quaeque *Λ* 14. quisque suo *b*. 527. pars durant 34. pars uiuit pauci temptoria *Γ*. tent. figunt *N*; *E uar. scr.* tent. tendunt *D* 11. 528. ex ram. *Φ*. ram. spondea 4. est *abi. m*. 529. *Ita*, ubi, *G si recte collatus est et Φ, ut fertur, sub ras.* Pars ibi *BDFΛNOPΨΔTg ma. sec. hmrs* 12 20 *nouem et uett. ed.* Pars sibi *reliqui*. pro rigibis 27. calam. posuere *ΠΔh* 12 20 *quinque*; *CE uar. scr.* stat. colonis *m*.

Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen uinoque calent, annosque precantur
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Inuenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quae sit per calices facta Sibylla suos.
Illic et cantant quicquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad sua uerba manus,
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant et sunt spectacula uolgi,
Et fortunatos obuia turba uocat.
Occurri nuper. uisa est mihi digna relatu
Pompa. senem potum pota trahebat anus.
Quae tamen haec dea sit, quoniam rumoribus errant,
Fabula proposito nulla tegenda meo.
Arserat Aeneae Dido miserabilis igne,
Arserat extructis in sua fata rogis:

530. extensas *DMNOPΠTgps plus triginta.* inposuere *DG.* deposuere *b.* impos. comas *Δ ma. pr. duo.* 531. cal. animosque *p uar. scr.* 532. sumant *ABDFΦΓNOPΠΔΣfhmrs sedecim.* summant *E.* sumas 29. ciath. *EΓ.* ciatos *br.* numerosque *Δ ma. pr.* bibant *m ma. pr. tres.* 533. Inueniesque ill. *b.* Illic inuenies *g quatuor.* Inu. illum *Π.* 534. Quod sit *Ald.* Qu.. sit *E.* calic. uicta *Π ma. pr.* cal. uincta 41. sibill. *DEΓr.* sybill. *G.*
535. Et cantant illic *Λ.* et captant *Φ.* cant. quaequae *Cm ma. pr.* quiquid *br.* 536. Et ia *syllabae in ras. E.* iactat *f.* Et faciles iactaut *Λ.* 537. Et posito ducunt *Λ.* duc. longas posito *gp.* duc. letas posito *r; p uar. scr.* posito longas *GPbs* 3 43 *undecim; E uar. scr.* pos. longuas *Ψ.* posito laetas *DE ma. sec. NOΠ Σ* 41 *quatuor; b uar. scr.* pos. lectas *E ma. pr.* pos. lentas *tres.* pos. festas *Γ.* pos. iunctas 33 *ma. sec. octo.* long. currere *b.* cor. *Γ. Gloss.* 44: duras] rudes. 538. Multaque 29. Turbaque diff. *b.* diffusas *Γ ma. pr.* diff. cantat *Tg.* 539. uulgi *ll. praeter A.* uulgo 12 20. 540. fortunatas *Δ.* uocant 10. 541. *Ita Zm.* Occurrunt *r.* Occurrit *caeteri.* mihi *om. Γ ma. pr.* 543. Quaeris quae dea sit *Ψ uar. scr.* haec dixi quon. *m ma. pr.* sit multis rumor. *r.* quon. sermonibus *Dm ma. pr. duo. Sic,* errant, *ΛΠ quatuor.* erat *fr.* errat *reliqui.* erras *M uar. scr.* 544. Fabula: prop. *pr.* nulla est teg. *Φ.* nulla tenenda *m ma. pr.* nulla tacenda *Zp ma. pr.* 20 *octo.* nulla regenda *Σ.* meo est *BCDEFΓOPΨΔTfm* 3 *quatuordecim.* 545, 546 *transp. Φ.* 545. mirabilis *A.* mirasera-bilis *E.* 546. Ars. instructis *O ma. pr. Δ.* extinctis *m ma. pr. tres.* exstruct. *D.* sua facta *p.*

Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breue, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem,
Ipsa sua Dido concidit usa manu.
Protinus inuadunt Numidae sine uindice regnum
Et potitur capta Maurus Iarba domo.
Seque memor spretum, thalamis tamen, inquit, Elissae
En ego, quem totiens reppulit illa, fruor.
Diffugiunt Tyrii quo quemque agit error, ut olim
Amisso dubiae rege uagantur apes.
Tertia nudandas acceperat area messes,
Inque cauos ierant tertia musta lacus:
Pellitur Anna domo, lacrimansque sororia linquit
Moenia: germanae iusta dat ante suae.
Mixta bibunt molles lacrimis unguenta fauillae,
Vertice libatas accipiuntque comas:
Terque uale dixit, cineres ter ad ora relatos
Pressit, et est illis uisa subésse soror.

547. Conpos. *G.* Compositusque rogis *Δ ma. pr.* Compositusque ignis *caeteri praeter quos sequor B C D g m ma. pr. p s ma. sec.* 12 13 33 *undeuiginti; E Ψ uar. scr.* ignis titulique 14. 548. quod numerus ipsa *b.* moriens dido rel. *Σ.* relinquit *N.* 550. dido conculit *b ma. pr.* conc. una *T.* conc. icta *s ma. pr. edd. Ven. Vic.* 551. inuad. socii *unus.* 552. petitur *Σ.* hiarba *D ed. Rub.* ipiuba *r ma. pr.* 553. mem. spretae *g.* talamis tn inquid *E.* thalamo *D.* elisae *ed. Rub. aliq. Heins.* 554. tociens *D.* repulit *r ma. sec.*! repp. ipsa 20 *sex; p uar. scr.* illa furor *m ma. pr.* fruar *G.* 555. tirii *G.* thirii *Γ.* quocunque agit *b quatuor.* quemque agat 23.

556. Amnisso *E ma. pr. r.* uag. oues *s uar. scr.* 557. Tercia *D G Γ.* Tert. mandatas 20. Tert. nudatos *C.* nudatas *reliqui exceptis D Z m ma. pr. s alio, quos seq.* area menses *C.* area metisse *r. Gloss. E:* nudatas] a palea. 558. Perque cau. *P.* Inque (Iamque *D*) cauo steterant tertia (tercia *D*) musta lacu *C D m ma. pr. s* 20 22. cauos *om. Γ ma. pr.* cauo suberant t. m. lacu *duo.* cauos refluunt *b.* cauos aderant *g.* cau. inerant *unus.* tercia *E G.* 559. lacrimam sor. *E ma. sec.* linquid *r.* liquid *E.* liquit *Φ Γ* 20 *septem.*

560. Men. *D E.* germ. busta *Φ ma. sec. f ma. sec. tres; D N O P uar. scr.* germ. iura *unus; Ψ uar. scr.* germ. uota *g quatuor.* germ. exta *B m ma. pr.* 561. bib. lacrimis molles *Λ.* moll. lacrimas ungenta *D.* 562. *Gloss. E:* accip.] fa. 563. uale *om. Γ ma. pr.* cineres tibi ad *b (per compend.) m ma. pr. Gl. b:* tibi] sibi. ora redactos *unus.* 564. *Ita,* illis, *h r uett. ed.; g uar. scr.* est illic *Ψ.* est illi *B C D E F G Φ Γ Λ M N O P Π Δ Σ T b f g m p s* 33 *duodetriginta, aut*

Nacta ratem comitesque fugae pede labitur aequo,
  Moenia respiciens, dulce sororis opus.
Fertilis est Melite sterili uicina Cosyrae
  Insula, quam Libyci uerberat unda freti.
Hanc petit hospitio regis confisa uetusto.
  Hospes opum diues rex ibi Battus erat.
Qui postquam didicit casus utriusque sororis,
  Haec, inquit, tellus quantulacumque tua est.
Et tamen hospitii seruasset ad ultima munus!
  Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensuerat bis sol sua. tertius ibat
  Annus, et exilio terra petenda nouo est.
Frater adest, belloque potens. Rex arma perosus,
  Nos sumus imbelles. tu fuge sospes, ait.
Iussa fugit, uentoque ratem committit et undis.

triginta duo. est illa *A.* uisa relata *Δ.* 565. comitemque *h quinque.* fugae perlabitur aequor *E uar. scr.* 566. Menia (*D.*) prospiciens *EΓ.* M. perspiciens *f.* 567. est *om. C.* est melitae *D* (*E? nunquam ae habet*) 33. est meritae sterile uic. *Σ.* est nostrae ster. *p.* est melites 43. est militis *Δ.* est milite *f.* mel. sterilis *Ψ b m.* cosyre 33. cosiri (cosira?) *E ma. pr.* cosire *Γ b f.* corise *G; s uar. scr.* corisse *E ma. sec.* corisae *D N Σ p.* corissae *r.* corysae *unus; m uar. scr.* coryssae *duo.* cophirae *Ψ.* cosirtae *P.* cosinae *C Π Δ* 44. cyrenae *unus.* cesurae *unus.* cocyrae *ed. Rub.* corcyrae *edd. Ven. Vic.* 568. Insola *P.* libici *D E G Γ r.* unda maris *Π* 41.

569. peti hosspicio *E.* hospicio *D.* confusa *Φ ma. pr.* uetusti *B C.*

570. Hospes: opum *E ma. sec. cum gloss.*: Hospes] ipsa dico. uel hospes referatur ad bathus. rex ubi *Δ Ψ p sex.* rex tibi *C.* batus *Γ P b r ma. sec.* bathus *Π.* bautus *Δ.* bactus *h.* bachus *E ma. pr. f.*

571. Qui quamquam *D.* did. causas *F.* casus uiresque *Δ.* cas. uariosque *unus.* cas. uterusque *b.* 572. inquid *E.* 573. Set tamen *D.* Aeternum hospit. *tres.* tamen aeternum seru. *C uar. scr.* hospicii *D E G.* hospitio *Ψ.* hospitiis *duo.* ult. foedus *g uar. scr. Gloss. E:* tamen] licet parua esset terra eius. 574. Et tim. *b ma. pr.* pigm. *D E G r.* 575. *Ita*, recensuerat, *B C F Δ g m p s* 10 *undecim; E M N uar. scr.* recensarat *Γ.* recensebat *reliqui.* tercius *D E G.* 576. et auxilio *g.* et exulibus *Z p duo.* terra nouanda *O.* terra parenda *A.* terra paranda *reliqui praeter quos sequor B C D Z m ma. pr. s tres; M uar. scr.* noua est *libri praeter quos sequor D O f ma. sec. g; Φ uar. scr.* 577. belloque petens *fort. D ma. pr.* belloque ferox *m.* belloque petit *libri extra D.* rex bella *unus.* rex iarba perosos *m ma. pr.* perosos *D.* 578. inbell. *D E G.* imb. effuge sosp. *M* 12 20 *duo.* 579. Iussa facit *Δ O Π Σ b f g* 12 33 41 *duodecim; E Φ M p uar. scr.* uentisque *M.* rat. conmisit *G.* commisit *N.* committ. in undis *Γ.*

Asperior quouis aequore frater erat.
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
Paruus ager: Cameren incola turba uocat.
Illuc cursus erat. nec longius abfuit inde,
Quam quantum nouies mittere funda potest.
Vela cadunt primo et dubia librantur ab aura.
Findite remigio, nauita, dixit, aquas.
Dumque parant torto subducere carbasa lino,
Percutitur rapido puppis adunca noto:
Inque patens aequor frustra pugnante magistro
Fertur, et ex oculis uisa refugit humus.
Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, et canas alueus haurit aquas.
Vincitur ars uento. nec iam moderator habenis
Vtitur, at uotis uix quoque poscit opem.
Iactatur tumidas exul Phoenissa per undas,
Humidaque opposita lumina ueste tegit.
Tunc primum Dido felix est dicta sorori,
Et quaecumque aliquam corpore pressit humum.

581. pisosos lapidiosi *Γ*. cratidis *GΓ*; *C uar. scr.* cractidis *E*. crastidis *Δ*. gratidis *s uar. scr.* cradicis *Φ*. grapphidis *s*. gapphidis *C*. crapidis *Λ*. gaphidis *D m ma. pr.* gasidis *Π*; *Δ uar. scr.* raridis *b*. tracidis *r*. 582. Purus ag. *BC*. camelen *C*. cameran *Λ*. camaren *P*. camalen *unus*. caniden *m ma. pr.* cramerem *Φ*. cibelen *unus*. uocant *s*. 583. Illic *CΦΛMNOΨbms ma. pr.* 20 *sex*. erat non *s*. afuit *Γ*. 584. Quam quam ter nouies *Λ*.

585. cadent *b*. et *om. BCΠZm ma. pr. tres: in E prim. ma. superadd.* dubia libratus *Ψ*. dub. laberantur *r ma. pr.* dub. uibrantur *BCDm* 20. libr. in aura *T*. ab unda *P*. 586. Fingite *Γ*.

587. par. toto *Λ*. par. tecto *M*. tort. submittere 6. carb. ligno *Λ*. carb. malo *Φ et Π uar. scr.* 588. Percucitur *Γ*. rabido 46. pupis *E*. notho *DEGΓr*. 589. Perque pat. *P*. Terque *Φ*. aequor et frust. *C*. 590. Fugit et *Cm ma. pr.* 591. Assiluit *T*.

592. et caluas *Ψ*. 593. mod. habentis *b*. 594. Vtitur aut uot. *A ma. pr. BEFGΓMΔ ma. pr. Σf* 20 21 33 *duodecim*. Vt. ac uot. *quinque*. Vt. et uotis *r tres*. Vt. a uotis *Z ma. pr.* Vtitur a uentis his quoque *Φ*. uotis ..is quoque *DE*. uotis dis quoque 13 33. uotis his quoque *Δh quinque; f uar. scr.* uotis hic quoque *m* 11. uotis is quoque *reliqui omnes scr. et impr.* opes *b ma. pr.* 595. Iact. humidas *A*. Iact. medias *Λ*. fenissa *Γ*. 596. apposita *Λfr tres*. teget *E ma. pr.* tegens *Γ*. 597. Tum *BGPms* 33 *sex*, *non Φ*. est uisa *Λ*. est cara *C uar. scr.* 598. quicumque *h* 20 *duo*, *Ald. et priores ed. praeter Rub.*

Figitur ad Laurens ingenti flamine littus
  Puppis, et expositis omnibus hausta perit.
Iam pius Aeneas regno nataque Latini
  Auctus erat, populos miscueratque duos.
Littore dotali solo comitatus Achate
  Secretum nudo dum pede carpit iter,
Aspicit errantem, nec credere sustinet Annam
  Esse. quid in latios illa ueniret agros?
Dum secum Aeneas, Anna est, exclamat Achates.
  Ad nomen uoltus sustulit illa suos.
Quo fugiat? quid agat? quos terrae quaerat hiatus?
  Ante oculos miserae fata sororis erant.
Sensit, et alloquitur trepidam Cythereius heros,
  Flet tamen admonitu motus, Elissa, tui.
Anna, per hanc iuro, quam quondam audire solebas
  Tellurem fato prosperiore dari,
Perque deos comites hac nuper sede locatos,
  Saepe meas illos increpuisse moras.
Nec timui de morte tamen. metus abfuit iste.
  Hei mihi, credibili fortior illa fuit.

599. Ducitur ad *libri praeter quos sequor* *B C D Φ? Z m s* 1220 *sex.* laur. urgenti *Δ*. 600. Pupis *E*. et ex..u..s omn. *D ma.pr.* et exp.usitis *D ma.sec.* et oppositis *b ma.pr.* 601. At pius *M ma. pr.* lam prius *Σ*. 602. Functus erat *D m ma.pr.* 20. populos iunxerat atque duos *P*. que suos *Δ*; *O uar.scr.* 603. Litore *E*. acate *Γ*. *Gloss. E*: achates cura interpretatur quae semper reges comitatur. 604. nudo cum *F P f*. carpit *om.* *Γ ma.pr.* 605. nec cernere sust. *Δ*. credere sustulit *T*. 606. lacios *E G Γ*. latios ipsa *O ma.sec. g h octo et uett. ed.*; *p uar.scr.* latios anna ueniret *f*.
607. Hec secum *Φ P alius*. Dum haec secum *O*. 608. uultus (*ita libri praeter A*) sustinet illa *Γ* 8 *alius*; *M uar.scr.* uultus rettulit *Π* 9 40 41 *quatuor*; *C uar.scr.* 609. Heu quid agat fugiat quos *g*; *M uar.scr.* Quid fugiat *Z s ma.pr.* Heu fugiat *caeteri praeter quos sequor* *B C D P m p* 3 20 *tredecim*; *Φ Δ s uar.scr.* Heu dubitat quid *F uar.scr.* 610. miserae facta *E* 5 28. 611. Sentit 29. alloq. miseram, cupidam *singuli*. cith. *Γ r*. chitereius *E*. citherius *G*.
612. tamen ammonitu *E G b f*. tamen amonitu *Γ*. tamen admonitus *A O* 33 *duo*. admon. mortis elissa tuae *D Δ N O h r aliquot*; *E uar.scr.* adm. mater el. *unus*. helissa *G*. elissa tuo *B C F Ψ m s decem*; *p uar. scr.* 615. deos nuper comites hac sede *m s duo*. sede locatus *D*. sede receptos *G*. 617. Non tim. *m*. met. adfuit *A*. affuit *Φ* 41; *b uar.scr.* abf. iste *r ma.pr.* 618. Ei mihi *A B D E F G Γ T b r*. Heu mihi *Δ Ψ*. forcior *E Γ*. tortior *m ma.pr.* certior *s duo*.

Ne refer. aspexi non illo pectore digna
  Volnera, Tartareas ausus adire domos.
At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
  Siue deus, regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Elissae:
  Nomine grata tuo, grata sororis eris.
Talia dicenti, neque enim spes altera restat,
  Credidit, errores exposuitque suos.
Vtque domum intrauit, Tyrios induta paratus,
  Incipit Aeneas. caetera turba silet:
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lauinia coniunx,
  Est mihi. consumpsi naufragus huius opes.
Orta Tyro est, regnum Libyca possedit in ora.
  Quam precor ut carae more sororis ames.
Omnia promittit, falsumque Lauinia uolnus
  Mente premit tacita, dissimulatque fremens.
Donaque cum uideat praeter sua lumina ferri
  Multa palam, mitti clam quoque multa putat.
Non habet exactum, quid agat. furialiter odit,
  Et parat insidias, et cupit ulta mori.

619. Nec refer ***BEFGMNPΔΣmr** undecim*. illo digna cruore ***E**. Ita*, pectore, ***BCZbms** tres*. corpore *reliqui*. 621. racio ***G Γ***. nostris attulit ***Π*** 41. app. horis ***DEGΓb***. *Gloss.* ***E***: ratio] uoluntas. 622. comm. sume ***p** uar. scr*. 623. mem. multum deb. ***Φg** alius*; ***p** uar. scr*. 624. sor. eras ***Γ***. sor. erit ***b***. 625. nec enim ***ΦPΔh** octo et uett. ed*. alt. restas ***Γ***. 627. Inque dom. ***G***. dom. intrarat tirios ***Γ***. tyr. inducta ***NΔ** ma. pr.* ***g** ma. pr*. 628. turba tacet ***Λ*** 43. 629. cur credam ***g** tres*. 630. mibi cum sumpsi ***p** uar. scr*. 631. Horta ***b***. tiro ***EΓr***. est *om*. 29. est libica regnum ***Φ*** 20. libica ***DEGΓr***. in hora ***DEGΓb***. 632. sororis erat ***Λ***. 633. prom. tacitumque 10 11. prom. captumque 48. falsum lauinia ***Πg** duo*. lauinia uultu ***r***. uulnus *libri excepto* ***Λ***.

634. Mente gerit ***g** uar. scr*. premit: tacitos diss. ***Σ***. *Ita*, fremens, ***GZm** ma. pr.* ***s*** 4 13 22 23 33. dissimulatque metum ***D***, *gloss.* ***Λ*** 44. que metus *caeteri*. 635. Bonaque ***b** ma. pr*. cum uidit ***Zms*** 5 *duo*. sua limina ***Fm** ma. sec.* ***r** ma. sec.* 12 *quinque*. lum. mitti ***b** ma. pr.* 8 9 *pauci*. 636. Multa: palam ***p***. Multa tamen mitti ***ABCEFGΦΓΛMNOPΠΨΔbhr** ma. pr.* ***s*** 3 *uiginti duo et uett. ed*. Multa tamen metuit clam ***Σ***. quoque plura putat ***h*** 20. multa timet ***Φ*** 7. multa pauet ***Π*** 41. 637. Non tamen exact. ***m*** 20 22 *duo*; ***g** uar. scr*. 638. Praeparat ins. ***BC** (per compend.)* ***DZms*** 20 22 23 28 33. cupit ultro ***b***. cupit illa ***g** uar. scr*.

Nox erat. ante torum uisa est astare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta coma,
Et, fuge, ne dubita, maestum fuge, dicere, tectum.
Sub uerbum querulas impulit aura fores.
Exilit, et uelox humili super arua fenestra
Se iacit. audacem fecerat ipse timor.
Quaque metu rapitur, tunica uelata recincta
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quaeritur. apparent signa notaeque pedum.
Ventum erat ad ripas. inerant uestigia ripis:
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui uisa est, placidi sum nympha Numici:
Amne perenne latens Anna Perenna uocor.

639. thorum *mei.* ante oculos 8 *duo.* adstare *Φ? r? ulli?* sorori *ΓΠ.* 641. *Sic,* Et fuge, *AE ma. sec. FΨ? h m* 20 33 *duodeuiginti.* Effuge *caeteri.* Eff. nec dub. *NΠ.* maestum dimittere lectum *Λ.* maest. effuge dicere .tect. *unus.* fuge me duce tect. *B ma. sec. Ψ.* fuge ducere tect. *B ma. rec. CD.* fuge desere tect. *Tr ma. sec. s* 6 12 *duo.* maesto discedere tecto 10. maestum tibi linquere tectum *unus.* maestum soror effuge tectum *caeteri praeter quos seq. ABEFΓM NΠΨΔZ f h m r ma. pr.* 20 33 *uiginti unum et uett. ed.* dicere lectum *M uar. scr.* 642. inpulit *D.* 643. Exiliit et *E.* uelox illi super *AEFΦΛMPΠΔ b f g r* 43 *octo.* uelox illic super *BNΣT* 40 44 *quatuor.* uelox illis sup. *Ψ.* uelox illinc *unus.* uelox illu sup. 41. super ausa fen. *ABEFΦΛΠΨΔΣT g b m ma. sec. r* 13 40 43 *tredecim et uett. ed.; C uar. scr.* super ansa fen. 41. super alta fen. 23. fenestram *r.* fenestras *T.* 645. *Ita,* Quaque, *DZm ma. pr. s* 2 13 22 33 *duo; C uar. scr.* Cumque metu *reliqui.* Dumque *D uar. scr.* Vtque *O uar. scr.* metu rapido *unus.* uel. retecta *P.* 646. damma *EGbr.* 647. *Ita,* cupidis, *BZms* 22 48; *C uar. scr.* rapidis *C* 20. timidis *tres.* tumidis *qui restant.* 648. ocul. *Γ.*

649. Syd. *DE sub ras.* 650. aparent *DE.* signa pedumque notae *g.* signa notata pedum 33. notaeque petunt *Λ.* 651. ad ripam *Σ.* rip. inerat *T.* rip. intrant *m ma. pr. s.* rip. instant 12 20. uestigia ripae *Ψms* 12 20; *C uar. scr.* 652. Sustin. tacitus *f.* Sust. tenues *Zms* 20 22. Sust. placidas *duo.* tacitas concitus *D.* concius *Γ.* 653. Ipsa uisa est loqui *Γ.* loqui iussa est *M.* est rapidi *BZms* 13 20 *duo; C uar. scr.* nimph. *mei.* 654. am. perhenne *EGΓbr.* an. perhenna *EΓbr.* per. loquor *unus.*

Protinus erratis laeti uescuntur in agris
Et celebrant largo seque diemque mero.
Sunt quibus haec Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bouem.
Inuenies, qui te nymphen Atlantida dicant,
Teque Ioui primos, Anna, dedisse cibos.
Haec quoque, quam referam, nostras peruenit ad aures
Fama, nec a uera dissidet illa fide.
Plebs uetus et nullis etiamnunc tuta tribunis
Fugit, et in sacri uertice montis erat.
Iam quoque quem secum tulerant, defecerat illos
Victus, et humanis usibus apta ceres.
Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bouillis,
Pauper sed mundae sedulitatis anus.
Illa leui mitra canos redimita capillos
Fingebat tremula rustica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane solebat
Diuidere. haec populo copia grata fuit.

655. Prot. aeratis *m*. Pr. errantes 20. laeti uescentur *Λ* 43. laeti pascuntur *O*. in aruis *Π p* 41 *quinque*. 656. cel. longo *tres*; *g uar. scr.* seque deemque *E*. 657. est quae *p uar. scr.* inpleat *D*. impl. orbem 34; *C uar. scr.* 658. Parsque themim in. *P*.

659. te nymphamque *P* 3. ninpham athlantida (athal. *ma. sec.*) *D*. nimphen atha...ida *E ma. pr.* nimph. athalantida *G Γ b r*. nymph. nilanida (*siue* milanida) 43. n. atalantida *Λ M N O P p*. *Erasa ea uox in m.* atl. dicat *Φ*. dicunt *M T b tres*. credant *unus*. 661. quoque quae *Λ*. 662. *Sic*, uera, *D Z m s* 10 12 20 33 *sex*. ueri *reliqui scripti et editi*. ueri desidet *Γ P*. 663. uetus ut nullis *G* 6. uetus a nullis *Γ b quatuor*. uetus est nullis *Λ Δ tres*. uetus en nullis *T* 10. etiam tutata tr. *C*. etiam tum tuta *quinque*. etiam tunc tuta *Φ h p s* 12 20 33 *decem*. etiam stat (*emend.* sat) tuta *m*. nunc cura trib. *g*. tributis *f*. 664. Fulgit *r ma. pr.* montis abit *D m s* 20 22 33 *quinque*. 665. quoque quod tulerant secum *m*. quem tulerant secum *C Λ s*. quem tulerat secum *D*. sec. tulerat *B septem*. *Ita*, illos, *A C p* 33 43 *duo et uett. ed.*; *M uar. scr.* illis *caeteri*.

666. usibus acta *tres*. 667. Anna s. q. f. orta *P g r duo*. suburb. quondam *g ma. pr. tres*. fuit *om. f*. 668. *Ita*, mundae, *D Z ma. pr. m s*. multae *caeteri et D m uar. scr.* mirae *Π et Δ uar. scr.* multae calliditatis 10; *Δ uar. scr.* 669. Illa breui *O*. leui uitta *g uar. scr.* *Ita*, redimita, *B C D m s* 4 12 13 33 *decem*. canos succincta *unus*. canos incincta *caeteri*. 670. Cingebat *Λ O* 43. Scindebat *Σ duo*. Frangebat *duo*. Fing. trepida *h* 43 *et uett. ed. praeter Rub.*

671. Atque ea per *O ma. sec.* Atque s per *Γ*. fumancia *G Γ*.

Pace domi facta signum posuere Perennae,
Quod sibi defectis illa tulisset opem.
Nunc mihi cur cantent, superest, obscaena puellae,
Dicere. nam coeunt certaque probra canunt.
Nuper erat dea facta. uenit Gradiuus ad Annam
Et cum seducta talia uerba facit:
Mense meo coleris, iunxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio spes mihi magna tuo.
Armifer armiferae correptus amore Mineruae
Vror, et hoc longo tempore uolnus alo.
Effice di studio similes coeamus in unum:
Conueniunt partes hae tibi, comis anus.
Dixerat. Illa deum promisso ludit inani,
Et stultam dubia spem trahit usque mora.
Saepius instanti, mandata peregimus, inquit,
Et uictas precibus uix dedit illa manus.
Credit amans thalamosque parat. deducitur illuc
Anna tegens uoltus ut noua nupta suos.
Oscula sumpturus subito Mars aspicit Annam:

93. que caelo dat terr. *Ψ.* dat caeli *B.* terrae et natal. *DGΔΣg ma. sec. h uett. ed.* 94. suos coitus *EΦ (ma. sec. test. Heins.) ΔNΨbht* 13 *tredecim et uett. ed.; CMPΠΔ* 44 *uar. scr.* suos ortus *Ψ uar. scr.* suos arcus *M.* suos nutus *Tp* 43 *nouem.* suos motus *B duo.* suos numeros 21. suos nexus c. o. solum *Γ.* 95, 98, 97, 96 *transp. Φ.* 95. est enumerare *Φ.* longum enumerare 34. est memorare *P tres.* est narrare *D* 33 35 36 *sex.* 96. caus. seminibusque *unus.* 97. rud. hominum animos *f.* animas 20. anim. conuertit *ΠΔf.* an. construxit *unus.* an. coniunxit *Φ.*

98. Edocuit *P.* decuit *G.* iungi compare *A test. Gron.* cum mare *gloss. Δ.* pare quaeque *O.* pare quamque *quinque.* suo *FΦm.*

100. coeunt *CEΓΔOPΠΨΣTbfm ma. sec. st* 3. co. uolucres *E.* 101. mare mas aries 34. decert. et idem *NΣTb; p uar. scr.* 102. dil. cedere *r ma. pr.* 103. Disposita *A.* Postposita *NPT quatuor; M uar. scr.* Dep. taurus sequitur *tres.* thaurus *D.* iuuencas *E.* 104. Quem totus *CEΓm ma. pr. octo.* quem tremit omne nemus *g quatuor.* quem timet omne nemus *Ψ.* omne tremunt *C uar. scr.* omne timet *ΔΣ* 20 40 41; *PΠ uar. scr.* 106. inplet *Γ.* 107. feros hominis habitus detr. *Π.* hab. hominis *Cs quinque.* hab. hominum *ΔN tres.* 108. cult. multaque *CDEΦΓMNOΠTb ma. sec. rst aliquot; Δp uar. scr.* cura solo l' sui *Γ.* Ita, sui, *GΨΔZfm ma. pr.* 6 12 20 *septem; s uar. scr.* cura solo *reliqui et uett. ed.* 109. carm. iugulatum *T.* carm. modulatum *BCs* 33 *decem.* nocte dieque *M uar. scr.* 110. claus. continuisse *b.* claus. continuasse *r quatuor.* claus. commemorasse *O uar. scr.*

Eloquiumque fuit duram exorare puellam:
Proque sua causa quisque disertus erat.
Mille per hanc artes motae. studioque placendi
Quae latuere prius, multa reperta ferunt.
Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundo
Audeat? a nobis sit furor iste procul.
Quid quod ubique potens templisque frequentibus aucta
Vrbe tamen nostra ius dea maius habet?
Pro Troia, Romane, tua Venus arma ferebat,
Cum gemuit teneram cuspide laesa manum:
Caelestesque duas Troiano iudice uicit:
Ah nolim uictas hoc meminisse deas!
Assaracique nurus dicta est, ut scilicet olim
Magnus Iuleos Caesar haberet auos.
Nec Veneri tempus quam uer erat aptius ullum:
Vere nitent terrae, uere remissus ager:
Nunc herbae rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

111. fuit dulce exor. *m.* fuit duras orare puellas 20. **112.** desertus *f.* dis. erit *G.* **113.** arces *Φ.* *Sic*, motae, *D Z m* 33 *duo.* artes initae 20. art. nocte, noto *singuli.* artes notae *caeteri scripti et uett. ed.* que placendae *m ma. pr.* **114.** Quae placuere *f.* reperta forent *Ψ*; *M uar. scr.* **115.** *Ita*, secundo, *A ma. pr. B C P Δ m ma. pr. duo.* secundi *caeteri.* **116.** sit procul iste furor *C D E F G Φ Γ b h p s undecim.* furor ille *M.* **117.** Quicquid ubique potest templ. *m.* ubique frequens *G.* ubique procul *Σ.* templis frequentibus *C f.* templisque recentibus 20. frequ. acta *Φ M.* freq. acta est *N.* acta es *f.* aucta est *Δ p.* **119.** A troia *g.*

120. genuit *E.* tenera c. l. manu *h.* **121.** que deas *Σ b.*

122. Ac nol. *D ma. pr.* At nol. 6. Has nol. *Δ.* Ha nol. *A B C E F M N O P Π Δ T f pr.* Ha nolunt *Φ.* Ha noli *Γ.* Ha nobis uict. *b.* Hanc olim uict. *g.* nolim dictas hoc meruisse *Z* 20. uictas *in ras. m.* uictas haec *G s sex.* uict. has *O P Ψ Δ.* uict. hic *M uar. scr.* uict. hac *r ma. pr.* haec meruisse 34. memin. duas 35.

123. Assaricique *D G fort. ma. pr.* silicet *Γ.* **124.** Magnos *r.*

125. Nunc uen. *Ψ uar. scr.* uer erit apt. *Δ* 20. uer eat apt. 11. uer est apt. *m duo.* apt. illum *Γ.* 125, 127, 126, 128 *transp. Γ.*

126. Vere uirent terr. *Δ g.* uere remittit ager *M ma. pr.* Vere remissus ager uere nitent terrae *Γ.* **127.** Tunc *Δ N O P Π* 40 41 *alii.* herbae ueteres tellure *P* 3. **128.** Tunc *Δ N O P Π alii.* Nunc timido geminas *E.* Tunc tumidas *O.* tum. genas *b ma. pr.* palmis *Γ.*

Et formosa Venus formoso tempore digna est,
Vtque solet, Marti continuata suo.
Vere monet curuas materna per aequora puppes
Ire, nec hibernas iam timuisse minas.
Rite deam latiae colitis matresque nurusque
Et uos, quis uittae longaque uestis abest.
Aurea marmoreo redimicula soluite collo,
Demite diuitias. tota lauanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc noua danda rosa est.
Vos quoque sub uiridi myrto iubet ipsa lauari:
Causaque cur iubeat, discite, certa subest.
Littore siccabat rorantes nuda capillos:
Viderunt satyri, turba proterua, deam.
Sensit, et opposita texit sua corpora myrto:

129. formoso est temp. d. e. *E.* tempore gaudet *N uar. scr.* 130. *in marg. ma. pr. D.* continuata uiro est *Λ.* est *in fine addunt libri praeter D P Σ? h* 3 12 20 *tres alios et Ald. prim.* 131. Vere mouet *B Λ m* 43 *sedecim; p uar. scr.* Vere mouent *h.* Vere iubet *Φ uar. scr.* curua *Λ.* pupes *E.* 132. hibernas pertimuisse *O.* iam meminisse 12 28 29 33. 133. deam colitis latiae (lacie *E G Γ*, lane *b*) *A E F G Φ Γ Λ M N O P Π Ψ Δ T b f g h p r s, numeris notati praeter* 20 33 *sex, uett. ed.* 134. quis uicte *E.* uestis adest *M ma. pr. O Ψ s* 12 20 44 *decem; P uar. scr.* 135. redimic. tollite collo *Ψ.* redim. demite coll. *A E F G Φ Γ Λ M N O P Π Ψ Δ Σ T f g h r s t numeris insigniti praeter* 12 20 *septem et uett. ed.; D uar. scr.* *Vu.* 136 *et* 137 *nusquam extant nisi in B D G Z b g m p* 6 (34?) *nouem aliis, tum in E* 33 *extra ordinem manu recentiori.* 136. diuicias *G. Ita,* lauanda, *duo ignoti.* tota iuuanda *B D g m* 34. tota uidenda *E G b* 33 *tres; D uar. scr.* tota leuanda 34 *uar. scr.* tota nouanda *D uar. scr. De reliquis non constat.* 137. redim. demite *m p uar. scr. uterque. Gloss. E:* siccato] post balneum. 138. Nunc albi flor. *D Γ Σ p r tres; Π uar. scr.* Nunc alibi *g.* Nunc alti *m ma. pr.* Nunc illi *t.* nunc rosa d. noua est *G t.* nunc noua rosa danda est *r.* nunc rosa noua danda est *Φ.* noua clausa rosa *b ma. pr.* 139. *in marg. r.* mirto *D E G Γ.* iub. illa *P Π b h decem.* iub. usque 36; *g uar. scr.*

140. Causa haec cur *Λ.* Causa est cur *b.* iub. dicite *E ma. pr.* iub. dicere *m; Π uar. scr.* 141. Litore *G Φ?* sicc. rorantes rore *h quatuor et uett. ed.* sud. uda 11. sicc. rorantes nuda cap. *m s* 12 20 33 *decem alii.* 142. Videre sat. *s.* satiri *E G.* 143. Sentit *et r.* obposita *D f r.* apposita *Γ h p* 12 20 *octo et uett. ed.* opp. sensit sua *T.* sua timpora *f r; C uar. scr.* sua pectora *h.* sua tempora *A F Φ test. Heins. M N P Π Δ Σ T g p decem fere; t uar. scr.* mirto *Σ mei.*

Tuta fuit facto, uosque referre iubet.
Discite nunc, quare Fortunae thura Virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito uelamine cunctas,
Et uitium nudi corporis omne uidet.
Vt tegat hoc celetque uiros, Fortuna Virilis
Praestat, et hoc paruo thure rogata facit.
Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, et expressis mella liquata fauis.
Cum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit. ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus uerbis illam placate. sub illa
Et forma, et mores, et bona fama manet.
Roma pudicitia proauorum tempore lapsa est:
Cumaeam ueteres consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri. quibus ordine factis
Inde Venus uerso nomina corde tenet.

144. facto nosque 3. facto hocque Σ. que proferre *O*. referre iuuat 35. ref. pudet *duo*. 145. Dicite *EΛ*. Discute 44. Disc. fortunae nunc quare tura *b*. tura *Φ? r?* 146. eo calida *g ma. pr. m ma. pr. s* 4 22 33 *undecim*. gel. quo *Ψ*. 147. Aspicit ille *GΦ ΛNΣTbrt sex*; *CF uar. scr.* uel. matres *N*. 148. om. *Γ*. uicium *EG*. omne patet *CEPΠΔs* 3 *sedecim*; *BΦ uar. scr.* Nudaque deposita corpora ueste patent 29. 149. teg. haec *G quatuor*. hoc lateatque uir. *b*; *D uar. scr.* que uiras *E*. que uiris 33 *quatuor*. hoc fortuna uiros celetque uir. *O*. 150. hoc *om. E*. et haec *G Ψ*. ture *EΦ?* 151. Ne pig. *E ma. pr. Ψh* 44 *uett. ed.* Ne pudeat *gloss. Λ*. tricum *Λ*. pig. niueo tritum *O* 29. trit. nimio *T*.
152. mella locata fau. *m ma. pr.* 153. Cum primo *PΠ* 3 *duo*. prim. liquido *Δ ma. pr. f.* diducta *f*. deducto *E ma. pr.* est educta *t*. est conducta *Π* 41. est adducta *duo*; *M alius uar. scr.* 154. Haec bib. *p*. 155. Illam supplicibus (suplic. *D*) uerbis plac. *Dbh paucissimi et uett. ed.* Subplicibus *E*. Suplicibus *r*. Suppliciter uerbis *Φ*. sub ipsa *r* 33 *duo*. 156. Et fortuna et mores *Γ*. bona forma *AG ma. pr. corr.* fama manent *C*. fama fuit *N uar. scr.* 157. pudicicia *EG*. puditicia *D*. pudicitia est pr. t. lapsa: *P* 20 *duo*. est *abi. Γ*. 158. Coemaeam *Λ*. Cyneam 33. uet. consiluisse an. *E*. consil. humum *m ma. pr.* 159. iubent *m*. ueneri *om. Λ*. iubet fieri ueneri quib. *DΦOΨhs Ald. prim.* 160. uenus numine uerso corda *E*. uerso numine corda *BCDGΓΛMNOPΠΔΣb ghrst* 3 12 13 40 41 44 *uiginti unus et uett. ed.* numina corda *unus*. nomine corda *AFΦΨfmp* 33 43 *duodecim*; *M uar. scr.* nom. templa *T*. num. corde patet *B uar. scr.* corda uidet *Φ uar. scr.*

Semper ad Aeneadas placido, pulcherrima, uoltu
  Respice, totque tuas, diua, tuere nurus.
Dum loquor, elatae metuendus acumine caudae
  Scorpios in uiridis praecipitatur aquas.

Nox ubi transierit, caelumque rubescere primo
  Coeperit, et tactae rore querentur aues,
Semiustamque facem uigilata nocte uiator
  Ponet, et ad solitum rusticus ibit opus,
Pleiades incipiunt humeros releuare paternos,
  Quae septem dici, sex tamen esse solent.
Seu quod in amplexum sex hinc uenere deorum:
  Nam Steropen Marti concubuisse ferunt,
Neptuno Halcyonen et te, formosa Celaeno,
  Maian et Electran Taygetenque Ioui:
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit.
  Poenitet, et facti sola pudore latet.

161. Semper et aen. *T.* aeneades *A.* aeneidas *Er.* eneiadas *G.* placito *E.* plac. diguissima *O* 12 20. pulcerr. *r.* pulgerr. *Γ.* uoltu *solus A.* **162.** tuere manus *Ψ uar. scr.* **163.** Cum loq. *D.* loquar *Γ.* **164.** Scorpio *A* (*teste Heins.* Scorpios *test. Gron.*). Scorpius *caeteri.* uirides *libri praeter A.* in liquidas 12 20. praecipitatus *P.* **165.** Mox ubi *m.* caelum rub. *f.* **166.** *Vers. om. ol. Φ.* et tacitae *ΦΓΔ*; *Ψ uar. scr.* et tectae *Ψp alius.* et tutae *unus.* rore queruntur *GΓOΠΨΣThst quindecim et uett. ed.* **167.** Semustamque *libri omnes praeter BCΓΔmr ma. sec.* uigilataque *B.* **168.** solidum *A.* **169.** Pliades *EPb* 33 „*alii nonnulli*" *Heinsii.* ..alides *Γ*: Pleides *p.* incipiant *t.* incipient *caeteri praeter quos sequor; A ma. pr. BCDm ma. pr. s.* inc. numeros *A ma. rec.* (*Petauii?*) *in marg. Gloss.* surgunt ab athalante patre *D.* occident *E.*
171. Seu quid *b.* in amplexus *ΓPΨ Ald. pr.* in amplexu *ΦTs.*
172. steropem *EMNOΠΔp.* **173.** alcinoen *D.* alcinonen *E.* alcionem *Gr.* altionem *Φ.* alnoen *Γ.* alinoen *b.* actinoen *f.* cileno *r ma. sec.* eleno *Γ.* **174.** Maiam *GΦ sub ras. Ita,* electran, *hm tres et fort. D.* electram *caeteri. Ita,* taygetenque, *CFΨm uiginti unus.* taygetanque 33. tagietāque *D.* tagetemque *BΓ.* taygetemque (taig. *E*) *AEGΦMNOPΔgp* 3. taygetamque *caeteri et E* (taig.) *uar. scr.* **175.** morope *B.* merose *b.* mort. merops sibi *Φ.* sisiphe *EGΓ.* tibi siphile *D.* tibi tantale *quatuor; NΔ uar. scr.* sis. uixit *O ma. pr.* **176.** facti laesa pud. *F uar. scr.* pud. manet *f ma. pr.*

Siue quod Electra Troiae spectare ruinas
Non tulit, ante oculos opposuitque manum.

Ter sine perpetuo caelum uersetur in axe,
Ter iungat Titan, terque resoluat equos:
Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu
Flabit, et Idaeae festa parentis erunt.
Ibunt semimares et inania tympana tundent,
Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum ceruice feretur
Vrbis per medias exululata uias.
Scena sonat, ludique uocant. spectate, Quirites,
Et fora Marte suo litigiosa uacent.
Quaerere multa libet. sed me sonus aeris acuti
Terret et horrendo lotos adunca sono.
Da, dea, quem sciter. doctas Cybeleia neptes

177. Siue quid *b ma. pr.* electre *s ma. pr. tres.* ruinam *Φ.*
178. apposuitque *P duo.* obpos. *r.* que manus *P*; *g duo uar. scr.* que manu *h.* 179. Et sine *p.* uersatur *g.* uertatur *Λ.* in arce *C uar. scr.* 180. tytan *D G.* resoluit *D.* reiungat *Π.* remergat 41. 181. inflecto *A.* berecincia *E.* berecichia *b.* berecinthia *D G r.* tybia *G.* berec. tympana 20. 182. Flauit *m.* Fleuit 33. Ibit *unus.* ideae *D.* id. templa par. *unus.* 183. semim. immania *C uar. scr.* timpana *D E G Γ r.* tempora *O ma. pr.* tondent *E.*
184. Aereque tinn. aera *Γ.* tinn. aera *A* 33 *duo.* tinn. aereque pulsa 20. 186. exullulata *E sub ras.* exubalata 44. 187. Sçena sonet *E.* Sc. sonant *N.* sonat lituique 2? ludique sonant *Γ ma. sec. in ras.*, *Σ.* ludique uacant *Λ O* 13 20 33; *p uar. scr.* spectare *B E Λ T b p duodecim; M O uar. scr. Gloss. E:* spectare] ad spectandum. quirites] l' ce. 188. fora a marte *r.* litig. uacant *G Π T* (20 33 *duo*)? *quinque et uett. ed.; p uar. scr.* litig. iacent *O ma. pr. Gloss.* marte] placito *D.* lite causarum *E.* 189. multa licet *Ψ s.*
190. lothus *Δ.* lothos *D E f*; *Δ uar. scr.* adhuncca *Γ.* lot. amica *duo.* 191. Tu dea *Λ.* Dic dea *Π. Ita,* quem sciter, *tres ignoti.* dea quem scitent *m.* dea quae scitor *D Z.* dea quam scite doct. (nept.) *A B C E Φ Λ M N O Δ Σ T g h p r* 20 33 44 *duodetriginta et uett. ed.; Π uar. scr.* dea quaesita doct. *F.* dea quam scithe doct. *G.* dea quam citra doct. *Γ.* quam certe doct. *P.* dea quaesieram doct. *Π.* dea quam sciter doct. *Ψ s.* dea quam scire doct. *b duo.* dea quae scire doct. *unus.* dea quas scite *f t.* dea quas sciter doct. 29. dea quo possum doct. *unus.* dea quam cito doct. *unus; r uar. scr.* scite neptes cybeleia doctas *O.* doct. celestia *f.* cibyleia *G.* cibel. *D E Γ.*

Vidit, et has curae iussit adesse meae.
Pandite mandati memores, Heliconis alumnae,
Gaudeat assiduo cur dea Magna sono.
Sic ego. sic Erato. mensis Cythereius illi
Cessit, quod teneri nomen Amoris habet:
Reddita Saturno sors haec erat. optime regum,
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, ut quaeque erat edita, prolem
Deuorat, immersam uisceribusque tenet.
Saepe Rhea questa est, totiens fecunda nec umquam
Mater, et indoluit fertilitate sua.
Iuppiter ortus erat. pro magno teste uetustas
Creditur. acceptam parce mouere fidem:
Veste latens saxum caelesti uiscere sedit.
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,
Tutus ut infanti uagiat ore puer.
Pars clipeos sudibus, galeas pars tundit inanes:

192. Audit et *N Δ* 35; 29 *uar. scr.* 193. Pandate *D ma. pr.* mandari *E sub ras.* eliconis *E G Γ.* alumpne *E.* 194. asiduo *Γ.* assidua *A.* 195. *Vers. cum seq. om. f.* eratho *mei sex.* citereius *E ma. pr.* chither. *E ma. sec.* cithereus *Γ.* cith. *D.* 196. Cess. quem ten. *G.* Cess. qui ten. *Φ Δ*; *b uar. scr.* Cess. quae ten. *A Σ b duo*; *p uar. scr.* Cess. nam ten. *P* 3 *duo.* ten. numen *G M.*
197. Reddita sors saturne tibi haec *E.* haec est opt. *m.*
198. ceptris *Γ.* nato regnis 2? *unus.* excuciere *E Γ.*
199. suam reuerens *Π uar. scr.* quaeque est edita *Φ A r.* edita proles *E* 33 *duo.* 200. inmers. *G.* immersum *m ma. pr.* immensam *A Δ b h*; *p uar. scr.* que *om. E ma. pr.* 201. rea *D E Γ r.* rhea (rea) est questa tot. *G A r.* tociens *D E.* est tam saepe fecunda *f.* foec. *Ald. pr. et Elz.* fec. neque unq. *A.* umquam *D E.*
203. Iupiter *E.* Iopiter *P.* pro magna 29. 204. acc. parte *b h.* 205. cael. in gutture *O P Π.* cael. gurgite *g duo.* caelesti uiscere *Z.* gutt. fodit *unus.* 206. Hic gen. *P.* Sic senior fat. *G.*
207. resonet *g.* resonant *tres, Lactant.* 1, 21 *ed. Ro.* 1470. tinn. ida *Φ O h m p r ma. sec. Ald. pr.* tinn. idae *tres, Lactantius Aldi.*
208. Tut. et inf. *m ma. pr.* Tut. ab inf. *O ma. pr.* 209. *Ita Lactant. loco ind.* 12 20 35. clipeos rudibus *Z m ma. pr.* clipeos (clyp. *Σ al.*) manibus *A B C D E F G Φ Γ M N O P Π Ψ Δ Σ T b f g p r s t* 3 10 22 33 *undetriginta.* clypeos galeas manibus pars *A.* Pars pulsat clipeis galeas 4. Pars manibus clypeos gal. *reliqui et uett. ed.* galeas tondit pars inan. *E.* pars condit *f.* pars pulsat 29 33 *alius.* pars tundite inan. 27. tund. inermes 49. tund. acutas *M uar. scr.*

Hoc curetes habent, hoc corybantes opus.
Res latuit patrem. priscique imitamina facti,
Aera deae comites raucaque terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Desierat. coepi, cur huic genus acre leonum
Praebeat insolitas ad iuga curua iubas.
Desieram. coepit. feritas mollita per illam
Creditur. id curru testificata suo est.
At cur turrifera caput est onerata corona?
An primis turres urbibus illa dedit?
Annuit. Vnde uenit, dixi, sua membra secandi
Impetus? ut tacui, Pieris orsa loqui.
Phryx puer in siluis facie spectabilis, Attis
Turrigeram casto uinxit amore deam.
Hunc sibi seruari uoluit, sua templa tueri,
Et dixit, semper fac puer esse uelis.

210. Hoc cithetes *b*. cur. agunt *CΠ quatuor*. curibantes 3. corbantes *Γ*. corib. *DEG*. 211. latuit priscique manent imit. *BC Zm ma.pr.* 41220 *Lactant. et sex. Gloss.* latuit] patrem *C*. immittancia *E ma.pr.* imitantia *Φh Lactant. et editi saec.* XV. 212. com. raraque *Σ*. que turba *s ma.pr.* terga sonant *duo*; *M uar. scr.*
213. Cimb. *EGΓ*. timp. *DEGΓr*. 214. Tybia *G*. phrig. *DG*. frig. *EΓ*. ante sonos *Gr* 33 *duo*. 215. coepi quare gen. *Π*. cur hic gen. *As*. cur huc gen. *m*. acre leones 33 45 *alius*.
216. *Sic*, Praebeat, *CDGΦΓMNOP ma. sec. ΠΨΔTbfgps undetriginta*. Praebet *B*; *C uar. scr.* Praebeant *b*. Praebuit *unus*. Praebent *caeteri*. curua comas *BDEGΦΓNOPΠΔTbft duodecim*. 218. Creditur et curr. *E*. Cred. hoc curr. *Π*. id cur tu test. *b*. curu *Γ*. curru testificante *Δ*. est *abi. duo*. 219. thurifera *Ψm ma.pr. duo*; *C uar. scr.* turrigera *C duo*. turrifica *p*; *Δ uar. scr.* turrita *Φ test. Heins. g ma.pr. duo*. honerata *E*. honorata *ΓΣ*. est ornata *NΠ* 6 12 *octo*. 220. An primas *G*. An phrygiis 4 33 34. prim. terrae *f*. urb. ipsa *p*. 221. menbra *G*. 222. Inpet. *r*. Imp. et tac. *Cm ma.pr.* pyeris *D*. pier. orā *b ma.pr.* loqui est *Πpr*. 223. Phrix *D*. Frix *EGΓr*. spect. aptis *AE ma.pr.* 34. spect. atris *C uar. scr.* actis *m ma.pr. alius*. athis *Φ ma.sec.* atis *g ma.pr.* atthys 12 20 33 *duodecim*. spect. altis *caeteri omnes. Gloss. D*: puer] itis l'attis. 224. Turr. magno *Δ*. casto iunxit *libri exceptis ADΦMOΣbfmr* 13 33 43 *duobus*. 225. Nunc *b ma.pr.* seruari et uol. *gp*. seru. placuit sua *Π quatuor* 41; *M uar. scr.* sua membra *duo*. templa teneri *Δ*. tenere *nullus*.
226. Et dixi *g*. Et dictis *unus*. fac meus esse 27.

Ille fidem iussis dedit et, si mentiar, inquit,
Vltima, qua fallam, sit uenus illa mihi.
Fallit, et in nympha Sagaritide desinit esse
Quod fuit. hinc poenas exigit ira deae.
Naida uolneribus succidit in arbore factis.
Illa perit. fatum naidos arbor erat.
Hic furit, et credens thalami procumbere tectum
Effugit, et cursu Dindyma summa petit.
Et modo, tolle faces, remoue, modo, uerbera, clamat:
Saepe Palaestinas iurat adesse deas.
Ille etiam saxo corpus laniauit acuto,
Longaque in immundo puluere tracta coma est.
Voxque fuit, merui, meritas do sanguine poenas:
Ah pereant partes quae nocuere mihi!
Ah pereant, dicebat adhuc. onus inguinis aufert,
Nullaque sunt subito signa relicta uiri.

227. Illa *D.* iussus *N.* iuss. redit *s.* iuss. dederat si *tres.* mencior *D.* mentior *br.* menciar *E.* 228. Vlt. quam fall. *GΦΛ* 20 *sex; M uar. scr.* qua fallar 6. uen. ipsa *tres.* illa mei *f.* mchi *E.* 229. nimph. *mei.* sagarittide *G.* sagaratide *Φ.* sagarithide *Σ.* sagaride *p septem.* sangaride *tres.* sangaritide *h.* 230. Qui fuit *C uar. scr.* fuit huic *Ψm ma. pr.* 20 33 *duo.* 231. Naiada *B(D? per comp.) FGΓΛΝΠΔΣTbghr alii.* uuln. *libri praeter A.* succedit *b ma. pr.* 232. periit *D.* factum *E ma. pr. s.* naidis *Em.* naiadis *B.* naiados *DGΦΓΛΝΠΨΔΣTbghs alii.* 233. Sic fur. *C.* Hinc fur. *Ψ.* Haec fur. 4. Hic fugit *g ma. sec.* thalamis *tres.* proc. tegnam *Z uar. scr.* proc. tecta *m ma. pr.* 12 20 *tres.*

234. Affug. *Γ.* Et fugit et *h tres et ed. saec.* XV. dindama *D.* digdama *E.* dindima *GΓr.* 235. faces modo uerbera summoue clam. *Cm ma. pr.* faces mihi uerbera summoue cl. *B.* (*Ita sched.*) *Rasura in Z.* uerbera dixit *EΓ.* 236. palestinas *DE.* Saepe palatinas clamat adesse 20. palestrinas *h.* palaest. intrat ad. *Λ.*

237. Illa *A.* corp. lacerauit ac. *G.* aluiauit *r ma. pr.* 238. Longaque et imm. *m.* Longa quoque imm. *duo.* Longaque non mundo *s* 22 24. inmundo *DG.* pulu. tecta 12 20. pulu. trita 25. tractat coma est *r ma. pr.* 239. fuit metui *p uar. scr.* fuit talis: nostro do *P.* fuit tales nostro do 3. fuit talis meritas 44. merui meritas sang. *E ma. pr.* merui meritus sum sang. *E ma. sec.* mer. meritam d. s. poenam *Δ* 14. mer. merito do *ΠT.* meritas de sang. *B octo.* meritas dem *Γb* (*de utroque me errasse puto*). meritas dum sang. 11. 240. *om. olim Φ.* Ha *ABCDEGΦΛPΠΔTbfhr.* Nunc pereant *Γ.* michi *EΓ.* 241. Ha *ABCDEGΦΛPΔTbfhr.* Dum, pereant *Π.* bonus *E.* inguini aufert *Φ.*

Venit in exemplum furor hic, mollesque ministri
Caedunt iactatis uilia membra comis.
Talibus Aoniae facunda uoce Camenae
Reddita quaesiti causa furoris erat.
Hoc quoque, dux operis, moneas precor, unde petita
Venerit. an nostra semper in urbe fuit?
Dindymon et Cybelen et amoenam fontibus Iden
Semper et Iliacas Mater amauit opes.
Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros,
Est dea sacriferas paene secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua numina posci
Senserat, assuetis substiteratque locis.
Post ut Roma potens opibus iam saecula quinque
Vidit, et edomito sustulit orbe caput,
Carminis Euboici fatalia uerba sacerdos
Inspicit. inspectum tale fuisse ferunt:
Mater abest. matrem iubeo, Romane, requiras.
Cum ueniet, casta est accipienda manu.

243. in exemplo *Γ*. in assuetum fur. *Π*. furor hinc *Γ*(?)33. que magistri *f ma. pr.* 244. Caed. uittatis 44. iact. mollia *duo*; *g p uar. scr.* menbra *G*. 245. aonide *Γ*. faecunda *Cm ma. pr.* Camoenae *incertum, num libri Heins.* 246. Redd. quaerenti *t*.

247. Haec quoque *BDN*; *p uar. scr.* Huic quoque 20 *duo*. moneat *A*. precor *om. G*. 248. Venerat *Δ*. Venerit na an *D*. an uestra *m*. nostra causa in *D ma. pr. corr.* in aede fuit 12 20. 249. Dindonon *D*. Digdimon *E*. Dindimon *Γ*. cibelen *D*. cibelon *E*. cibilen *GΓf*. cibilem *h*. am. frondibus *h quatuor Ald. prim.* font. idem *Cp*. font. idam *reliqui exceptis, quos sequor, ABDFGΓΛΔΣbf gmr ma. pr.* 13 43 *uiginti septem aliis.* 251. troian *E*. aen. latios *T*. ital. portauit *DFGΦΛPΨΔTbfghrs*; *N uar. scr.*

252. paene petita *B ma. sec.* 253. nond. lacio fatis *r*. lacio *G*. sua nomina *EΛ* 20 *duo*; *C uar. scr.* sua munera *P alius.*

254. assuet. constiteratque *DFΓΛMNOPΠΣTb* 3 10 22 40 41 *decem.* assuet. constitit atque loc. *G*. constitueratque *r*. consideratque *s*. 255. Post ubi *GO ma. sec. s* 2? 20 *duodecim.* Post quod roma *Π*. Postquam roma *Φ uar. scr.* opibus tam saec. *Φ*. opibus bis saec. *Π*. *Gloss. E:* Quingenti anni teste macrobio a romulo usque ad scipionem. 256. et e domito *ΓMNOΠp*. et adomito *r*. capud *E*. 257. euboeci *E ma. pr.* euboci *G*. fatal. signa *unus.* *Gloss. E:* De euboea uenerunt qui cumas fecerunt. 258. fuisse refert *D*. insp. talia uerba refert *G*. 259. adest *r ma. pr.* abest iubeo matrem rom. *Ψg*. matrem iubeas *f ma. pr.* 260. Conueniet *M*.

Obscurae sortis patres ambagibus errant:
Quaeue parens absit, quoue petenda loco.
Consulitur Paean. diuumque arcessite matrem,
Inquit. in Idaeo est inuenienda iugo.
Mittuntur proceres. Phrygiae tunc sceptra tenebat
Attalus: Ausoniis rem negat ille uiris.
Mira canam. longo tremuit cum murmure tellus,
Et sic est adytis diua locuta suis:
Ipsa peti uolui. ne sit mora, mitte uolentem.
Dignus Roma locus, quo deus omnis eat.
Ille soni terrore pauens, proficiscere, dixit:
Nostra eris. in Phrygios Roma refertur auos.
Protinus innumerae caedunt pineta secures
Illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat.
Mille manus coeunt. et picta coloribus ustis
Caelestum matrem concaua puppis habet.
Illa sui per aquas fertur tutissima nati,
Longaque Phrixeae stagna sororis adit,

261. Obscurae sorteis. patr. *t.* Obsc. sortes: patr. *ACFΦΔO P ma. pr. ΠΔTf r s ma. pr.* Obsc. sorti patr. *h.* partes *D.*
262. Quoue *B.* Quaeque *Δ septem.* loco est *C.* 263. paean matremque a. diuum *ΔΣ.* paean matrem arcessite diuum *f. Sic,* arcessite, *AΦNO ma. sec. P quindecim.* arceseite *BΔΨp; C uar. scr.* arcessere *E.* accersite *caeteri Heinsii et mei, nisi quod* accerssite *Σ.* 264. Inqu. et id. *g.* est *in fine f.* inu. loco *Γ; M uar. scr.* 265. phrig. *DG.* frig. *E.* phrygiae tum *BΣ? m* 20 33 *quatuor.* ceptra *r.* cepta *b ma. pr. f.* tunc regna *EΓ tres.*
266. Attulus *C.* Attalis *b ma. pr.* negat esse *b ma. pr. m ma. pr.* negat ipse *O.* 267. Mira cano *EΔ.* long. cum murm. trem. tell. *Γ.* 268. sic ars adyt. *T.* aditis *CEGΓ.* 269. *Ita,* ne sit, *AΠΣ? b* 6 *duo.* nec sit *caeteri scripti et editi uett.* uolentes *b ma. pr.* uolantem 44. 270. omnis erat *D sub ras., f alius.* omnis erit *M.* 271. Ipse *O; C uar. scr.* somni *m ma. pr.* sono *Δ.*
272. phrig., frig. *uti supra.* 273. innum. scindunt *Ψ.*
274. Illa quidem fug. *b ma. pr.* phrix, frix *uti supra.* phryx puer us. *C* 6 *duo.* phryx prius us. *NΣ* 33 *sex; Π b uar. scr.* 275. et piete *f.* color. astis *D ma. pr.* color. istis *b.* 276. Caelestem *ΔΠΨΣ b m ma. sec. p; Φ uar. scr.* cuncaua *Γ.* pupis *E.* 277. Illa super aquas 33 *quatuor.* Illa super fluctus fertur *tres.* per quas *E ma. pr.* per aquam *b.* fertur iustissima *BCZm.* fertur mitissima *Σ.* fertur cultissima *M* 29. 278. phrix. *D.* frix. *EGr.* stagna sonantis aquae 20.

Rhoeteumque capax Sigeaque littora transit
Et Tenedon, ueteres Eetionis opes.
Cyclades excipiunt Lesbo post terga relicta,
Quaque Carysteis frangitur unda uadis.
Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas
Icarus et uastae nomina fecit aquae.
Tum laeua Creten, dextra Pelopeidas undas
Deserit, et Veneris sacra Cythera petit.
Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontes et Steropes Acmonidesque solent,
Aequoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris
Respicit a remis, Ausoniamque tenet.

279. Retheumque *DEG*. que rapax *Σ?g* 1220 *octo*; *Ψ uar. scr.* sygeiaque *G*. sigeaque lotaria *m ma. pr.* litora *DEG*. 280. Quin etiam ueteres *T*. Sic, Et tenedon ueter., *BΛOΨh decem et Ald.* 1516. tenedon et ueteres *Gfs*. tenedom et ueteres *Mm ma. pr.* tenedum et ueteres *caeteri*. uet. et iouis op. *A*. etionis (eticionis *sec. Heins.*) *Φ*. eecionis *h*. eticionis *FGΛΨ*. etitionis *g sex*. eritionis *O sex*. emitionis *Γ*. enitionis *E ma. pr. N*. ericionis *B uett. ed.* ethicionis *DMPTfps*. ethitionis *b*. echitionis *C*. echicionis 3. euritionis *E ma. sec.* etycionis *r*. epytionis 633. pygmalionis *m in ras.*; *b uar. scr.* 281. Siclades *Γ*. Cicl. *DE*. Cycl. accipiunt *f ma. pr.*
282. Quaeque *AENP quinque*; *Δ uar. scr.* caristeis *DE*. taristeis *E uar. scr.* charisteis *h*. caristois *C*. caystraeis *p*. geristeis *m ma. pr.* *Pro uadis aliud quid fuisse uidetur in G, pro quo uulgatum enotatum habeo.* 283. ycarium *G*. icar. lassas *CΛPΨm ma. pr. p* 320 *decem*. icar. laxas *duo*. 284. Ycarus *G*. 285. Tunc *ABCEGΦΛMPΨΔTghrs alii et uett. ed.* destra *Φ*. cretem *Tp*. pelopeides *Db ma. pr.* 44. pelopeiades *Π*. pelopeias *E ma. pr.* pelopeadas *P*. pelopeiadas *h*. 286. *Ita*, ueneris, *ABCEΦ* (*test. Heins.*) *ΛMΔbmp* 2033 *quindecim*. et menepi sacra *G*. ueneri sacra *caeteri*. sacra typhera *G*. cithara *DΓ*. cithaera *r Ald. prim.* cithera (*gl.* ut menala gargara) *E*. 287. tinacrium *E*. trinacricum *D*. trinacium *Φ*. tinguere *E*. ubi fingere *g* 2734. *Gloss.* i. e. fabricare, molliter domare *g*. 288. Brontesque et ster. *Γ*(?) 1129. Brontides et ster. *b*. *Ita*, acmonidesque, *ADFGNObmr* 33 *undecim*. agmonidesque *BCEΛΠghp* 20 *quatuor et uett. ed.* acmenidesque *PΔs*. admonidesque *Γ*. armonidesque *Ψ*. acmoenidesque *f*. actonopesque *T*. memonidesque *Φ*. meonidesque *Σ*. aemonidesque *caeteri*. que sonant *A*. que ferunt *duo*. 289. Littoraque *EΓ* 2634. Equoreque astra leg. *D*. Litt. q. affra leg. *E*. Aequoraque alta leg. 20. sardeaque *Γh*. 290. Despicit *T* 31 *duo*; *O uar. scr.* Prospicit *h tres et uett. ed.* Adspicit 8. Aspicit remis *E*. Aspicit et remis *Γ*. Recipit a rem. *G*. Resp. armeniis *t*. Resp. harenis 33 *tres*. que tenent *Bm*.

Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Diuidit et campo liberiore natat:
Omnis eques mixtaque grauis cum plebe senatus
Obuius ad Tusci fluminis ora uenit.
Procedunt pariter matres nataeque nurusque
Quaeque colunt sanctos uirginitate focos.
Sedula fune uiri contento brachia lassant:
Vix subit aduersas hospita nauis aquas.
Sicca diu fuerat tellus, sitis usserat herbas.
Sedit limoso pressa carina uado.
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat,
Adiuuat et fortes uoce sonante manus.
Illa uelut medio stabilis sedet insula ponto.
Attoniti monstro stantque pauentque uiri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit:
Casta quidem, sed non et credita. rumor iniquus
Laeserat, et falsi criminis acta rea est.
Cultus et ornatis uarie prodisse capillis

291. Hostia *D E ma. sec. G r et uett. ed.* 292. liber. fluit *Ψ uar. scr.* 293. Omnis plebs mixt. *m ma. pr.* mistaque *aliq. Heins.* plebe senectus *M uar. scr.* 294. Ouius *C.* 295. Accedunt *unus.* Protendunt *p.* pariter nati matresque uirique *b.* *Ita,* nataeque, *D Λ tres, et ita,* nurusque, 29 33. natique uirique *caeteri omnes.* 296. sancto *r.* col. sacros *Λ s tres.* col. castos *Ψ.* 297. Seduda *E ma. pr.* Sed sua fune *B Ψ m ma. pr. quatuor.* uiri contracto *D tres; s uar. scr.* uiri contorto *s.* brach. lapsant *Φ.* 298. Vix tulit adu. *uett. ed.* auersas *Φ ma. pr. f.* aduersos *Γ.* aduersis h. n. aquis *C m ma. pr. s* 20 *septem.* 299. diu tellus fuerat *Λ b* 27. 300. Sedit arenoso *Π ma. sec.* limosa *Φ.* lim. fessa *N tres et uett. ed.* car. solo 6 34. 301. ad. operis 11. 302. uoce tonante 27. uoce iuuante *unus.* 303. uelud *E Γ.* Illa sedet medio stabilis uelut ins. *quatuor.* 304. Antoniti *Γ.* Att. nostro *p.* pauentque metu *G ma. pr.*
305. Glaudia *G.* genus lauso *C D G Λ M N O P Π Ψ Δ Σ T b r ma. sec. t* 44 *undecim. Gloss. E:* l' lauso a fre .s. ilie. 306. inpar *D.* nobil. fui *A. Gloss. E:* nobilitate] pro ti. 307. *Ita,* non et cred., *A test. Gron. B D E F G Φ M N Δ Σ? f? r* 6 14 33 43 *octo alii.* et om. *C.* non sic credita 20. non est credita *caeteri omnes.* 308. crim. aucta *Φ ma. pr.* 309. Cultus *G.* et om. *E ma. pr. Reliqua ita D F G Φ Γ T Z b g s* 6 13 20 *sex.* ornatus uar. *(caet.) m* 4 33 *septem.* ornatus u. p. capillos *A B Δ f p octo.* ornatos u. fudisse capillos *g s* 2 29 *uett. ed.; M uar. scr.* ornatos u. posuisse capillos 11. ornatus u. posuisse capillos *Δ uar. scr.* ornatos uarie prodisse capillos *reliqui et Φ uar. scr. Gloss. C:* prodisse i. e. manifestasse.

Obfuit, ad rigidos promptaque lingua senes.
Conscia mens recti famae mendacia risit,
Sed nos in uitium credula turba sumus.
Haec ubi castarum processit ab agmine matrum
Et manibus puram fluminis hausit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit in aethera palmas:
Quicumque aspiciunt, mente carere putant:
Summissoque genu uoltus in imagine diuae
Figit, et hos edit crine iacente sonos:
Supplicis alma tuae, genitrix fecunda deorum,
Accipe sub certa condicione preces.
Casta negor. si tu damnas, meruisse fatebor:
Morte luam poenas iudice uicta dea.
Sed si crimen abest, tu nostrae pignora uitae
Re dabis, et castas casta sequere manus.
Dixit, et exiguo funem conamine traxit:

310. Obf. et rigidos *Cbm.* Obf. et ad rigidos *r.* Obf. in rigidos *Π.* Obfuit et rigidi promptaque 20. promtaque *DΓ.* rigid. linguaque prompta *h alii? et uett. ed.* prompta lingua *E ma. pr. f.* lingua senex *E.* lingua senis *E uar. scr.* lingua sonos *caeteri praeter quos sequor, ABCDFGΓΣbfmpr ma. pr. s* 6 10 12 22 33 *tredecim alios.* 311. mens ueri *BΔΣms fragm. Friedl. octo.* mens facti *tres.* recti linguae *P* 3. mendatia *G.* mend. ridet *bg ma. sec. h flor. Berol. aliquot et uett. ed.; Φ uar. scr. test. Heins.* 312. uicium *DEG.* 313. cast. secessit *Σ.* cast. procedit 23. castarum procul exit ab 41. proc. ad agm. 28 33. ab *om. b.* 314. haurit *duo.* 315. inrorat *Γ.* toll. ad aeth. *BOhmps aliquot et uett. ed.* toll. ad sidera *s.* toll. ab aethere *unus.* toll. ad aera *unus.* in aethere *CΦ test. Heins. PΨΣ tres.* in aere *EN alius.* 317. Submissaque *Γ.* uult. *libri, etiam Ilf., praeter A.* uultusque in *P.* in *om. E.* uultus inmagine *D.* 318. Fifit *Γ.* Fixit *h uett. ed.* Egit *M.* et edit eos crine 20. hos egit crine *Ilf. h sex.* hos crine egit iac. *E.* hos legit *unus.* hos reddit 17. senos *E ma. pr.* 319. Subplicis *r.* Suplicis *EΓ.* Simplicis *Σ.* genetrix *Φ? Γb.* gen. secunda *Ilf. D.* gen. facunda *Ψ.* foec. *ed. Elzeu.* 320. Aspice sub 20. certa coitione *Ilf.* conditione *libri praeter G.* 321. Casta negar (*ma. pr.*) sed tu meruisse fat. *f.* dampnas *DEG, non Ilf.*

322. penas *DE, ut semper, non Ilf.* poen. indice *F.* dea est *Δ.*

325, 324, 321, 322, 323, 326 *transp. f.* 323. Si mihi crimen *Db.* Sed si mihi crimen *Σ.* nostrae crimina uitae *G ma. pr.* pignora curae *C.* 324. Rei dabis *B.* Reddas et *DGΔb* 33 *sex.* Reddes et 5 13 20 *quatuor.* sequare *DΔΨb* 5 13 20 33 *decem.* 325. exig. funere con. *Γ.*

Mira, sed et scena testificata loquar:
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo.
Index laetitiae fertur ad astra sonus.
Fluminis ad flexum ueniunt: Tiberina priores
Atria dixerunt. unde sinister abit.
Nox aderat. querno religant a stipite funem,
Dantque leui somno corpora functa cibo.
Lux aderat. querno soluunt a stipite funem:
Ante tamen posito thura dedere foco,
Ante coronarunt puppim et sine labe iuuencam
Mactarunt operum coniugiique rudem.
Est locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum ueste sacerdos
Almonis dominam sacraque lauit aquis.

326. *Ita*, sed et scena, *A Ilf. B F G Γ g ma. pr. m r* 6 20 22 43 *undecim; C uar. scr.* sed e scena *C sex et edd. saec.* XV. sed et scenis 14. sed ex scena *unus.* sed inscena *D E.* sed in scena *caeteri. Ita*, loquar, *A Ilf. B F G Φ Γ Δ M O b h m* 33 *uiginti unus; C uar. scr.* loquor *caeteri et M uar. scr.* 327. sequit ducem *Ilf. ma. pr.*
328. leticiae *D E G.* letic. uenit l' fertur ad *G.* fertur in astra *b* 33 *tres.* 329. Flum. in fluxum uen. *Λ.* ad flexum *om. E ma. pr.* tyberina *Γ.* 330. ..tria *Γ.* Hostia dix. *Φ g.* Ostia dix. *O* 12 13 20 26 33 *quatuor.* sinister adit *b. Gloss. E:* quantum ad situm rome fortassis. 331. Nox erat et querno *h tres et uett. ed.* aderat quae more ligant *Ilf.* quernoque ligant 28. *Sic*, a stipite, *Ilf. B C G Φ O Ψ Z m duo.* querno religarunt stipite *t.* relig. in stipite *caeteri.* 332. sompno *E.* functa mero *Δ f. Hunc et prox. uers. om. O.* 333. Dux ad. *gloss.*: Caesar *C.* Lux erat et querno *h tres et uett. ed.* 334. tura *Ilf.* dedere mero *duo; M uar. scr.*
335. *Ita plane omnia Ilf. C m* 20 *ed. Ald. prim.* Ante coronatam puppem *Δ quatuor.* Ante coronarum puppem *b* 21. Ante coronantur pupp. *unus.* pupem *E r.* puppem *caeteri omnes exceptis Ilf. B C m* 20 22 *quatuor aliis.* puppem (pupem, puppim) sine *omisso et libri reliqui extra A Ilf. B C F Γ Λ T h m p test. Gron.* 4 20 *duodecim et Ald. prim.* 336. operum coniungique *G.* 337. tyberim *D.* tiberin *Γ Σ? b* 11. tiberi *E m r sex.* tib. quem lubr. *Λ.* tib. quo lubr. *Φ Ilf. ma. sec. supra lin. h s nouem et edd. saec.* XV. almon *Π quinque.* 338. *Ita*, ab amne, *Ilf. B C m s* 20 22 *septem; p uar. scr.* in amne *caeteri scripti atque editi et Ilf. ma. sec. supra lin.*
339. Illuc *Ilf. sub ras. m.* purp. casus cum *Π.* purp. castus 6 *sex.* purp. cano cum 41. 340. Almonis deam *f.* dominam flumina lauit *b ma. pr.*

Exululant comites, furiosaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia praecedit laeto celeberrima uoltu,
Credita uix tandem teste pudica dea.
Ipsa sedens plaustro porta est inuecta Capena:
Sparguntur iunctae flore recente boues.
Nasica accepit. templi non perstitit auctor.
Augustus nunc est. ante Metellus erat.
Substitit hic Erato. mora fit, si caetera quaeram.
Dic, inquam, parua cur stipe quaerat opes.
Contulit aes populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait. dandae mos stipis inde manet.
Cur uicibus factis ineant conuiuia, quaero,
Tunc magis indictas concelebrentque dapes.

341. Exullulant *E ma. pr.* Exsultant com. *g ma. sec. duo.* tibia flatu *Cb tres.* 342. Et ferunt *E ma. pr.* Σ. Confert. mollescit aurea terga *b.* moll. taurica *t.* molles aurea *GOfr ma. pr.* 43.

343. Glaudia *G.* Claud. procedit *ps tres.* uult. *libri, etiam Ilf., praeter A.* 344. teste dea est *FΣb.* 345. in uecta *D.* capeta *Ilf. incertum primane an sec. ma. corr.* 346. Sparg. iuncti *EP.* Sparg, uinctae *p* 40 41. Sparg. uictae *tres. Gloss.* Vel iunctae ad currum l' uinctae sertis ad sacrificium *D.* iunctae (uinctae) rore rec. *Ilf. BNms ma. pr. quatuor; p uar. scr.* 347. Nisica *f.* Nasicaque accep. *b ma. sec.* Nasica suscepit templi *p* 20 *sex.* templi nunc perstitit *f.* templi tum perst. *Γ.* templi tunc perst. *EΣm ma. sec. nouem; Ng uar. scr.* templi tunc praestitit *P duo.* templi nunc praestitit 3. templi nam perst. *unus.* templi nam praestitit *unus.* templi ... extitit *Ilf. Videbar sub rasura* tunc *dignoscere.* templi tunc extitit *DGNZ* 12 20 *tres; p uar. scr.* non extitit *Cm ma. pr. s decem.* non praestitit *tres.* non substitit 14. perst. (praest.) actor *PΠf* 3 44 *duo.* 348. *Gloss.* r: erat] ampliator. 349. Sustitit *EΓ.* Subsiste hic *ΛΔg ma. pr.* 43. Subsiste erato mora *f.* eratho *DEGΓbr, Ilf. ma. rec. supra lin.* mora sit *ΛFΔfgm* 43. fit *om. r ma. pr.* mora non fit caetera *ΛΣ. Ita,* si caet., *Ilf. FMΔZfms* 20 33 *tredecim.* fit sed caet. *P.* fit cum caet. *O.* fit dum caet. *h quatuor et Ald. prim.; Ilf. F uar. scr.* fit sic caet. *reliqui. Ita,* quaeram, *Ilf. CZm* 20 33 *tres.* quaeso 26. quaero *caeteri et Ilf. uar. scr.*

350. paruas *unus.* parua cum stipe *s.* cur sepe *b ma. pr.* quaerit Σ. 352. mos stipis huius erat 20. manent *Ilf.* 353. fact. ineunt *Nhr aliquot.* fact. coeunt *unus.* conu. quaedam *ΛCFΦM PΠΔfgpr ma. pr. s* 3. conu. quaeris *duo.* 354. Tum *Ilf. Nm.* inuictas *Ilf. m ma. pr.* 20 *tres.* ind. cur celebrentque (*Heins.* celebrantque *Gron.*) *p uar. scr.* concebrantque *E.* concelebrantque *CDΦΓΛ NOΠΣhrs. Gloss.* r: Tunc magis] quam alio tempore.

Quod bene mutarit sedem Berecyntia, dixit,
Captant mutatis sedibus omen idem.
Institeram, quare primi Megalesia ludi
Vrbe forent nostra. cum dea, sensit enim,
Illa deos, inquit, peperit. cessere parenti,
Principiumque dati Mater honoris habet.
Cur igitur Gallos, qui se excidere, uocamus,
Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, uiridem Cybelen altasque Celaenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit. procul hinc discedite, quis est
Cura bonae mentis. qui bibit inde, furit.
Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
In dominae mensis. an sua causa subest?
Lacte mero ueteres usi narrantur et herbis,
Sponte sua si quas terra ferebat, ait:
Candidus elisae miscetur caseus herbae,
Cognoscat priscos ut dea prisca cibos.

Postera cum caelo motis Pallantias astris

355. Quid *m.* mutauit *Ilf. BCNΨ.* mutarat *Γr.* berechinth. *Γ.* berecinth. *DEG.* 356. sed. omne diem *ed. Vic.* 357. Institerant *g.* Inst. primi quare *Ilf.* magal. *Φ ma. pr.* 358. for. uestra tum dea *Λ.* nostra tunc *Σ.* nostra tum *h uett. ed.* 359. inquid *E ma. pr.* 361. Cur igitur qui sese excecidere uocamus *E ma. pr.*
362. Cur *T.* Con tamen a phr. *Φ.* tanto a *AM* 33. tantum phrygia *BCE ma. pr. m ma. pr. duo.* tant. asitgica gall. *f.* phrig. *Ilf. DG.* frig. *EΓr.* gallia dist. *Π.* distat *MP sex et uett. ed.*
363. Inter enim uir. *N.* cibilen *GΓ.* cibel. *DE.* cilenas *Φb.* selenas *Γ.* 364. Amnus *D.* Amn. id ins. *Ilf. ma. tert. in ras.* Amn. et ins. *m ma. pr.* it in sciticas nom. gall. aquas *P* 3. 365. bibet *Ψ.* 366. bibet *Ψ.* 367. Num 35. herbosam *P* 3. dixi deposuisse muretum *Γ partim corr.* 368. sua cura subest *Ilf. C m ma. pr. tres.* sua cura iubet 12 20. 369. Lacte nouo uet. *ΔO.* usi memorantur *DΓΔb duo; p uar. scr.* usi dicuntur *r.* et herba *Ilf. BC m ma. pr.* 370. ferebat opes *O ma. sec. PΨT* 3 *tres.*
371. elissae *N sex.* elixae *BCDEFGΦΓΛMOPΠΨΔΣTb f m ma. sec. r s t numeris insigniti praeter* 43 *et septem alios.* miscentur *p.* misc. cesaris herb. *Γ ma. pr.* herba *C.* 372. ..onnoscat *Γ.* Agnoscat *Φ alius; g uar. scr.* Cognoscit *m ma. pr.* 33. Cogn. primos *r duo.* cibum *h.* 373. Postea *b.* cum motis caelo *Λ.* palantias *Ilf.* pallantius *f.*

Fulserit, et niueos Luna leuarit equos,
Qui dicet, quondam sacrata est ualle Quirini
Hac Fortuna die Publica, uerus erit.

Tertia lux, memini, ludis erat. at mihi quidam
Spectanti senior contiguusque loco,
Haec, ait, illa dies, Libycis qua Caesar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubae.
Dux mihi Caesar erat, sub quo meruisse tribunus
Glorior. officio praefuit ille meo.
Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
Inter bis quinos usus honore uiros.
Plura locuturi subito seducimur imbre.
Pendula caelestes libra mouebat aquas.

Ante tamen, quam summa dies spectacula sistat,
Ensifer Orion aequore mersus erit.

374. Puls. *b*. Fulcifer et *Σ*. lauarit *Φ ma. pr. Δ Ψ b ma. sec. f tres*. lauabit *unus*. leuabit *F O r quatuor*. leuauit *b ma. pr. h*.
375. Qui dicit *D h* 13 *uett. ed.* est colle quir. *libri exceptis Ilf. C Δ N Σ h m* 1220 *sex aliis*. 376. Ac fort. *Ilf.* dies *C*. puplica *Γ*. pubrica *h*. *Gloss. D:* publica] ad differentiam uirilis. 377. Tercia *Ilf. D E G*. ludis eat 35. ludis erit *caeteri praeter quos sequor, Ilf. E (Z? f?) m* 13 20 33 *duodecim alios*. *Ita*, at mihi, *Ilf. B C D fort. sub ras. E N O Ψ (Σ?) Z m quatuor*. ac mihi *F f s edd. saec.* xv. hac mihi *qui restant et D in ras.* mihi quondam *E ma. pr. M g ma. pr.* 2 *quinque; Ψ uar. scr.* 378. *Ita*, contiguusque, *Δ (f?)*; *g uar. scr.* continuusque *caeteri omnes*. 379. Hae est est ait *t*. Haec erat illa *P*. libicis *Ilf. D E G Γ*. lyb. quo *b*. horis *Ilf. D E G Γ r*.
380. magn. contulit *b g s*. cont. ora *Π*. 381. tribunas *Ilf. ma. pr.* tribunal *Z m tres; C uar. scr. Gloss. D:* meruisse] quod est proprie militum unde ɪɪɪo sine titulo. Era merere iubet. 382. Gratulor *N*. officiis-meis *h duo Ald. prim.* profuit *P* 3 *gloss. b*. praebuit *Γ ma. pr. f*. 383. Hanc mihi *gloss. Δ*. milicia *Γ*. 384. uiros *ma. recentiss. in ras. E. Gloss. D:* Decem erant praefecti iudices scribis et poetis quorum unus fuit ouidius. uel x tribunos. uel inter x decemuiros. 385. locuri *E ma. pr.* *Ita*, seducimur, *Ilf. B D G N Z m p s tres*. deducimur *unus*. subducimur *caeteri, Ilf. supra lineam ma. sec., D uar. scr.* imbri *G*. 386. mou. equos *duo*.
387. tamen *om. E ma. pr.* quam fulua dies *duo*. 388. Ensiler *Γ*. Ensiger *Ilf. C m s* 33 *quinque*. mers. erat *p uar. scr.* *Inter* 388 *et* 389 *inseritur in t distichon:* Si bene praeteritum memini tempusque futurum: In medio cursu tempora ueris erunt.

Proxima uictricem cum Romam inspexerit Eos
Et dederit Phoebo stella fugata locum,
Circus erit pompa celeber numeroque deorum,
Primaque uentosis palma petetur equis.

Hinc Cereris ludi. non est opus indice causa,
Sponte deae munus promeritumque patet.
Messis erant primis uirides mortalibus herbae,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant uiuax de cespite gramen,
Nunc epulae tenera fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. bene erat iam glande reperta,
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta uocato
Mutauit glandes utiliore cibo.
Illa iugo tauros collum praebere coegit:

389. uict. romam cum inspexerit *b*. roma *m*. *Gloss. E:* Proxima] nunc etiam cerealia. 390. phebo *Ilf. alii.* stella rogata *M.*
391. pompa celebris *BEFr ma. pr. septem.* que dierum *T.*
392. Plurima uent. *Δ.* palma feretur *C.* petitur *b ma. pr.* pet. aquis *Cf alius.* 393. Hi *Γ? credo me negligentem fuisse.* Hic *h* 33 *duo; N uar. scr.* Huic *edd. Vic.* Hic ueteris lud. *unus.* cereris causae *Σ.* cereris lucti *b ma. pr.* ind. causae *Ilf. EMg ma. sec. t aliquot et uett. ed.* 394. Spote *D.* Sponte sua mun. *unus; g uar. scr.* mun. per meritumque *B gloss. Λ.* patent *b? r?* 11. 395. *Ita,* Messis, *Ilf. Zf fort. sub ras. m sub ras.* 28 *alius.* Panis *caeteri omnes.* erat *Ilf. BEFGΓΛMNΔfg ma. sec. ps uiginti quinque.* erit *Λ.* er. uirides primis *Ilf. fort. ma. pr. corr. Φb.* primus *CΣg ma. pr. m ma. pr. p.* prim. uides *g ma. pr.* montalibus *Λ.* 396. sollicitata *duo.* 397. *Ita,* uiuax de cespite, *Ilf. BCEΓNmps sedecim.* uiuo de cespite 26. uiuaci cespite *O* 13 33 *alius.* uiuax in cespite *Th alius, uett. ed.* uiuax cum cespite *Π.* uiuax et cespite *b ma. pr.* uiuax ex cespite *Λ alius.* uiuax ecespite *D.* uiuax e cespite *caeteri.*
398. Tunc *Π; Ψ uar. scr.* His ep. *t.* epulae e tenera *T.* epulae in coenam *O ma. pr.* erat *FΦOPTfs nouem; M uar. scr.*
399. Post modo *Ilf.* glans orta est *quatuor; g uar. scr.* est illa iam gl. *Π.* est beneque est iam gl. *Δf.* recepta *b ma. pr.*
400. Puraque *T.* Pluraque *Δ.* 401. Primaque cer. *Γ.* Pabula prima ceres homine ad meliora uoc. *Σ.* *Ita,* homini, *Ilf. CEΨZ m?* 20 *duo.* hominem ad m. a. uocauit *duo.* homine ad *caeteri.* alimenta *om. tres.* mel. elementa *Ph alius.* 402. utiliora *T.*
403. iugis *Λ.* iugo collum tauros *N.* thaur. *D.* collum *ma. sec. Ilf. in longe ampliore rasura.* praeb. iubebat *O.*

Tum primum soles eruta uidit humus.
Aes erat in pretio. chalybeia massa latebat.
Eheu perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres laeta est. et uos optate, coloni,
Perpetuam pacem pacificumque ducem.
Farra deae micaeque licet salientis honorem
Detis, et in ueteres thurea grana focos.
Et si thura aberunt, unctas accendite taedas.
Parua bonae Cereri, sint modo casta, placent.
A boue succincti cultros remouete ministri:
Bos aret. ignauam sacrificate suem.
Apta iugo ceruix non est ferienda securi:
Viuat, et in dura saepe laboret humo.

404. Tunc *BCEFΓbfr plus uiginti.* Dum *m.* prim. sulcos er. *nescio quae prima ed. ab Heinsio inspecta.* 405. Res erat *C uar. scr.* Hes erat *b.* erat *om. Γ.* in pretium 28 33. precio *siue praecio mei. Ita*, chal., 4 13. chalibeia massa *Ilf. Z m ma. pr.* 29 33 35. chalybeaque massa 12 20. chalyb (*addito compendio syllabae is, quod litterae* e *non est dissimile*) iam massa *A.* calibis iam massa *DGΦ Σbfrt, Ilf. et E ma. sec.* calibis missa iam plac. *E ma. pr.* calid' iam mall'a plac. *Γ.* chalybis iam massa *caeteri. Ita*, latebat, *Ilf. G Zfm ma. pr.* 12 20 29 33 35 *quatuor alii; Dg uar. scr.* massa patebat *unus; Δ uar. scr.* massa nitebat 4. massa placebat *caeteri.* 406. *Sic*, Eheu, *A Ilf. BDEFGΓMOPbr* 8 20 21 33 43 *duodecim.* Heheu *ΦNTs.* Heu perp. *g tres.* Heu quam perp. *t* 12 26 *duo.* Heu heu perp. *caeteri.* 407. cer. laesa *ÅF.* est *om. Γ.* est sed uos 20. est at uos *Ilf. BC tres.* obtate *C.* uos orate *ADFGΦΓM OPΠΨΔΣT Ilf. ma. sec. bfghm ma. sec. prst uiginti fere praeterea.* 408. pac. perpetuumque *Ilf. NZhm* 13 *nouem; p uar. scr. Quod recepi in Ilf. ma. pr. margini ascriptum est.* pac. paciferumque *Ψ.* 409. micaeque salis salientis *t; Φ uar. scr.* sal *syllaba in ras. ampliore Ilf.* salientis in ore *P uar. scr. Gloss.* salientis] crepitantis *E.* 410. turea *Eb? r?* uet. thura liquata foc. *T.* uet. taurea dona foc. *m. Sub peruicaci litura Ilf. uidebar legere* aurea mella.

411. Sed si 2. At si 23. tura *Ilf. b? r?* aberint *tres.* aber. iunctas *GPΨΔbg ma. pr.* 3 *tres.* aber. uinctas *ΓM.* acc. pinus 29. acc. faces *tres.* 412. Pauca bonae 6. bonae *in ras. g.* Parua deae cer. *EΓM duo.* cereris *Am.* cer. nil modo *C uar. scr.* cer. si modo 20. cer. dummodo casta 29. 413. *Hunc et seq. uers. transp. Γ.* succinti *Γ.* cultos *D.* cultrum *s quatuor.* cultr. prohibete 6. 414. arat *O.* ignauiam *D.* ignauem *A.* ignauum *FΓT fh* 6 10 22 *sex.* ignaram *Å.* sacrificare *b ma. pr.* 415. ceruix et non fer. *quatuor.* feriunda *r ma. pr.* 416. et induret saepe *Φ.*

233. Tunc quoque *m* 5 *duo*. quoque nec pr. *Ψ*. quoque nunc profer mel. 28 34. ne properes *P* 3 44. 234. pura ueste nitebit humus *libri praeter* (*Φ*? *negligens fuit editor Francof.*) 15 *ma. sec.* 23 *ma. sec.* ueste uirebit 26. *Gloss.* uesta quae est eadem cum igne et terra receperit imaginem lotam et rursus indutam purpura. *E.* quia herbae siccantur uel melius quia terra illa in templo uestae erat circumdata igne artificiose ut infra habetur mox. *g.* 235. Altera post *E ma. pr.* Tercia *D G.* post idus *unus.* licaona *D E ma. pr. G.* lichaona *E ma. sec.* licaonia *b duo.* liconia 20. lycaoni 29. lycaone *duo.* 236. non habitura met. *m ma. pr.* habet illa *p uar. scr.* 237. Tunc memini memet ludos *E.* ego commemini lud. *Ψ.* 238. et didici *C Δ* 12 20. et dixi *b.* thibri *G.* tybri *e.* 239. madancia *D ma. pr.* lina mendatia *E ma. pr.* 240. Quique tangunt *ed. Ven.* teg. prauis *Φ ma. pr.* erare curua *D.*
241. quoque nomen *E ma. pr. Ψ m.* quoque munus *Δ.* del. uidebis *C.* del. fatemur *duo.* 243. rebellabant *g uar. scr.* rebellaras 33 48. et letum *E ma. pr.* letho principis 20. 244. Attonita *r ma. pr.* pertinuere *G.* maur. extimuere 20. 245. met. extulerat *B C E M ma. pr. P Δ T b m r* 3 12 20 21 *quatuordecim.* met. abstulerat *D G N Ψ Σ e g p quindecim et uett. ed.* met. attulerat *M ma. sec. duo.* 246. Suspicit *G sub ras. r ma. pr.* 44. Excipit 20. prot. ipsa *f.* illa fuit *G.* 247. Prospicit *t.* mediis ex luc. 33 *duo.* med. post luc. *unus. Gloss.* interpositis sex diebus inter eam et idus. quod est VI Id'. *D.*

Vesta, faue! tibi nunc operata resoluimus ora,
Ad tua si nobis sacra uenire licet.
In prece totus eram. caelestia numina sensi,
Laetaque purpurea luce refulsit humus.
Non equidem uidi, ualeant mendacia uatum,
Te, dea. nec fueras aspicienda uiro.
Sed quae nescieram, quorumque errore tenebar,
Cognita sunt nullo praecipiente mihi.
Dena quater memorant habuisse Parilia Romam,
Cum flammae custos aede recepta dea est:
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.
Quae nunc aere uides, stipula tunc tecta uideres,
Et paries lento uimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet Atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.
Forma tamen templi quae nunc manet, ante fuisse
Dicitur. et formae causa probanda subest.

249. Vesta sue *b ma. pr.* nunc optata *D.* nunc operosa *ΛM ma. sec. Σ quatuor.* 250. tua sic 41. nob. festa uen. *Ψr* 11.

252. luce resoluit *Δ.* 253. uidi pereant mend. *tres.* mendatia *Ee.* 254. Tu dea *BCΛg quinque et uett. ed.* dea non *FΛΠΣ Tr octo et uett. ed.* fuer. inspicienda *r.* fuer. conspicienda 12 20.

255. nesc. quoque err. *D ma. pr.* quorum err. *f.* errore trabebar *Δeg ma. sec.* 12 20 22 *tres.* 256. Agnita sunt 12. Cogn. nollo sunt praec. *Ψ.* sunt nulla *Cf* 22 *sex.* sunt illa 29. percipiente *N.* michi *E.* 257. Dona *D.* Denaque ter mem. 4 33. *Ita,* paril., 33 *et edd. Vic. Ven.* hab. palladia *B.* palilia *reliqui.* pal. numen *BD G duo; C uar. scr.* pal. nomen *EFΦΛMNPΠΨΔΣTZfmrt quindecim; bp uar. scr.* pal. festa *b alius; p uar. scr.* pal. festum *unus.* 258. Tunc fl. *P.* Dum fl. 2. flamine *Σ.* constos *E ma. pr.* cust. urbe 2. recepta sua est 12 20. est *abi. b ma. pr.*

259. opus quo non placidi *Λ.* op. placidum *Σ* 2 20. quo nunc met. *M.* quo nec met. *m ma. pr.* metuencius *D G.* 260. Nominis *m.* 261. *Ita,* aere uides, *DFGΛΨbg ma. sec. mr* 4 20 33 48 *duodeuiginti.* nunc esse uides *BP* 3. aere uident stip. *g ma. pr.* aere uirent stip. *CΦM ma. pr. ΠΔΣTf sedecim; BΠ uar. scr.* aere nitent stip. *qui restant. Ita,* tecta uideres, 4 13 33 *tres.* tunc texta uidebas 48. tecta uidebant 20 *sub ras.* tecta uiderent *unus.* tecta nitebant *unus.* tecta (stip. nunc aere *b*) uirebant *reliqui omnes.*

262. uim. tectus *Σm sex; CM uar. scr.* 263. qui nunc tenet atr. *ΨT.* 265. Forma tum templi *E ma. pr.* nunc est ante *Φ.*
266. Creditur et *Φ.* prob. fuit *f.* probanda suae est *unus.*

Vesta eadem est et terra. subest uigil ignis utrique:
Significant sedem terra focusque suam.
Terra pilae similis nullo fulcimine nixa
Aere subiecto tam graue pendet onus.
Arce Syracosia suspensus in aere clauso
Stat globus, immensi parua figura poli:
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra. quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi. nullus procurrit in illo
Angulus, a pluuio uendicat imbre tholus.
Cur sit uirginibus, quaeris, dea culta ministris?
Inueniam causas hac quoque parte suas.
Ex Ope Iunonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni. tertia Vesta fuit.
Vtraque nupserunt, ambae peperisse feruntur:

267. eadem quae et terra 4. est et quae terra 48. est quae et terra 28. est quae terra 33. utrique *om. f.* 268. Signarant sed. *E.* Sign. aedem 11. tuam *coni. olim.* 269. fulciminae *D.* fulc. nexa *T*; *M uar. scr.* 270. Aerae *D.* Aere suspenso *Aldus in praef. ed.* 1502. bonus *E.* pend. honor *m ma. pr.* *Post hunc u.* 270 *in codicibus* 4 11 12 (20 *ut suspicor*) 28 29 33 *et alio fortassis tria disticha sequuntur, quae a Roscio Veronensi accepta primus typis expressit Aldus* 1502: Ipsa uolubilitas libratum (subiectum *Ald.*) sustinet orbem, Quique premat partes angulus omnis abest. Cumque sit in media rerum regione locata (locatum 12), Et tangat nullum plusue minusue latus, Ni conuexa (conexa 28 29 33, connexa *tres alii*) foret, parti uicinior esset, Nec medium terrae (terram 4 12 33 *duo alii*, terras 11) mundus haberet onus. *Haec in* 48 (*nisi forte ipse ille* 11 *est*) *inseruntur demum post u.* 274. 271. *Ita*, Arce, *EΦ? Δ Σ? f? r* 28 29. Arte *caeteri.* seracusia *E.* siracusia *D G Φ Σ b f r.* syracusa 11. syracusia *reliqui omnes.* aerae *D.* clausa *b ma. pr.* 272. inmensi *D E G.* imm. facta fig. *Ψ.* fig. soli *E M N octo*; *P Π Δ uar. scr.* fig. pole *b ma. pr.* fig. tholi *duo.*

273. quantum ab summis *F.* quantum summis *N.* tant. distabat ab *E Ψ.* tant. discessit ab *Δ quinque*; *E uar. scr.* tant. discedit *E uar. scr.* tant. successit ab *m ma. pr. s.* tant. discepsit *unus.*

274. Terra quoque ut *F.* Terra ad hoc ut *M.* fiat terra rot. *E Φ Δ Π s ma. pr.* 275. Stat fac. *B.* Pars fac. *e.* null. procubit in *E ma. pr.* null. procumbit in *C m ma. pr.* nullus excurrit in *t.* nullus praecurrit 44. nullusque occurritur illo *edd. Rub. Vic. Ven.*

276. Ang. et pluu. *Δ.* pluuia *b.* a tumulo uend. *g ma. pr.* hymbre *e.* tholus *fort. in ras. D.* 277. sit uirgineis *C* (*Φ?*) *m ma. pr. s* 12 20 22 *quinque.* dea laeta min. 12. 278. Inuenies caus. *Σ.*

279. que creatam *E Π.* 280. tercia *D E G.* ueste *f.*

De tribus impatiens restitit una uiri.
Quid mirum, uirgo si uirgine laeta ministra
Admittit castas in sua sacra manus?
Nec tu aliud Vestam, quam uiuam intellige flammam:
Nataque de flamma corpora nulla uides:
Iure igitur uirgo est, quae semina nulla remittit
Nec capit, et comites uirginitatis amat.
Esse diu stultus Vestae simulacra putaui,
Mox didici curuo nulla subesse tholo.
Ignis inextinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.
Stat ui terra sua. ui stando Vesta uocatur,
Causaque par graii nominis esse potest.
At focus a flammis et quod fouet omnia, dictus:
Qui tamen in primis aedibus ante fuit.
Hinc quoque uestibulum dici reor, unde precamur
Et famur: Vesta est quae loca prima tenet.

282. inpatiens *D.* impaciens *EG.* imp. exstitit *N tres.* 283. ministra est *ΦΔΣb.* 284. Admittat *Φ*; *p uar. scr.* Admisit *T.* Admixit *f.* cast. ad sua *N* 4; *Φ uar. scr.* sua castra 12 20 *duo.* sua iura *Δ alius.* 285. tu *om. cod. Isid. origg.* 8, 11, 68 p. 277 *Lind.* tu aliquid uest. *ΔΠm.* quam castam, meram, *singuli.* uiuam collige fl. *b.* 286. corp. nuda *olim edebatur apud Isidor.* 287. Iure quidem uirg. 12. uirgo quae *N.* 288. uirginitatis habet *ΦM* 4 12 20 33 *octo*; *Ψp uar. scr.* 289. Ecce diu *E.* 290. curuo nullo *E ma. pr.* sub esse *G.* subesse polo *s ma. pr.* subesse solo 33.

291. inext. templum *e.* templo celebratur *quinque.* 292. uesta neque ignis *G.* ign. habet *CEΦ test. Heins. ΔΠΣTb* 12 20 33 *undeuiginti.* 293. *Pars dimidia prior uersus in ras. m.* ui *in ras. b.* terra suo *f.* sua quia stando *s.* 294. par *om. E ma. pr.* Causaque pars graii *CDGΔTg ma. pr. m* 6 20 33 *tredecim*; *Ψp uar. scr.* p. graiis *Π.* p. graeci nom. 20 21 *tres.* 295. Est foc. *Π.* Ast foc. *T.* focus e flammis et quot f. *G.* flammis uel quod *Δ* 12 20. omn. dictis *b ma. pr.* 296. Et tamen *Δ.* Quae tam. *s.* ante fui *b.* 297. Hinc ego *P.* *Ita,* unde precamur, *BDEΦMNΠer alii sine dubio plurimi quos alio loco se notasse significauit Heinsius, uett. ed.*; *p uar. scr.* reor inde precamur *CGΔΣTf.* unde precando *F* 14 29. unde precantes *g ma. sec.* reor inde precando *qui restant et Cf uar. scr.* 298. *Ita,* Et famur, *Δ uar. scr.* Quae famur *BCDE (uterque hic per comp. primae uoculae) GΦΔMNPΠΨTZegm ma. sec. pr* 20 33. Quae tamen uesta quae *m ma. pr.* Que famē u. *f.* Qui f. *f uar. scr.* Quaeramur, Quaeramus uesta quae *singuli quorum in schedis Heinsii nota euanuit.* Affamur uestam quae

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat et mensae credere adesse deos.
Nunc quoque cum fiunt antiquae sacra Vacunae,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquo de more uetustas:
Fert missos Vestae pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et uelant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et Fornacali sunt sua sacra deae.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum seruat pistor dominamque focorum
Et quae pumiceas uersat asella molas.

1429 *alius*. *Ita*, uesta est quae, *BDEGΦΛMNΨefgm ma. sec. pr.* uestra est *quidam sec. ann.* *impr.* famur uestam quae *T uett. editi*; *Φ uar. scr.* famur uesta quae *reliqui qui hucusque indicati sunt.* Dicimus o uesta quae *omnes quorum nulla adhuc mentio facta est, hoc est, ex accurate collatis FΔΣbs Ald. sec.*; *CP uar. scr.* prima tenes *FMNΠ ma. pr. Δfs*; *CP uar. scr.* *De passim collatis in neutram partem constare reor.* 299. Ante deos ol. *E ma. pr.* olim longis cons. scamnis *CNΣms* 20 22 *duodecim*; *ΛΨ uar. scr.* scamnis confidere *D.* scamnis assidere *E.* 300. Mos fuit et mensis cr. *Λ.* mensae credit ad. *M.* 301. Hinc qu. *b alius.* quoque dum *r.* cum fuerint ant. *gp test. Heins. duo.* cum fuerunt *p test. Gron.* fiunt antiqua *E.* uacinae *b ma. sec.* uacuene *r.* lacunae *P* 3. 302. uacanales *Λ.* lacunales *P* 3. stantque *in ras. m.* foco *b ma. pr.*

303. annos aliquid *b fort. sub ras.* 3. annos aliquid de more uetusto *Π ma. sec.* *Ψ* 2 11 29 33 44. 305, 304 *transp. r.* 304. Fert uestae missos *NΠT.* Fert iussos *duo.* uestae parua 11. uestae curua 34 35 36. pura puella *P.* pura putella 3. 305. cor. pane *C.* 306. Et uellant *M.* scabr. florea *tres et edd. Ven. Vic.* florida farra *tres.* fl. sacra *unus.* serta comas 41 *quatuor*; *CMΠΔ uar. scr.* 307. f. loconi *r.* 308. fornicali *BDΦ ma. pr. Δbm tres.* sunt stata s. 3 *quatuor, uett. ed.*; *P uar. scr.* sua festa *E.* sua templa 6. 309. Sub positum *D.* Subpos. *r.* cineri et panem *M.* ipse tenebat *Δ uar. scr.* 310. Sacraque er. *E.* erant *Δs.* tepido *in ras. D.* quassa foco *DEGΦMNPΠΔΣTbeg ma. sec. pr ma. sec.* 20 40 41 *sedecim*; *C uar. scr.* faco *r ma. pr.* *Quod receptum est Pp uar. scr.* *Latere uitium uidetur.* 311. Inde locum *m ma. pr.*; *Pp uar. scr.* foc. pistor seruat *Λ duo.* pastor *m ma. pr.* dominumque *Λ.* que sacrorum *g.* 312. Et quas *CΠ* 33 *quatuor.* puniceas *DEΛMNPΔfr* 3 *triginta unus et edd. saec.* XV; *B C uar. scr.* pun. seruat as. *f.* pun. ussat as. *r.* *Gloss. D*: puniceas m. dicit quia

Praeteream, referamne tuum, rubicunde Priape,
  Dedecus? est multi fabula parua ioci.
Turrigera frontem Cybele redimita corona
  Conuocat aeternos ad sua festa deos:
Conuocat et satyros et, rustica numina, nymphas:
  Silenus, quamuis nemo uocarat, adest.
Nec licet, et longum est epulas narrare deorum.
  In multo nox est peruigilata mero.
Hi temere errabant in opacae uallibus Idae,
  Pars iacet et molli gramine membra leuat,
Hi ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectit
  Et uiridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta iacet placidamque capit secura quietem,
  Sicut erat, positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos nymphasque deasque
  Captat, et errantes fertque refertque pedes.
Aspicit et Vestam. dubium, nymphamne putarit,

in affrica maxime habentur quae est sicca terra. l' pumiceas ponit pro quolibet saxo .i. lapideas. 313. Praeterea ref. *EMPΠΨΔ T egmp ma. sec.* 33 44 *uiginti quinque et edd. saec.* xv. referam ne *DE.* referamue *Λ.* rub. papee *b ma. pr.* 314. est multo f. pl. ioco *Ψ.* fab. plena *CΦMNΠΨΣTbgpst uiginti ferme et edd. saec.* xv. *Quod receptum est ex passim collatis* 3 4 10 12 20 21 33, *tum C uar. scr.* 315. Turrigeram *BCEFGΦ test. Heins. ΛMN PΠΨΔTbefgmprs* 3 *undetriginta et uett. ed.* Thuriferam fr. *Σ.* Turr. cybele frontem *Λ.* cibele *mei.* coronis *ed. Rub.* 316. Aduocat *Φ.* Euocat *duo.* Conu. quadras ad *Ψ.* Conu. ethereos *b.* sua sacra *ΛT duo.* sua fata *ed. Ven.* 317. satyras 23. satir., nimph. *mei.* 318. Sillenus *Er.* nemo uocaret *EFΛMΨTf* 20 *tres.* n. uocauit *N duo.* n. uocarit 11. 319. Non lic. *b.* ep. numerare *EΨTf quinque; ΠΔ uar. scr.* 320. est euigilata (*M?*) est peruigil acta *duo.* 321. Hii *BEFGΛΨ.* Di tem. (*C?*) *NΠ ΔT decem fere edd. Vic. Ven. Ald. prim. sec.* Dii tem. *bt ed. Rub.* opacae collibus *DFGΛPΨΔΣTgmrs* 3 20 *undecim.* ydae *GΣ.*

322. menbra *D.* leuent *E.* leuant *Πr quinque et uett. ed.*

323. Hii *E.* sompnus *E.* brach. uertit *P.* brach. nectunt *b sex et uett. ed.* brach. iactat *Φ et M uar. scr.* 324. Pars uir. *quinque et uett. ed.* 325. que rapit sec. *E.* capit secreta *D.* 326. erat posito *FΛ.* 327. At rubus *b.* At rubet *e.* ruber bortorum *D.* nimph. *mei.* 328. Captet *f.* fretque *r.* 329. dubium est nymph. (nimph.) *libri omnes exceptis C test. Gron. DGΛΣegm ma. pr. rs* 20 33 *sex aliis.* nimph. *G.* nimpham ne *DE.* nymphasne *F.* nymphamque *MT.* ne putaret *DΔ ma. pr.* 44. ne putares *b.* ne puta

An scierit Vestam. scisse sed ipse negat.
Spem capit obscaenam, furtimque accedere temptat,
Et fert suspensos corde micante gradus.
Forte senex, quo uectus erat, Silenus asellum
Liquerat ad ripas lene sonantis aquae.
Ibat, ut inciperet longi deus Hellesponti,
Intempestiuo cum rudit ille sono.
Territa uoce graui surgit dea. conuolat omnis
Turba. per infestas effugit ille manus.
Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
Apta asini flammis indicis exta damus.
Quem tu, diua, memor de pane monilibus ornas:
Cessat opus, uacuae conticuere molae.
Nomine, quam pretio celebratior arce tonantis
Dicam, Pistoris quid uelit ara Iouis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
Fecerat obsidio iam diuturna famem.

uit *fr ma.sec.* 330. An sciret *D G.* An scieret *N Δ ma.pr.* uest. scire *duo et edd.* ***Rub. Vic.*** scisse quod ipse *Δ g.* ipse *in ras. b.* ipse neget *Δ ma.pr.* 331. furtimque ascendere *unus* (*N aut T, oblitterata erat nota*) *uar. scr.* 332. susp. ore mic. *unus.* corde tremente *P* 3. 333. sillenus *E e.* cillenus *Σ.* 334. Liq. in ripam *N Π.* ad ripam *Ψ Σ* 12 20. ripam laeue *Ψ.* 335. ut incepit *b uar. scr.* longi decus *Ψ.* 337. graui fugit dea *duo.* dea cum uolat omn. *N.* dea conuocat 4 *sex.* conu. omnes 4. 338. Torua per 4 33. inf. confugit *Δ.* eff. illa *f* 2 ? 12 20 *quinque.*

339. *Ita*, Lampsacos, *F P g m ma.pr. quinque et uett. ed.* Lapsacos *D G.* Lasacus *C.* Lapsatus *E.* Lausacus *r.* Iam sacro hoc *f.* Lampsacus *reliqui.* Lamps. hunc soli solita *quatuor scripti et edd. Rub. Vic. Ven. Ald. Mediol.* Lamps. hunc aliter solita *duo.* hoc solita est animal mact. *M.* an. solitus mact. *C; P uar. scr.* solita mactare *r.* 340. Apata as. *E ma. pr.* Hinc asini *b; Π p uar. scr.* fl. iudicis *E.* 341. Que tu *s.* Quae tua diua 20. manil. *f.*

342. uac. continuere *Δ.* 343. precio *G ed. Rub.* praecio *E.* quam praecipio *D.* celebracior *D G.* pr. celebrior *M.* pr. pretiosior *N.* cel. ante *e.* cel. arte *f.* arce tonanti *F.* 344. Discant *B C D* (*sed hic per compendium quod sicut imitatus sum* Discatur *legi posset*) *F G Φ Δ M N P Ψ Δ Σ T b e f g p r* 3 44 *reliqui passim collati excepto* 41 *plerique et uett. ed.* Discam *E* 4. Dicant *m ma.pr. quinque alii.* D. pistores *B C D E F Φ Δ M P Ψ Σ b e f m ma.pr. r alii; p uar.scr.* Disc. pastores *G.* pist. quidem uel. *r.* uelit aura *G.*

345. Cuncta *Σ g m ma.pr.; C uar. scr.* 346. obsid. nam diut. *N P* 3.

Iuppiter ad solium superis regale uocatis,
  Incipe, ait Marti. Protinus ille refert:
Scilicet ignotum est, quae sit fortuna malorum,
  Et dolor hic animi uoce querentis eget?
Si tamen, ut referam breuiter mala iuncta pudori,
  Exigis: Alpino Roma sub hoste iacet.
Haec est, cui fuerat promissa potentia rerum?
  Iuppiter, hanc terris impositurus eras?
Iamque suburbanos Etruscaque contudit arma:
  Spes erat in cursu. nunc lare pulsa suo est.
Vidimus ornatos aerata per atria picta
  Veste triumphales occubuisse senes.
Vidimus Iliacae transferri pignora Vestae
  Sede. putant aliquos scilicet esse deos.
At si respicerent, qua uos habitatis in arce,
  Totque domos uestras obsidione premi,
Nil opis in cura scirent superesse deorum,

347. Iupiter *D E.* ad solitum *s.* 349. est *om. D E Δ duo.* fortuna meorum *N fort. recte.* fortuna locorum *Φ T* 40. fort. deorum *unus.* fort. uiarum *unus.* est quo sit romana loco res *Φ uar. scr.*
350. Hic dolor *Φ uar. scr.* quaerentis *E ed. Rub.* uoce dolentis *M.* 351. Sit tam. 44. ut referunt *E.* ref. pariter mala *Ψ.* mala tracta dolore *b.* 352. Exig. alempno roma *E partim sub ras.* hoste fuit *m ma. pr.* 353. fuerat permissa *T.* 354. Iupiter *E.* Iupp. hunc *Ψ.* inpositurus *D.* imp. erat *P Σ b ma. pr. m ma. pr. (p? sex?)*
355. sub urbanos *G.* hetrusc. *e et uett. ed.* contudit *om. E ma. pr.* que contulit *M p test. Gron. r ma. pr.* que concutit *Ψ; p quatuor uar. scr.* que condidit *s; P quatuor uar. scr.* que perculit 20. que uicerat *E et b uar. scr.* 356. Spesque erat *E Σ.* incursu *G.* in crasso uicta repulsa suo 20. cursu nec lare *T b ma. pr.* lare *in ras. m.* nunc pede *F.* est *abi. Ne.* 357. orn. errata *E ma. pr. Σ f ma. sec.* orn. aurata *Ψ* 29. ornatos sacrata *suadeo.* picta *priore syllaba in ras. m.* pincta *f.* 358. triumphalis *E.* triumph. accubuisse *P Π* 3 *duo.* triumph. succubuisse *N* 44 *tres et uett. ed.* tr. concubuisse *Λ Σ.* tr. procubuisse *duo.* 359. Vid. italice *Φ.* transferti *E ma. pr.* transf. pectora *m alius.* transf. numina *s tres.* transf. munera 6 *duo.* transf. praemia *unus; m uar. scr.* pign. gentis *p uar. scr.*
360. Cede *C D F ma. pr. G M P b m ma. pr. p r ma. pr. s* 33 *undetriginta.* Caede *B.* Ede *E.* Aede *Λ Π Σ T r ma. sec.* 7; *p uar. scr.* Cedo *unus.* Caesa *C uar. scr.* *Gloss.:* Cede] pro dic. *C.* putent 29. aliq. solis adesse deos *Δ.* 361. Ha si *b.* uos habitastis *B C D m ma. pr.* uos habitetis *b.* in urbe *duo.* 362. domus *Λ M Δ g octo.* dom. nostras *Ψ.* dom. positas obs. *b ma. pr.* 363. Nil opus *m.*

Et data sollicita thura perire manu.
Atque utinam pugnae pateat locus! arma capessant,
Et si non poterunt exsuperare, cadant.
Nunc inopes uictus ignauaque fata timentes
Monte suo clausos barbara turba premit.
Tunc Venus et lituo pulcher trabeaque Quirinus
Vestaque pro Latio multa locuta suo.
Publica, respondit, cura est pro moenibus istis,
Iuppiter, et poenas Gallia uicta dabit.
Tu modo quae desunt fruges, superesse putentur,
Effice, nec sedes desere, Vesta, tuas.
Quodcumque est solidae cereris, caua machina frangat,
Mollitamque manu duret in igne focus.
Iusserat. et fratris uirgo Saturnia iussis
Annuit, et mediae tempora noctis erant.
Iam ducibus somnum dederat labor. increpat illos
Iuppiter et sacro, quid uelit, ore docet.

in curas scir. *BDEGΨΣegmr* 10 12 20 33 *octo. Gloss.* curas] culturas. quod ipsi homines curam uestri gerunt hoc nihil prodesse eis. l' curam deorum nil prodesse eis cum tot dii defendere non possint eos *D*. 365. capescant *Fr ma. sec.* capescent *b.* capessent *BPΔf alii ut puto quorum desectum uel obsutum erat in uolumine Heinsiano indicium.* 366. poterint *EMΠ* 33 *quinque.* exup. *e et ed. Rub.* exsuperasse *b.* cadent *BCEΦMNPΠΔTr alii passim collati.* 367. Nunc opus et uictos („*aut forte* uictis") ign. *m ma. pr.* inopes uictos *E.* uict. ignara fata *f.* que facta tim. *quinque.* que arma tim. *N.* fata gementes *T duo; g uar. scr.* 368. Morte sua claus. *E.* claus. impia t. 12 20. turba premunt 34. 369. Tum *BΦ?ΠΣ? tres.* et pulcher lituo tr. *DGN.* 370. lacio *G.* latio est multa *E.* suo est *omnes libri praeter BEr duos.* 371. resp. causa est *Π.* moen. urbis *Mp tres.* 372. Iupiter *E.* et poenam *Δ.* et nepas *r ma. pr.* penas gallica *E.* poen. gallica turba *duo.* gallia turba *Π ma. pr.* 373. Tum modo *E.* superesse creduntur *G ma. pr.* sup. credantur *G ma. sec.* superesse uidentur *f.* 374. Eff. ne sed. *Δ.* nec latium des. u. tuum 12 20. 375. Quod superest solidae 12. est cereris solidae *CGNΨΣm.* sol. cereri *s.* mach. franget *Δ.* 376. Mollitumque *r.* Mollitaque *fs.* duret et igne *m.* 377. et iussis u. s. fratris *Δ.* fratr. iuno sat. *g.* sat. dictis *Ψ sex; g uar. scr.* 378. noct. erat *f.* 379. Iam dubiis somn. *b.* sompnum *E.* ded. sopor *M* 29; *p uar. scr.* sop. excitat *M uar. scr.* incr. omnes *Cm.* 380. Iupiter *DE.* sacro qui *Φ ma. pr.* quid uehit *s.* ore iubet *unus.*

Surgite, et in medios de summis arcibus hostes
  Mittite quam minime tradere uoltis, opem.
Somnus abit, quaeruntque nouis ambagibus acti,
  Tradere quam nolint et iubeantur opem.
Esse ceres uisa est. iaciunt Cerealia dona:
  Iacta super galeas scutaque longa sonant.
Posse fame uinci spes excidit. hoste repulso
  Candida Pistori ponitur ara Ioui.
Forte reuertebar festis Vestalibus illac,
  Qua Noua Romano nunc uia iuncta foro est.
Huc pede matronam nudo descendere uidi:
  Obstupui tacitus sustinuique gradum.
Sensit anus uicina loco, iussumque sedere
  Alloquitur quatiens uoce tremente caput:
Hoc, ubi nunc fora sunt, udae tenuere paludes:
  Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,

381. medias *r ma. pr.* med. e summ. *b.* 382. minime mittite uult. *C.* min. mittere uult. 29 33. min. perdere uult. *tres et edd. saec.* XV; *M uar. scr.* min. credere u. *unus.* uultis *libri.* 383. Sompnus *E.* quaeruntque noctis *s.* nou. a bagibus alti *E ma. sec.* 384. quam nolunt *BΣT*; *p uar. scr.* nol. ut iub. *Λ.* 385. Ecce cer. *r s ma. sec.* 13 33 *septem.* ceres uisum est *F uar. scr.* 386. Nacta sup. *b.* gal. sentaque *b ma. pr.* gal. longaque scuta *BΔ* 5 *quatuor et edd. Rub. Ald. prim.* 387. Vincere posse fame spes 11. spes edidit *s ma. pr.* 388. Cand. pistorum pon. *b.* 389. Forte reuectabar 2. reu. sacris uest. *Φ*? 12 21. fest. cerealibus *Π* 20 41. fest. natalibus *duo.* uest. illic *ΨΔ ma. pr.* uestal. illa *ADGNgm decem fere et edd. Rub. Ald.* 390. Qua uia romano nunc noua *EPΔ* 3 *tres et uett. ed.* nunc quoque i. *N.* est *abi.* 34. 391. Hic *Λ.* Hac *tres*; *M uar. scr.* matr. uidi desc. nudo *PT* 3 33 *duo.* 392. Obstipui *G* 12 33. que gradus *bg octo.* 393. Sedit an. *Ψ.* Sentit an. *Σ.* uic. loci 29 33. loco uisumque *C.* loco nullumque *b.* 394. quaciens *G.* capud *E.* 395. *Ita,* Haec, *D (per compendium tamen quod in eo libro alia quoque assignificat) G s nouem et uett. ed.* Hoc ubi *ETZfgm ma. sec. r* 24 28 33. Huc *C.* Hunc *M.* Hac *duo*; *C uar. scr.* Hic *reliqui et CE uar. scr.* sunt undae 4. udae tremuere *FΠ ma. sec. Σbst sex*; *MNΔ octo uar. scr.* udae tumuere *Ψ.* 396. Mane red. *BCDEFGΦΛMPΠΨΔTb ma. sec. fms* 3 40 41, *ex quibus Mp alterum pro uar. scr. habent.* redundanti fossa *E ma. pr. Φeg ma. sec. m* 12 20 33 *quindecim.* A. redundantis *r duo.* fossa redundat *t.* mad. aqua *Φem* 12 20 *quinque.* mad. aquae *duo.* 397. Curcius *Es.* Crutius

Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in circum ducere pompas,
Nil praeter salices cassaque canna fuit.
Saepe suburbanas rediens conuiua per undas
Cantat, et ad nautas ebria uerba iacit.
Nondum conueniens diuersis iste figuris
Nomen ab auerso ceperat amne deus.
Hic quoque lucus erat iuncis et arundine densus
Et pede uelato non adeunda palus.
Stagna recesserunt et aquas sua ripa coercet,
Siccaque nunc tellus. mos tamen ipse manet.
Reddiderat causam. Valeas, anus optima, dixi,
Quod superest aeui molle sit omne tui.
Caetera iam pridem didici puerilibus annis,
Non tamen idcirco praetereunda mihi.
Moenia Dardanides nuper noua fecerat Ilus:
Ilus adhuc Asiae diues habebat opes:
Creditur armiferae signum caeleste Mineruae

Φ. Circius *CDGPΠr ma. sec.* 3 44 *tres.* Cultusque ille locus *E uar. scr.* ille locus *CΛMPΨTmrs* 3 20 *septem et uett. ed.*; 44 *uar. scr.* lacus siccus *C uar. scr.* qui continet *Ψ*. 398. sed fuit ante lacus *P*. 401, 402, 399, 400 *transp. C et uett. ed.* 399. Quae uel. *T.* Quo uelata sol. *p uar. scr.* ueleabra *b.* solent *in ras. m.* uel. sonant *CΨ*. *Gloss.* uelabra] papiliones .ɪ. tentoria *E.* locus dictus est a uelis seruio teste *D.* 400. praet. silices *duo. Ita*, cassaque, *GΣf* (*nisi falsi sunt qui eos libros contulerunt*) *s* 22 23. sal. casaque *m ma. pr.* sal. crassaque *libri reliqui.* 401. per herbas *Ψ*.

402. naut. talia uerba *Ψ*; *ΦΔ uar. scr.* ebr. turba *m ma. pr.* uerba facit 20 *tres.* 403. Non dum *G.* 404. ab aduerso *BCDE ma. pr. FGMNPΠΨΔΣTbfg ma. pr. mrs* 44 *triginta unus et uett. ed.* ab euerso *Λ*. cep. anne *Er. Gloss. D:* Nondum dictus est tiberinus ianus quia nondum habuit templum contra tiberim propter lacum. 405. iuncis *in ras. m.* erat uirgis *M.* erat paucis *b ma. pr.* barundine *DEG.* 406. pede nudato *P* 3. 407. et aquam *m.* cohercet *DEG.* coercent *s.* 408. Succaque *E.* que non tell. *m.* tell. mons t. i. foret *M. Ita*, ipse, *DGΛN alius.* tamen inde 26. tam. iste *unus.* tam. ille *reliqui. Gloss. D:* ipse] distinctionem facit et non significantiam. ipse et non alius. 409. ualeas huic opt. 12 20. 411. *Ita*, Caet., *D.* iam didici pridem *Λ*. 412. Nec tam. *Π*. id circo *D.* iccirco *Ee ed. Rub.* michi *E.* praetereunda puto *DGN duo.* 413. darnides *C.* 414. Ilus *in ras. m.* 415. armigerae *Fe.* sign. uitale 12 20.

Vrbis in Iliacae desiluisse iuga.
Cura uidere fuit. uidi templumque locumque:
Hoc superest illic: Pallada Roma tenet.
Consulitur Smintheus, lucoque obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos:
Aetheream seruate deam, seruabitis urbem:
Imperium secum transferet illa loci.
Seruat, et inclusam summa tenet Ilus in arce:
Curaque ad heredem Laomedonta uenit.
Sub Priamo seruata parum. sic ipsa uolebas
Ex quo iudicio forma reuicta tua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Vlixes,
Seu pius Aeneas eripuisse datur.
Auctor in incerto, res est Romana. tuetur
Vesta, quod assiduo lumine cuncta uidet.
Heu quantum timuere patres, quo tempore Vesta
Arsit, et est tectis obruta pene suis!

416. in *om. b ma. pr.* Vrb. ab il. *T.* il. dissiluisse iugo *b.* il. destituisse *g uar. scr.* desil. iugo *CΦΛΝΠΨΔΣΤg p r s* 13 *uiginti quatuor; M uar. scr.* des. iugis *e quatuor.* 418. Hic sup. *p.* superest illi *Φ* 33. pallida *f ma. pr.* 419. Cons. sintheus *CT; p uar. scr.* cintheus *DGN.* simuthreus *E ma. pr.* Consulitur que deus luc. *E ma. sec.* tuneus *Λ.* linceus *M.* sitheus *ΠΨ; N uar. scr.* cinitheus *P.* scitheus *P uar. scr.* clitheus 3. simitheus *Δ r.* sinthus *Σ.* sithius *b.* simintheus *f.* pithius *g ma. pr.* cynthus *p.* meteus *p uar. scr.* cynthius *s.* phoebus *t.* sicheus 44. sm. (sim.) locoque *E ma. pr. e.* luco obsc. *f.* 420. non inuito *E ma. pr.* non mentitos edidit ore *Π.* reddit ore *r.* 421. Aetheriam *Gb.* 422. Inperium *D.* transferat 22; *p uar. scr.* 423. inclausam *C r.* inclusum *Σ.* ilus *in ras. m.* 424. lamedonta *r.* laom. redit 4 29 33.
425. parum est sic *Λ.* uolebat *N m ma. pr.* 12 22 33 *duo.*
426. iuditio *D.* iudicio est forma *Ef.* forma relata *Σ.* forma retacta 41. forma relicta *duo; F uar. scr.* reu. sua est *N* 12 33 *decem.* reu. suo est *g m* 22. reu. tuo *f, abiecto ut E quoque in fine est.* 427. Seu gener *ΦΜΡΨf m p s* 3 44 *uiginti duo ed. Rub.; CNΔ uar. scr.* seu fustis *D.* furt. captus ul. *M.* furt. notus ul. *T. Gloss. N:* genus et non gener legatur. 428. *Ita,* datur, *p.* aen. eripuisset eam 23. eripuisse palam 44. eripuisse ferunt *reliqui et p uar. scr.* 429. Actor *CΛf* 44. incerto est res *BCEΦΜΝΠΔ e m r s duodeuiginti fere et uett. ed.* res et romana *m duo. Gloss. E:* Auctor] qui rapuit. 430. Vesta quoque ass. *F.* adsid. *G?* lumina *s.* lum. culta *Π alius.* lum. iuncta *r.* 432. est aditis obruta 12 20. obruta casse suis *Ψ.*

Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes,
  Mixtaque erat flammae flamma profana piae.
Attonitae flebant demisso crine ministrae,
  Abstulerat uires corporis ipse timor.
Prouolat in medium et magna, succurrite, uoce,
  Non est officium flere, Metellus ait.
Pignora uirgineis fatalia tollite palmis:
  Non ea sunt uoto, sed rapienda manu.
Me miserum, dubitatis? ait. dubitare uidebat,
  Et pauidas posito procubuisse genu.
Haurit aquas, tollensque manus, ignoscite, dixit,
  Sacra! uir intrabo non adeunda uiro.
Si scelus est, in me commissi poena redundet.
  Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit, et irrupit. Factum dea rapta probauit,
  Pontificisque sui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis sacrae sub Caesare flammae:
  Ignis in Iliacis nunc erit estque focis.
Nullaque dicetur uittas temerasse sacerdos
  Hoc duce, nec uiua defodietur humo.
Sic incesta perit. quia quam uiolauit, in illam

433. Flagr. facti *p uar. scr.* sancti uiolatis *t.* 434. prophana *s.* flamma proterua *EN.* 435. Flebant attonitae dem. *Δ.* Atton. stabant *g.* dimisso *BΨΔgp alius.* crine magistrae *Π.* 437. Praeuolat *CΠb alius.* Peruolat *ΦΨ quatuor; Cp uar. scr.* et uiua succ. 2224 (*sec. sched.*). sucurrite E. 438. est auxilium *C* 4 (*editi saec.* xv?) *Ald. sec.* off. ficte met. *m ma. pr.* 439. toll. flammis *B C Φ M P Ψ Σ T b f g m p r s* 3 *uiginti sex septemue et uett. ed. Alterum CΦ uar. scr.* 441. dubitatis adhuc dub. 14. 442. Et pauido *Σ.* Et pauidos *b.* pauidas pauido *F.* pos. succubuisse *G duo.* pos. subcubuisse *Σ.* pos. procubuere *s.* 443. Haur. aquam *Cbms quatuor.* aq. tollitque *BΠ.* 444. Sacra uir *sine interductu Δ.* Sacra ait intr. *m.* 446. dampno *DEG.* 447. et irrumpit *EΨ?* 23. et eripuit *Φm quatuor; F uar. scr.* et irrupuit *Pfr ma. pr.* 3. et arripuit (*Ψ?*) *T sex; E uar. scr.* et intrauit *t.* 448. Pontificesque *b ma. pr.* sui numine *E alius.* 449. Non bene *m ma. pr.* luc. sacro sub *eg uett. ed.* 450. Ign. et il. *p uar. scr.* nunc erit *in ras. m.* il. tunc erat estq. *g uar. scr.* 451. Nulla dicetur uitam t. *E ma. pr.* u. temerare *EΦMPΠΨΔTbef(p?)r* 44 *uiginti et uett. ed.; C uar. scr.* uitt. temerata *p uar. scr.* 452. duce non uiua *Π.* duce ne uiua diffodiatur *Σ.* nec dura *Δ.* uiua diffodietur *Δ.*

453. Sin incesta parit quia *m ma. pr.* Sic incepta *F.* inc. periit

Conditur, et Tellus Vestaque numen idem.
Tunc sibi Callaico Brutus cognomen ab hoste
Fecit, et Hispanam sanguine tinxit humum.
Scilicet interdum miscentur tristia laetis,
Nec populum toto pectore festa iuuant.
Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque
Perdidit, et leto est ultimus ipse datus.
Parthe, quid exultas? dixit dea. signa remittes,
Quique necem Crassi uendicet, ultor erit.
At simul auritis uiolae demuntur asellis
Et Cereris fruges aspera saxa terunt,
Nauita puppe sedens, delphina uidebimus, inquit,
Humida cum pulso nox erit orta die.

Iam Phryx a nupta quereris Tithone relinqui,
Et uigil eois lucifer exit aquis.

E. quia quae uiolarit in *G.* quia quod uiolarat in *Λ.* in illa *M P Ψ Δ T e g p decem fere et uett. ed.* 454. Cond. est tell. *P Π m.* numen inde *D ma. pr.* idem est *E F Φ Λ N Ψ Δ Σ f g m p s t quindecim fere et uett. ed.* 455. Tum sibi *B C F Φ Λ Ψ T m p decem fere et uett. ed.* sibi collario *B.* collano *B uar. scr.* calliaco *D ma. pr. E F Φ ma. pr. M Π Σ T f m ma. sec.*; *Δ uar. scr.* galliaco *D ma. sec. Φ ma. sec. Λ g p.* celaico *F uar. scr.* callarico *P3.* callimacho *P3 uar. scr.* callacio *Ψ*; *N uar. scr.* celiaco *Δ s.* ciriaco *b.* gallaico *r.* gallaeco 2. collatio 44. colliaco 44 *uar. scr.* calleco *Ald. prim.* br. cognomina ab *E.* cogn. in hoste *Z f?* 20 (*sec. sched.*, 33 *annot. impr.*). *Gloss. E:* per hoc ostendit non esse hunc diem totum fastum. quia hoc die brutus a collaicis populis et crassus a parthis est interemptus.

456. et hispaniam *C D E G Σ e.* tinxet *r.* 458. Ne pop. *E ma. pr. m* 12 20 22 *quinque.* pop. laeto *unus.* pop. tuto *unus.* toto corpore *b.* toto tempore *p.* pect. fasta 29. festa iuuat *P uar. scr.* festa iuuent *m s* 12 20 22 *septem.* 459. eufraten *D E G.* euphratem *Φ.* aqu. natosque *E ma. pr.* aqu. nauimque suasque *b.* 460. ult. ille *Λ g r* 20 *quatuordecim*; *p uar. scr.* 461. exsult. *fort. Heinsiani.* dea tela rem. *T.* remittis *m.* 462. Quaque nec. *m.* uind. (*ita ll. ut uidetur*) alter erit *M T duo*; *Ψ uar. scr.* 463. Et simul *Λ.* hauritis *E.* auratis *B Π.* aur. molae *t edd. Vic. Ven.* dementur *Δ ma. pr. s unus et alter et Ald. prim.* 464. Et ciceris frug. *D.* saxa terent *B D E F Φ N P Ψ Δ T e f s uiginti Ald. prim.*; *p uar. scr.* saxa tenent *Λ quatuor.* s. terrent *edd. Vic. Ven.* s. trahent *p uar. scr.*

465. pupe *D E.* Nau. quippe sed. *M ma. pr.* delph. uidebitis *f s.* inquid *E.* 466. Humida ubi pulso *Π.* cum pulsa *m r duo.*

467. phrix *D G.* frix *E.* titone *D E.* tythone *e.* quer. nupta rel.

Ite, bonae matres, uestrum Matralia festum,
  Flauaque Thebanae reddite liba deae.
Pontibus et magno iuncta est celeberrima circo
  Area, quae posito de boue nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutae sacra parenti
  Sceptriferas Serui templa dedisse manus.
Quae dea sit, quare famulas a limine templi
  Arceat, arcet enim, libaque tosta petat?
Bacche racemiferos hedera redimite capillos,
  Si domus illa tua est, dirige uatis opus.
Arserat obsequio Semele Iouis. accipit Ino
  Te, puer, et summa sedula nutrit ope.
Intumuit Iuno, rapta quod pellice natum
  Educet. at sanguis ille sororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas et imagine falsa,

ed. Ven. tith. relicta 6. 468. Euigil eois *b ma. pr.* lucif. ortus equis *Ψ.* luc. erit *t.* ex. equis *FΦPΔg* 43 41 *undecim; GΠ uar. scr.*
469. uestr. matraida *G.* matrolia *b.* festum est *Ψ m ma. sec.*
470. Tostaque *Φ uar. scr.* tebane *E.* reddita *r.* 471. Fontibus 44; *NΔ uar. scr.* Montibus *coni. Fam. Nardinus.* Pont. in magno *Π.* m. uicta est *p uar. scr.* celeb. baccho *Ψ.* 472. de ioue *m ma. pr.* 473. Hac ubi *D sub ras. ma. pr. ΦMPΔ ma. pr. m p s* 3 *duodecim et uett. ed.; C uar. scr.* Hac (ubi) in luce *ΛMNΠ.* luce ferit *b.* fer. mutatae *CDEFGΦΛPΠΔΣTbfgpr* 3 *duodeuiginti.* fer. naturae *s.* fer. natura *ed. Ven.* fer. maturae *ed. Vic.* 474. Sceptrigeras *ΛP.* seruii *E ma. sec. G; D uar. scr.* t. tulisse *MN.* ded. maris *r ma. pr.* 475. sit *om. b ma. pr.* sit quaerunt fam. *unus.* famulos *F uar. scr.* fam. alimine *E.* a limite *C m ma. pr.* a lumine *Δ.* 476. *Ita,* tosta petat, *CDE (nisi negligens fui: uideo enim ueterem doctum hominem ex E enotasse* petit; *contulit ille tamen indiligenter) Φ? Z m ma. pr.* 20 28 *duo.* testa petis *f.* tosta paret 44. tosta petit *caeteri.* 477. Bache *DE.* edera *Ald. prim.* redimitte *E.* hed. remitte cap. *Σ.* hed. distincte cap. *Z m* 22 28 *schol. Stat. Theb.* 7, 150. 478. dom. alta tua *Σ.* dir. nauis opus *b f ma. sec.* dir. nauis iter *Λ* 11. uatis iter *T.* 479. semile *G.* iou. excipit 1220. acc. io *P.* 480. summa sedulitate fouet *N uar. scr.* sed. fouit ope *N.* sed. mittit ope *m ma. pr.* 481. iuno quod raptum pellice *Π.* iuno raptum quod *CEΛΨΣTbrt undeuiginti et uett. ed.; p uar. scr.* rapta quia pell. *Δ.* pelice *E.* iuno natum quod p. (pelice *DG*) raptum *DGN.* pell. raptum *B uar. scr.* pell. ratum *r ma. pr.* 482. Educat *M ma. pr. N.* Ed. et sang. *MTgm p quinque.* ille furoris *unus.* 483. Hic ag. *duo.* Hinc igitur *Cm* 33 *schol. Stat.* Hinc agitat *P uar. scr.* ag. atham. fur. *edd. Vic. Ven. Ita,* et imag., *CΛZ (m? sec. annot. impr.)* 2? 12 20 33 *sex.* atham.

Tuque cadis patria, parue Learche, manu.
Maesta Learcheas mater tumulauerat umbras,
  Et dederat miseris omnia iusta rogis.
Haec quoque funestos, ut erat, laniata capillos
  Prosilit, et cunis te, Melicerta, rapit.
Est spatio contracta breui, freta bina repellit,
  Vnaque pulsatur terra duabus aquis.
Huc uenit insanis natum complexa lacertis,
  Et secum e celso mittit in alta iugo.
Excipit illaesos Panope centumque sorores,
  Et placido lapsu per sua regna ferunt.
Nondum Leucothea, nondum puer ille Palaemon,
  Verticibus densi Tibridis ora tenent.
Lucus erat. dubium Semelae Stimulaene uocetur:
  Maenadas Ausonias incoluisse ferunt.

sub imag. *ΠΨg* 44 *nouem et uett. ed.*; *ΦMN uar. scr.* atham. in imagine falsus *schol. Stat.* atham. sed imagine *caeteri.* *Gloss. D:* falsa imagine serpentis missi a iunone non furiis ueris ut in metamorphoseon est. 484. Tu cadis a patr. *Δs.* que cadens patr. *schol. Stat.* learce *Dr.* learge *Λ.* laerte *ΦNs.* 485. M. learceas *D.* laerceas *ΦNs.* leerceas *Φ uar. scr.* clearcheas *edd. Vic. Ven.* mat. timulauerat *Φ.* mat. turbauerat u. *duo.* 486. dederant *b.* omn. moesta rog. *Σ.* 487. Hoc qu. *T.* stos *et* los *syllabae in ras. m.* 488. Pros. a cun. *Π.* melicerte *r.* mel. capit *f ma. pr. alius.* mel. petit *s duo.* 489. Et sp. *duo.* spacio *G.* sp. constructa *Σ.* sp. contenta *p.* sp. contacta 20. sp. concreta *schol. Stat. Theb.* 6, 10. 490. que pausatur *Λ.* 491. uen. in propriis nat. *P uar. scr.* 492. Et se de cels. *Π.* E se de cels. *t.* secum celso *Cm.* secum excelso mitt. *BEFΛΨΔTems sedecim.* e summo *unus Heinsii et nescio qui editi.* in astra *duo.*
493. Exc. illaesum *EFMΔTfps* 33 *undeuiginti.* illaesam *BΨ quatuor.* inlaesas *r ma. sec.* 494. pl. lapso *Φ ma. pr.*; lapsos *ma. sec.* 495. *Ita,* leucothea, *Pg* 33 *decem edd. Vic. Ven.* leuchothea non dum *D.* leucothoa *G.* leucothoe *CEΠΔTm ma. sec. ps septem.* leucotoe *Σb.* leucate *r.* leucotheae *e.* leucothee *caeteri.* nond. puerile pal. *m.* 496. Vorticibus *BΦΛΨef*; *P uar. scr.* *Ita,* densi, *emendauit Heinsius.* densis *libri praeter G, qui* Vert. mersis thibridis. tybridis *DE.* ora tenet *Δr.* ora sonant *m ma. pr.* 497. dubium est sem. (stem.) *BFΦΛMΠΨΣTbegprs.* dub. semile *G.* dub. (est) semule *CΨΔ.* est (dub.) semeles *ΦPbgp* 3. est stemele semeleue *Λ.* *Ita,* stimulaene (stimule ne *DE*), *CDEGΦMPΨΔm* 3 20 33 *quatuordecim et uett. ed.* s. stemulene *F.* s. stimuleue *N.* s. simulene *b.* s. stemilene *f.* s. simulesne *gp.* s. famulnene *s.* s. stimelene *reliqui et E ma. sec.* stimulaene uocatur *CPZ tres.* 498. Maen.

Quaerit ab his Ino, quae gens foret: Arcadas esse
Audit et Euandrum sceptra tenere loci.
Dissimulata deam latias Saturnia bacchas
Instimulat fictis insidiosa sonis:
O nimium faciles, o toto pectore captae!
Non uenit haec nostris hospes amica choris.
Fraude petit, sacrique parat cognoscere ritum:
Quo possit poenas pendere, pignus habet.
Vix bene desierat, complent ululatibus auras
Thyades effusis per sua colla comis,
Iniiciuntque manus, puerumque auellere pugnant.
Quos ignorat adhuc, inuocat illa deos:
Dique uirique loci, miserae succurrite matri.
Clamor Auentini saxa propinqua ferit.
Appulerat ripae uaccas Oetaeus Iberas:
Audit, et ad uocem concitus urget iter.
Herculis aduentu quae uim modo ferre parabant,

ausonidas *DGN*. 499. Q. aubisino *b ma. pr.* his iuno *B* (*? C test. Gron.*) *GΣp duo.* his unam quae 33. for. archades *DEGΦr.* for. arcades *BFPΠΔTefgps alii.* for. arcades omnes 26. arc. audit 29. 501. lac. *EG.* bachas *DE.* bacchus *e.* saturnia captas *M uar. scr.* saturnia uaccas *s.* 502. Insimulat *BΠ quinque.* Intumulat *Ψ.* Inst. factis *Δm ma. pr.* inuidiosa *BCΦ test. Heins. MTf.* ins. notis *Δ.* 503. o caeco *p uar. scr.* toto corpore *Cm* 20 *tres.* pect. raptae *BΔ alius.* pect. captas 13. pect. caphe *b ma. pr.* 504. haec uestris *libri praeter BDEGΦ fort. ma. pr. Σ? f? ms* 4 33 *quindecim; p uar. scr., quos sequor.* am. thoris *m; p uar. scr.*

505. cogn. ritus *Δ.* cogn. iocum *t.* 506. Quo poenas possit perdere p. *Σ.* posset *ed. Ven.* poenam *Π.* poen. reddere *T.* poen. soluere *gp; Φ test. Heins. P duo uar. scr.* 507. ul. aures *D.*

508. Thiades *DEr.* Tyades *e.* Th. infusis in (per) *BEMPΠΨΔΣTfgpt* 3 20 *triginta et uett. ed.* inf. (eff.?) per sua *BMΨTg decem fere et uett. ed.* 509. Iniciuntque *DEGr.* auellere *in ras. m.* que reuellere *C ma. pr.* 4 12 20 33 *quinque.* que euellere *N g tres; p uar. scr.* que aduellere *Π duo.* au. (eu. reu.) tentant (temptant) *BCNΣTms undecim et uett. ed.* 510. adh. conuocat *g tres.* inu. ille *Δ.* illa deas *G.* 511. Diique *mei praeter D.* Dique deaeque *m ma. pr.* 512. au. proxima saxa fer. *NΨ* 11. 513. App. ripis *tres.* ripae *om. D ma. pr.* oetaeus *in ras. m.* retheus *CF.* etheus *DGf; C uar. scr.* oetheus *Eer.* atheius *Δ.* uacc. oeteius heros *Ψ.* uacc. tirynthius heros 29. hiberas *DGr.* hyberas *Ee.* 514. uocem certius *Φ uar. scr. test. Heins.* uocem citus *m ma. pr.* 515. modo *in ras. m.*

Turpia femineae terga dedere fugae.
Quid petis hinc, cognorat enim, matertera Bacchi?
An numen quod me, te quoque uexat, ait?
Illa docet partim, partim praesentia nati
Continet, et furiis in scelus isse pudet.
Rumor, ut est uelox, agitatis peruolat alis,
Estque frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hospita Carmentis fidos intrasse penates
Diceris, et longam deposuisse famem.
Liba sua properata manu Tegeaea sacerdos
Traditur et subito cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba iuuant festis Matralibus illam.
Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, o uates, uenientia fata resigna,
Qua licet. hospitiis hoc precor adde meis.
Parua mora est, caelum uates ac numina sumit,

517. Qui pet. *E.* petit *Φ ma. pr.* hinc *om. m ma. pr.* pet. hic *C E Δ M ma. sec. P Π Σ T b p duodeuiginti.* pet. huic *P uar. scr.* pet. hanc *unus.* hinc agnorat 11. h. cognouit *C Ψ m.* 518. At n. *Σ m.* quod te me *T f.* uexat are *b ma. pr.* 519. Ille *b ma. pr.* I. dolet *B C D E F G Φ M P Ψ Δ Σ m ma. sec. p r t* 3 20 40 44 *sedecim*; *N uar. scr.* doc. partem partem *N T.* 520. Et timet et *D.* isse *in ras. m.* scel. ire *Π.* sc. esse *quatuor.* sc. ipse *duo. Gloss. D*: timet] a dolore. 521. uel. agitatus *C.* 522. ino *om. duo.* frequens ideo nomen *unus.* frequens nomen semper in ore *B D E F G Φ Δ M P Π Ψ Δ Σ T b f p r* 40 41 *duodetriginta.* frequens nomen sunr (matris *alibi enotatum*) in 3. ino semper in *C uar. scr.* in orbe *p uar. scr.* ore suum *E Π* 41; *C uar. scr.* ore tuo 44; *M uar. scr.* ore suo *unus.* 523. Hosp. carmentae 12. 524. ceris et *syllabae in ras. m.* Dixeris *f.* Dicceris *r.* dep. famen *G.* dep. fugam *Ψ uar. scr.* 525. tegea *D E F G Φ Δ b f r alii.* 526. Dicitur et *T duo.* Tr. in sub. *C m ma. pr.* 4 13 20 33 *quatuor.* 527. qu. festa iuu. *m ma. pr. Ita*, illam, *Φ M N Δ g m* 6 12 20 33 *tredecim*; *p uar. scr.* matr. ista *Ψ.* matr. (*hic interp. b uett. ed.*) illa *reliqui.*

528. gracior *D G.* sed. grandior ante *unus.* gr. ante f. 33 *octo*; *p uar. scr.* 529. Tunc *E ma. sec. N.* Protinus o uates 12 20. ueniencia *D.* fata *om. r.* resigna *in ras.* 20. 530. Qualibet hosp. *C F duo.* Quam licet *Φ.* Quamlibet hosp. *M.* Quod lic. *E uar. scr.* Quaelibet hosp. *unus.* hospiciis *D E G.* lic. officiis 11. hosp. haec pr. *B D N sex et edd. Vic. Ven.*; *p uar. scr.* adde tuis *b* 11 *alius.* adde meis *unus. Gloss. D*: Vnde elenus aeneae prohibent nam cetera parce. 531. caelum ascendit ac num. *Π* 41. uates *om. f.* uates et numina sentit *C.* numina scandit *duo*; *C uar. scr.* numina soluit *b.* numina sensit *P uar. scr.*

Fitque sui toto pectore plena dei.
Vix illam subito posses cognoscere, tanto
Sanctior et tanto quam modo, maior erat.
Laeta canam. gaude, defuncta laboribus Ino,
Dixit, et huic populo prospera semper ades.
Numen eris pelagi. natum quoque pontus habebit:
In uestris aliud sumite nomen aquis.
Leucothea Graiis, Matuta uocabere nostris.
In portus nato ius erit omne tuo:
Quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet.
Ite, precor, nostris aequus uterque locis.
Annuerat, promissa fides. posuere labores,
Nomina mutarunt. hic deus, illa dea est.
Cur uetet ancillas accedere, quaeritis? odit,
Principiumque odii, si sinat illa, canam.
Vna ministrarum solita est, Cadmei, tuarum
Saepe sub amplexus coniugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit. ab illa
Comperit agricolis semina tosta dari.
Ipsa quidem fecisse negat, sed fama recepit.

532. que suo tecto p. p. deo *Π*. toto corpore *t*. 533. Vixque ill. *M*. illam posses subito *Π*. possis *e m* 20 *quatuor*; *C uar. scr.* poss. agnoscere *Λ tres*. p. connectere *b ma. pr.* 535. can. grande *b ma. pr.* 536. et hinc *E ma. pr.* populo dextera *Π* 41 *tres*. semper adest *Φ*. 537. Numen ades pelagi 4 29 33. p. nomen qu. *b ma. pr.* natumque quoque *D*. quoque portus *g ma. sec. septem*.
538. In nostris *B F Λ N P Π Ψ e g ma. pr. p duodecim fere*. sum. numen *Φ*? *Λ f*. 539. *Ita*, Leucothea, *B G P* 33 *octo et edd. Ven. Vic.* Leuchothea *D*. Leucotoe *Φ*. Leutoipe nostris m. *b*. Leucotheae *e*. Leucotoa *f*. Leucothoe *reliqui*. L. graecis *E ma. pr.* L. grais *D E ma. sec. G*. mututa *D*. matura *E ma. sec.* mutata *F b f m r ma. pr. quatuor*. uoc. graiis *b*. 540. In portu *F e m ma. pr.* In portis *s*. 541. portumnum *B F s* 2 *quinque fere*. portumum *f*. portunnum *e et uett. ed.* sua gens palaemona *Λ*. polaem. *b*. 542. Este prec. *octo scripti et uett. ed.* Ite prior *Δ uar. scr.* prec. uestris *Λ*. 543. Annuerant *tres*. prom. fide 29. fides fides *f*. laborem *b*. 544. est *abi. N*. 545. Cur uetat *B D E F G Φ Λ M N P Π Ψ Δ T b f p duodetriginta*. quaeritus *b*. 546. si sinit *D G Φ N Π duodecim*; *p uar. scr.* sin. ipsa *C Σ? m s* 20 22. 547. *Ita*, cadmei, *m sub ras.*, 12. cathmea *D G*. cadmeia *Σ tres*. chadmea *b*. cadmea *caeteri*. 549. ath. furto dil. *D G N*. 551. Illa qu. *F M N r*. quidem se scisse neg. *N uar. scr.*

Hoc est, cur odio sit tibi serua manus.
Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret:
Ipsa parum felix uisa fuisse parens.
Alterius prolem melius mandabitis illi:
Vtilior Baccho, quam fuit ipsa suis.
Hanc tibi, quo properas, memorant dixisse, Rutili?
Luce mea Marso consul ab hoste cades.
Exitus accessit uerbis, flumenque Toleni
Purpureum mixtis sanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: Pallantide caesus eadem
Didius hostiles ingeminauit opes.
Lux eadem, Fortuna, tua est, auctorque locusque.
Sed superiniectis quis latet iste togis?
Seruius est, hoc constat enim. sed causa latendi
Discrepat, et dubium me quoque mentis habet.

552. Nec est b ma. pr. cur medio Λ. sit sibi Φ alius. 553. Nec tamen Π Ψ. tamen hic pro m ma. pr. mater om. b. adorat 20 quatuor. 555. mand. illis N. mand. inquit Λ 20. mand. inquam 12 33 duo. 556. bacho DE. fuit illa DEFGΦΛPΠΨΔTefg mprs 3 alii et uett. ed. illa meis ed. Ven. 557. Hanc ibi Σ. tibi proposito memorant EFPTf 4 33 sex. tibi (ibi) praeposito memorant ΦΛMNΠ ma pr. ΔΣrt 3 44 undecim; C uar. scr. quo properat m ma. pr. rutulli E. rutuli GΣ uett. ed. rutelli Φ test. Heins. rutilli ΛΠm quatuor. 558. marso uictus ab b. b. cadet Σ.
559. Ex. excessit s. flamenque E ma. pr. Ita, toleni, BDGΦM TZbems 3 20 33 uiginti. tolenum C duo. teloni Ef. coleni Λ. toloni NP duo. tholeni ΠΔΣg Ald. prim.; p uar. scr. telini Ψ. tholoni p. teleni r ma. pr. tolemi r ma. sec. cholemum 44. telonum 48. caleni unus. tholemi tres. theloni reliqui. Gloss. flumen tolenum in aprutio C. forte tholenti g. 560. Purpureo b 27. sang. fulsit Φ. 561. erat cesus palantidem eadem b. pall. uictus P 3 tres et uett. ed. pall. caecus Δf; C uar. scr. pall. cretus m ma. sec. s 4 22 33 duo. p. cetus, cessus singuli. 562. Vidius C (m?). Dindius F. Dilius G. Tulius E ma. sec. Tullius 21 uar. scr. Edimus b. Dubius f. Lidius r. hostiles postr. syll. in ras. m. ing. aquas tres; p uar. scr. 563. fort. tuas est E ma. pr. actorque ΦΛNf. que tuusque unus. 564. Et sup. p uar. scr. scouperini. qui Pf 3. superini. quid Π ma. sec. quatuor; EΦ uar. scr. superinuectis 10. superingestis 26. quis iacet t. lat. ille PΣb 3 duo. lat. ire thoris Λ.
565. Tullius est N uar. scr. est et const. BCDEGΛMNPΔ ΣTbfps 3 33 triginta unus et uett. ed. est etenim constat sed Ψg ma. sec. alius. est iam const. tres; p uar. scr. est o const. 20. constat ibi sed P 3. constat eum sed E ma. sec. tres et uett. ed. enim si causa E. Gloss. D: etenim diuisum ponit. 566. et medium Δ.

Dum dea furtiuos timide profitetur amores,
Caelestemque homini concubuisse pudet:
Arsit enim magno correpta cupidine regis,
Caecaque in hoc uno non fuit illa uiro:
Nocte domum parua solita est intrare fenestra,
Vnde Fenestellae nomina porta tenet.
Nunc pudet, et uoltus uelamine celat amatos,
Oraque sunt multa regia tecta toga.
An magis est uerum post Tulli funera plebem
Confusam placidi morte fuisse ducis?
Nec modus ullus erat: crescebat imagine luctus,
Donec eum positis occuluere togis.
Tertia causa mihi spatio maiore canenda est:
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia coniugio, sceleris mercede, parato
His solita est dictis exstimulare uirum:
Quid iuuat esse pares, te nostrae caede sororis,
Meque tui fratris, si pia uita placet?

dub. nunc quoque 22. quoque tempus habet *B.* habent *edd. Ven. Vic.* 567. Nunc dea *G N.* Tum dea 44 *alii, uett. ed.; C uar. scr.* 568. Cael. que pudet concubuisse uiro *N.* 569. magna *E P T f r quatuordecim et uett. ed.* magni *N Π duo.* mag. correcta *Π.* corr. libidine *T.* 570. hoc solo non erat illa *Φ.* 571. N. demum *D.* 572. fenestratae *C tres.* fenestrale *E ma. pr. Φ Δ N P b s* 20 22 *sex.* fenestrile *P et alius uar. scr.* fenestrallae *T.* fenestrelle *f p decem.* fenestella *m.* fenestralis *e g ma. sec. sex et uett. ed.; T p uar. scr.* nomine *D ma. pr., ead. corr.* nom. parua *unus.* 573. Ne pudent uult. 6; *Φ uar. scr.* uult. *omnes.* uult. celat uelamine am. *f.* cel. amictos *F ma. pr.* cel. amictus *unus.* 575. Sed magis *duo.* tullii *E ma. sec.* fun. phoeben *Λ.* 578. Don. eam *Π m p* 13 20 *quatuor, gloss. t.* Donec compositis *N Δ Σ b e f s decem.* comp. concaluere *Σ.* pos. euoluere *C.* 579. Tercia *D E.* Altera causa 20. spacio *E G.* est *abi. Φ T tres.* 580. Hos *E ma. pr. e.* Et non adductos inter ag. 12 20. tamen admissos *B uar. scr.* tn̄ dadductos *r.* add. inter *Ψ alius.* int. agendus *D.* agamus *unus.* „*Totus hic uersus ma. rec. ascriptus, uetus lectio erasa in m.*" 581. Liuia coni. 20. merc. peracto *E Λ N Π T m r* 20 33 *octo; B M Ψ p uar. scr.* merc. parata *s.* merc. mariti *C uar. scr.* 582. extim. *E e uett. ed.; C uar. scr.* dict. extimulasse *C m s* 20 *quatuor.* dict. sollicitasse *duo,* sollicitare *unus.* 583. Nos iuu. 12 20. Quid uetat *M uar. scr.* esse parem *C uar. scr.* esse parens *m.* 584. pia uota placent *B ma. pr. m ma. pr. alius; p uar. scr.* pia tuta *f.* pia iura *duo et uett. ed.* uita plicet *E ma. pr.* uita iuuat *Ψ; g uar. scr.*

Viuere debuerant et uir meus et tua coniunx,
Si nullum ausuri maius eramus opus.
Et caput et regnum facio dotale parentis:
Si uir es, i, dictas exige dotis opes.
Regia res scelus est. socero cape regna necato,
Et nostras patrio sanguine tinge manus.
Talibus instinctus solio priuatus in alto
Sederat. attonitum uolgus ad arma ruit.
Hinc cruor et caedes, infirmaque uincitur aetas:
Sceptra gener socero rapta Superbus habet.
Ipse sub Esquiliis, ubi erat sua regia, caesus
Concidit in dura sanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta feroxque uias.
Corpus ut aspexit, lacrimis auriga profusis
Restitit. hunc tali corripit illa sono:
Vadis, an expectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, inuitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti. dictus Sceleratus ab illa

585. debuerat *ET*. et ubi meus *b*. 586. *Versus excepto* opus *ma. sec. in subtili rasura D. Post hunc uersum duo folia usque ad 711 desunt in r.* 587. capud *E*. *Ita*, facio, *D G Δ Z g m* 35 36 *decem*. fatio (28?) *unus*. regn. facito dot. *E ma. sec. Π Ψ Σ* 33 34 *quatuor*; *Φ (test. Heins.) Δ uar. scr.* regn. facite dot. *f uar. scr.* regn. faciam dot. *M uar. scr.* regn. facias dot. *unus*; *p uar. scr.* regn. facis est dot. 20. regnum factum dot. *C E ma. pr. Φ P tres*. regn. fatum est dot. *f*. regn. factum est dot. *caeteri et uett. ed. Gloss.* facio] tibi *D*. 588. Et uir *s*. *Ita*, i dict., 14. es in dict. *Φ*. es indictas *caeteri*. exige *in ras. m*. erige *uett. ed.* exige matris opes *Σ*. 589. *s*. capet *r*. *E ma. pr.* 590. tingue *D E ma. sec. G Φ?* 8 34. 591. Tal. instructus *Π Σ e f* 20 34 35 36 *nouem et uett. ed.*; *p uar. scr.* Tal. instructis *b*. 592. uulg. (*ita omnes ll.*) in arma *C Δ Z e f g p s undecim*. 593. Hic *Ald. pr.* Huic *ed. Vic. Ven.* cruor hinc caed. *B C Π* 40 41 *quatuor*. et sedes *b ma. pr.* 594. Rapta socer genero sceptra *M*. gen. socio *T*. 595. Ille sub 44. exquiliis *Cs*. ubi *in ras. m*. esq. ut erat *b*. esquiliis suberat sua 28 33. sua *om. C test. Gron. Sant.* 596. Occidit *M uar. scr.* Conditur *Ψ uar. scr.* in dira *g*. in duram *s*. humum *p uar. scr.* 597. carp. proprios *b*. *Gloss. D*: ad optinendam hereditatem. 600. Perstitit *C uar. scr.* coripit *E ma. pr.* 601. an aspectas *Σ*. exspect. *E alii?* precium *D E G*. piet. amarae *e* 12. piet. iniquum *N* 8 34. 602. inquam uectas ipsa *Π*. inq. inuectas *N*. inq. iniectas *duo*. 603. Dicta

Vicus, et aeterna res ea pressa nota.
Post tamen hoc ausa est templum, monimenta parentis,
Tangere. mira quidem, sed tamen acta loquar:
Signum erat in solio residens sub imagine Tulli;
Dicitur hoc oculis opposuisse manum,
Et uox audita est, uoltus abscondite nostros,
Ne natae uideant ora nefanda meae.
Veste data tegitur. uetat hanc Fortuna moueri,
Et sic e templo est ipsa locuta suo:
Ore reuelato qua primum luce patebit
Seruius, haec positi prima pudoris erit.
Parcite, matronae, uetitas attingere uestes,
Sollemnes satis est ora mouere preces,
Sitque caput semper romano tectus amictu,
Qui rex in nostra septimus urbe fuit.
Arserat hoc templum. signo tamen ille pepercit
Ignis: opem nato Mulciber ipse tulit.

fides sequitur dict. *N.* fid. factis *Π.* facti est dict. *BDFGMΣTbefgp uiginti quinque et uett. ed.; N uar. scr.* ductus scel. *gm ma. pr.* ab illo *b.* *Gloss. D*: Nam rome adhuc uicus est qui inde sceleratus dicitur quia ibi contigit. 604. Victus *b.* et externa *p uar. scr.* nota est *CDEFGΦΔgm ma. sec. nouem et uett. ed.*

605. *Ita*, tamen hoc, *FTms 33 nouem.* tamen est ausa templ. *D.* tamen haec causa est *e.* tamen haec ausa *caeteri.* monum. *Φ? Σ?* 606. tamen apta *ΔMΠΔ 41.* acta canam 1220. *Ita*, loquar, *BDEFGΦΔΨΣp 33 decem.* loquor *qui restant.* 607. in templo *Δ uar. scr.* tullii *E.* 608. Dic. haec *D (per comp.) E ma. sec. GΣ septem.* obposuisse *D.* manus *p. uar. scr.* 609. absc. uestros *Mf ma. pr. ms quinque.* 610. Et n. *Δ.* natae *et* nefanda *in ras. m.* Ne uideant nate *Φ ma. pr.* 611. uet. haec *m ma. pr.* fort. uideri *p uar. scr.* 612. Et mox *t.* sic ex *PΠΨΔms 3 quinque.* est illa *FΔM septem et uett. ed.* est uesta 33. loquuta *E.* ipsa notata *g.* 613. reuelata *E ma. pr.* reuoluto qua *m.* reu. quam pr. *Δ alius.* reu. cum pr. *uett. ed.* patebat *Σm; C uar. scr.* 614. pos. plena *ΔT.* prima ruboris *DG.* pr. pudore perit *m ma. pr.*

615. matronae positas *DGN.* 616. Sollempnes *GΣb.* Solennis *s.* Sollempni *E.* Solemni *CΦ.* Solenni *FΔΨΔTgm 33 quinque.* Solemnes fatis *C uar. scr.* *Ita*, ora, *D.* ore *GN.* est uoce *caeteri.* 617. Sicque *DGPT; C uar. scr.* capud *E.* amictu est *P.* 618. Qui rex romana sextus in urbe *N 23.* in uestra *Δ.* nostra semper in urbe *s duo.* septimus ille *m ma. pr.* in arce fuit *Π 41.* 619. tamen ipse *Δ 20 alius.* 620. mulcifer *DG fort. ma. sec. Π 33 tres.* mulc. ille *BMΔ duo.* mulc. igne *T.*

Namque pater Tulli Volcanus, Ocresia mater
  Praesignis facie Corniculana fuit.
Hanc secum Tanaquil sacris de more peractis
  Iussit in ornatum fundere uina focum.
Hic inter cineres obscaeni forma uirilis
  Aut fuit, aut uisa est. sed fuit illa magis.
Iussa loco captiua sedet. conceptus ab illa
  Seruius a caelo semina gentis habet.
Signa dedit genitor tunc, cum caput igne corusco
  Contigit, inque comis flammeus arsit apex.
Te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede
  Liuia, quam caro praestitit illa uiro.
Disce tamen, ueniens aetas, ubi Liuia nunc est
  Porticus, immensae tecta fuisse domus.
Vrbis opus domus una fuit, spatiumque tenebat,
  Quo breuius muris oppida multa tenent.
Haec aequata solo est nullo sub crimine regni,
  Sed quia luxuria uisa nocere sua est.

621. Nanque *De.* tullii *E.* uulc. (*ita ll.*) oressia *s.* uulc. eressia *Φ* (*test. M.*) *f.* uulc. cresia *B F M P Ψ Σ T g ma. pr. p edd. Ven. Vic.* uulc. cressia *C E Φ* (*t. H.*) *Λ Π Δ b.* uulc. cressaque *D G N.*
622. Praesigni faciem *Z m.* corniculata *P m.* corsiculana *g duo.* certicl'ata *E uar. scr.* 623. more litatis *M ma. pr.* more paratis 23 27. 624. orn. subdere *p uar. scr.* 625. Hinc *septem.* cin. ornati forma 33. cin. ornatas forma 29. cin. obscenaque 49. forma priapi 24. 626. fuit ipsa *D G f*; *Δ uar. scr.* sed magis illa fuit *M g p alii.* sed magis ipsa fuit *b.* 627. Fessa *Π*; *Φ uar. scr.* Fossa *G ma. sec. Ita,* loco, *D G ma. sec. M Δ Σ f.* foco *caeteri.* capt. fouet *s* 22 23. ab illo *M.* illa est *m ma. sec.* 628. Serius *b.* caelo nomina *Σ.* 629. gen tum. *G* (?) „*tres boni.*" gen. tunc et cap. *D.* capud *E G.* cap. ense cor. *D G. Gloss. D:* Hoc tangit quia tullius iam adultus stans in templo orabat et apparuit igneus gladius super caput eius. 640. inque coma *N Π m s* 20 *tres.* inque comas *Λ quatuor*; *C uar. scr.* flamm. haesit *e*; *p uar. scr.* flamm. exit *B F M Ψ Δ Σ T g p uiginti unus.* fl. inquit *unus.* 631. Tunc quoque *B.* 632. quam sacro *D G.* quam claro *g.* quam primo praest. ipsa 29 33. 633. ubi luna *f.* 634. inmensae *D E.* tecta fuere *libri praeter quos sequor, C D G N Π Ψ m* 20 33 41 *quatuor alios.* 635. domus illa *tres.* spaciumque *D E G.* 636. Quod (?) breuibus *P* 3. oppida lata *Ψ.* 637. nullo discrimine *P ma. pr.* sub limine *E ma. pr.* 638. luxuria est uisa *Σ.* est in fine *abi. G P Σ m s* 33 *septem.*

Sustinuit tantas operum subuertere moles
Totque suas heres perdere Çaesar opes.
Sic agitur censura et sic exempla parantur,
Cum uindex alios quod monet, ipse facit.

Nulla nota est ueniente die, quam discere possis.
Idibus inuicto sunt data templa Ioui.
Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores:
Nunc ades o coeptis, flaua Minerua, meis.
Cur uagus incedit tota tibicen in urbe,
Quid sibi personae, quid toga longa uolunt?
Sic ego. sic posita Tritonia cuspide dixit:
Possem utinam doctae uerba referre deae:
Temporibus ueterum tibicinis usus auorum
Magnus et in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat maestis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor. tempusque secutum,

639. Instituit *Π*. Sed timuit tant. *F uar. scr.* op. submittere *unus.*
640. Atque *M*. 641. Sic censura agitur *C*. *Inter hunc et seq. uersum in E interponuntur haec:* l' Scilicet exemplis melius censura probatur .i. appro. 642. *Ita*, uindex, *GZm* 22 *tres.* iudex *caeteri.* alios commonet *Σ*. 643. Nulla mora est *mp duo et uett. ed.* die qua *Φ uar. scr. test. Heins.* die quin *duo et uett. ed. Ita*, discere, *NT duo.* ducere *CEMP decem; p uar. scr.* dicere *caeteri.* posis *E ma. pr.* possim *Z.* „possim, imo possit" *m sub ras.* posses *tres.*
645. quinquatres *BCDE ma. rec. GΦMNPΠΔgs uiginti unus et uett. ed.* quinquatriis *E ma. pr. (uel simile quid); C uar. scr.* quinquatrios *E ma. sec. Σ.* quinquadras *Ψ.* quinquatros *ΔT quinque.* quinquatreis *b. Quod recepi non nisi Fsfmp constat habuisse.* iubeo *s.* narr. priores *FMP* 3. narr. furores *Δ*. 646. Nunc faueas caeptis *T.* ades inceptis *Pt* 3. 648. quid stola *CΠ ma. pr. Zm* 22 25 29 41. toga larga *Ψ*. longa uelit *NΠ*. longa uelint *T*.
649. titonida *Φ*. 650. Possim *m quinque.* Pace uelim doctae 34. Possem nunc pactae *T.* utinam pactae *BDE ma. pr. GMPΨ Σbfp* 3 *duodeuiginti; CF uar. scr.* utinam placitae *F.* utinam tantae *Δ* 35. ut castae *unus; M uar. scr.* ut. magnae *unus.* ut. pacem *unus.* ut. pace *duo.* 651. tibic. ausus *E.* usus amorum *Δ*.
652. Magn. cum magn. *b.* 653. Cantabant 11. 655. secutum (sequutum *E*) est *BEFG ma. sec. ΦΔMNPΠΔΣbep uiginti fere.*

Quod subito graiae frangeret artis opus.
Adde quod aedilis, pompa qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem.
Exilio mutant urbem Tiburque recedunt:
Exilium quodam tempore Tibur erat.
Quaeritur in scena caua tibia, quaeritur aris,
Ducit supremos naenia nulla toros.
Seruierat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure, sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo, turbamque canoram
Conuocat. ad festas conuenit illa dapes.
Nox erat et uinis oculique animique natabant,
Cum praecomposito nuntius ore uenit.
Atque ita, quid cessas conuiuia soluere? dixit:
Auctor uindictae iam uenit ecce tuae.

656. subitum *Λ.* sub. care *f.* sub. gratae *libri praeter quos sequor, B Σ? g m ma. sec. s* 22 28 *quatuor alios. Ita,* opus, *D G Φ Λ N Σ? T* 4 28 33 *quatuor.* opes *caeteri.* 657. ediles *f ma. pr.* pompam 14 33. fun. heret *f.* 658. Artificis *E ma. pr. b ma. pr.* Art. socios *Ψ uar. scr.* Art. solum *b ma. sec.* iusserit *C g m ma. pr.* iuss. ire *D.* 659. Exillo 13 33. mut. urbe *Φ.* mutant urbem *in ras. m.* tyburque *D E G. Gloss. D:* Non mirum quod tam breuiter et obscure loquitur quia historias sumptas de fastis uoluit omnibus esse notas.

660. Exilio *Δ b ma. pr.* quondam *C (test. Gron.) Λ Ψ Δ g ma. pr.; P uar. scr.* tybur *D G.* 661. in cena *M T.* tybia *G.* 662. Dicit (*m?*) Ducis 26. suppremos *G b.* supr. tibia *F; E uar. scr.* thoros *G; E uar. scr.* nulla choros *D E T e g m p s uiginti et uett. ed.*

663. Seruus erat quid. *B E F Φ Λ Π Ψ Δ ma. sec. Σ T b ma. sec. c f g m ma. sec. p* 3 35 36 37 *uiginti quinque et uett. ed.; C P uar. scr.* Seruitio quid. *suprascr. in f.* quanto *in ras. m. Gloss. D:* dignus] quantum ad strenuitatem suam et ideo romani fecerant eum procuratorem suum in tyburi. hic autem quomodo romam redierint uult dicere. 664. Tybure *G.* Tiburis et longo *m.* tempore tibur *s.*

665. Rure suo parat ille dapes *M? N? b ed. Elzeu.* ille suis *m ma. pr.* ille sonoram *e.* 666. Conuenit a. f. conuocat *s.* fest. conuocat 11. conu. ille *G ma. pr.* 667. uin. animique oculique *E F M N.* uin. oculi quacunque *s.* animique uacabant *b ma. pr.*

668. praeconposito *D.* nuncius *D E G.* 669. ita *om. D ma. pr.* ita conuiuas quid cessas *N. Ita,* conuiuia, *D G Z f m s* (12 28 *sec. ann. impr.*) 22 33 *sex alii.* conuiuas *caeteri et f uar. scr.* conu. tollere *unus.* 670. Actor *Λ f alius.* Victor *duo et uett. ed. Ita,* iam, *B M N Ψ g m* 22 (*Ciofani omnes*) *undecim et uett. ed.; Φ p uar. scr.* nam *caeteri.* uenit ipse *Λ tres; N uar. scr.* uenit ille *reliqui (etiam Φ test. Heins.) praeter quos sequor, D G N b ma. pr. f g m s* 22 33 *nouem*

Nec mora, conuiuae ualido titubantia uino
  Membra mouent, dubii stantque labantque pedes.
At dominus, discedite, ait. plaustroque morantes
  Sustulit. in plaustro sirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus motusque merumque,
  Potaque se Tibur turba redire putat.
Iamque per Esquilias romanam intrauerat urbem,
  Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius, ut posset specie numeroque senatum
  Fallere, personis imperat ora tegi:
Admiscetque alios, et ut hunc tibicina coetum
  Augeat, in longis uestibus esse iubet.
Sic reduces bene posse tegi, ne forte notentur
  Contra collegae iussa redisse sui.
Res placuit. cultuque nouo licet idibus uti,
  Et canere ad ueteres uerba iocosa modos.
Haec ubi perdocuit, superest mihi discere, dixi,
  Cur sit Quinquatrus illa uocata dies.

et uett. ed.; p uar. scr. Ita, tuae, *Pgms* 22 33 *septem alii.* suae *caeteri.* 672. stantque mouentque *Σ.* libantque *E ma. pr.* 673. *Postremae syllabae in* discedite *in ras. m.* 674. *Ita,* sirpea, *Φ? quinque ignoti (et edd. saec. XV?)* cirpea *NΣ.* scirpea *caeteri.* scirpea (cirp.) nata *E ma. pr. MNPΠΣb ma. pr. octo alii.* scirpea natta *T.* scirp. matta (12 *ann. impr.*) 22 34. 675. Allicuit *P uar. scr.* metusque *G.* 676. Totaque *EFΦΛMPΨΔTbegm ma. sec. p s uiginti septem; C uar. scr.* Laetaque *Ψ uar. scr.* putant 28.
677. exquil. *e.* 678. fuere choro *C uar. scr.* 679. *Ita,* Claudius, *eg ma. sec.* 25 33 *ma. rec. ed. Mediol.* 1510; 12 *uar. scr.* Cautius *cod. Pigh.* Callidus *caeteri.* possit *f tres.* numeroque senatus *E ma. pr. Fm ma. sec.* 10 33 *tres.* numeroque paratus *BZ* 22 28. numeroque deorum *P uar. scr.* 680. ora tegant *P.* 681. Amiscetque *E.* alias *Π.* al. atque hunc *P.* al. ut et hunc *T.* ut *om. f.* ut haec *duo et edd. Ven. Vic.* tibicine *g ma. sec.* tib. tetum *E ma. pr.* tib. tecum *f.* 682. Audiat *Cf alius; P uar. scr.* uest. ire *duo et uett. ed.*
683. reducem *s.* forte tenentur *M.* forte putentur *unus; g uar. scr.*
684. collige *E ma. pr.* coll. uerba *b.* iussa redire *Φ (test. Heins.) NPΠΨbfgp* 3 *plus uiginti.* iussa uenire 13 33 *duo.* 685. nouo iuuat *Λ (minime F)* 34. nouo libet 7. nouo placet 35. 686. ioc. nothos *m ma. pr.* ioc. melos *p uar. scr.* 687. ubi monstrauit *N.* super est *DE.* mihi *om. E ma. pr.* m. dicere *EPΨb quinque.* m. quaerere *duo.* 688. Quid sit *M.* Cur sint *Ψ.* quinquatris *BCDGΦΛNPΠΨΔΣTgs alius; E uar. scr.* quinquatriis *EF.* quinquatreis *b.* quinquatres *e; C uar. scr.* illa uocanda *Φ.* illa notata *g.*

Martius, inquit, agit tali mea nomine festa,
　Estque sub inuentis haec quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo
　Vt daret, effeci, tibia longa sonos.
Vox placuit. faciem liquidis referentibus undis
　Vidi uirgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est. ualeas mea tibia, dixi.
　Excipit abiectam cespite ripa suo.
Inuentam Satyrus primum miratur. et usum
　Nescit, et inflatam sensit habere sonum.
Et modo dimittit digitis, modo concipit auras:
　Iamque inter nymphas arte superbus erat.
Prouocat et Phoebum: Phoebo superante pependit,
　Caesa recesserunt a cute membra sua.
Sum tamen inuentrix auctorque ego carminis huius:
　Hoc est cur nostros ars colat ista dies.

Tertia lux ueniet, qua tu, Dodoni Thyene,

689. Marcius *G.* *Ita*, agit, *CΔs* 22 33 *quinque.* inquit ait *DE Gb ma. pr. m tres.* inquit habet *caeteri et E ma. sec.* tali sua nomina festo 29. mea nomina *Cb ma. pr. s.* *Gloss. D:* ait] appellauit.

690. sub inuectis *b ma. pr.* sub inceptis *id. ma. sec.* 691. tenebr. *b.* per pauca 12. 692. daret effecti *BE.* 693. plac. liquidis faciem *ΔΣ*? 694. Vidi et uirg. *BEFMΨΔΣes plus uiginti et uett. ed.; P uar. scr.* Vidi ut uirg. *P.* intimuisse *s.*

695. Ars mea 33 *duo.* tanta *Ψ.* ual. caua tibia 26. ual. ars optima dixi *bf* 13; *C uar. scr.* 696. Exhibet *s.* Exc. obiectam *M.* eiectam *P* 3. adiectam *Ψ.* 697. Inuenta *s.* Iniectam *Φ.* satirus *DG.* sat. miratur primus 14. primo *Cm.* mir. at us. 12 20.

698. Nescit at *B.* *Ita*, inflatam, *BΔNΨZfm sex.* efflatam *DE ma. sec. GΦMPΠTp* 3 33 44 *septem.* efflatum *CE ma. pr. Δs octo.* afflatum *Σg duo.* afflatam *qui restant et uett. ed.* sentit *libri praeter quos sequor, BEGΨΔegs uiginti unum et uett. ed.* sentit ab ore son. 28. 699. modo committit *f.* demittit *Ng ma. sec. m ma. sec.* 44. digitos *libri praeter quos sequor, BDGΦΔbm ma. pr.* 13 33 *sex alios.* auram *CΦ.* 700. nimphas *DEG.* subus *E ma. pr.*

702. Cesare cesserunt *b.* menbra *E.* 703. Tunc tamen *Ψ.* actor *f.* auctor quoque carm. *MT.* 704. Haec est *Δ.* Hoc ego cur *E ma. pr.* colit *EΦMΨg tredecim et uett. ed.* col. illa *ΔTb.* ista deos *B.* 705. Tercia *DEΦ.* *Ita*, lux, *CDFGΔMΠΔp* 45 *quindecim.* nox *caeteri.* nox uenit 13. *Ita*, dodoni, *CDEFGΦΔMNΨΔΣTm* 3)4 *uiginti unus; Pfg uar. scr.* didona *Bb.* dodona *f.* sidoni *p alius.* *Ita*, Thyene, *g?* 4 *ed. Elzeu. et aut duodeuiginti*

Stabis Agenorei fronte uidenda bouis.
Haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.
Si qua fides uentis, zephyro date carbasa, nautae:
Cras ueniet uestris ille secundus aquis.

At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos stella serena polos,
Tollet humo ualidos proles Hyriea lacertos:
Continua delphin nocte uidendus erit.
Scilicet hic olim Volscos Aequosque fugatos
Viderat in campis, Algida terra, tuis:
Vnde suburbano clarus, Tuberte, triumpho
Vectus es in niueis, Postume, uictor equis.

Iam sex et totidem luces de mense supersunt,

fere ignoti, aut nulli. thyoni *B.* dione *CEΦΛPΠΨΔΣTe*344 *undeuiginti.* thione *D.* tione *F; g uar. scr.* thiole *G.* theone *M.* dyone *Nb.* etione *f.* tithoni *m ma. pr.* thyone *s. Gloss. D:* Thionus fuit quidam cuius auxilio iupiter aurora potitus est. ideoque fecit eum stellam et transtulit in frontem ipsius tauri. Dodonia uero etiam est creta unde fuit. 706. Stabis *in ras. m.* agenoreae *Σ aliquot ignoti.* fronte tegente *P*3, fronte legenda *unus.* 708. Thibri *G.* etrusas *E ma. pr.* mare mergis 14. 709. zephiro *DE G.* zephiris *Φ.* carbasa *ma, rec. in ras. E.* date uerbera *m ma. pr.*
710. Cr. uenit et *M.* uen. nostris *Φs sex.* 711. Et *F.* eliad. *EGr.* yliadum *N.* ubi traxerit *Φs octo; g uar. scr.* ubi texeris *Λ.* ubi duxerit *m.* 712. Et tinget *E.* cingit *Φ ma. pr. r.* cernet *b uar. scr. Post hunc uersum BCEFΛMNPΠΨΔΣTfgprs*3 *„alii plerique" et uett. ed. inserunt distichon quod supra est* 3, 401, 402, *nisi quod Λ:* sunt hic est austris. 713. Tollit *gp.* humo radios *m ma. pr. Ita,* Hyriea, 5. *Ald. pr.* hyrtea *Z.* hirea *DΦe.* hyroa *b.* hirisca 33 (hyrsea *Mazar.* hyrisea 28 *sec. ann. impr.*) hylaea *edd. Ven. Vic.* 714. *Gloss. D:* Continua] per totam noctem.
715. Sc. huc *G.* Sc. hinc *m ma. pr.* Sc. hoc *s.* uulscos *BDFG MP* 8 32 33 *quindecim.* uolcos *Cb ma. pr.* uulcos *EΦNΠΔΣr.* uulcosque aeq. *Λ alius.* uolgosque aeq. *T.* uollos *tres.* que fugaces *M uar. scr.* 716. Vid. e camp. *Ψe.* alogida *r ma. pr.* alg. turba *Φ.* terra suis *GΛ.* 717. Inde *mp duo; C uar. scr. Ita,* tuberte, 5 48. tyburte *EGefr.* tiburce *Σ.* tuburte 12. tiburte *caeteri.* 718. Victus *G.* niuenis *E ma. pr.* posthume *e.* niu. postmodo *BCDEGΦΛMNPΠΨΔΣTbfg ma. pr. mprst uiginti sex alii. Versus* 725—728 *et* 717—724 *transp. N.*

Huic unum numero tu tamen adde diem.
Sol abit e geminis et cancri signa rubescunt:
Coepit Auentina Pallas in arce coli.

Iam tua, Laomedon, oritur nurus, ortaque noctem
Pellit, et e pratis uda pruina fugit.
Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur
Tunc, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Hanc quoque cum patriis Galatea receperit undis,
Plenaque securae terra quietis erit,
Surgit humo iuuenis telis afflatus auitis,
Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phaedrae, nota est iniuria Thesei:
Deuouit natum credulus ille suum:
Solliciti terrentur equi, frustraque retenti
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.
Exciderat curru, lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat.

720. Hic *C.* Hinc *s.* Huic iterum *NΠ ma. sec. Ψ sex; Δ uar. scr.* numero tunc *T.* 721. S. abiit *P.* ab. a gem. *f* 3 4 33 *quinque.* cancri regna *Φ.* rubescent *Σ.* 722. Cepit *DE.* in arte in arce *E.* in urbe *Π* 41. 723. laumedon o. n. o. q. nactem *E.*

724. Pell. et patris cana *Σ.* et a pr. *T.* *Ita*, uda, *Cgp* 4 33 *septem.* una *DEFGΦ test. Heins. Mfm ma. sec. duo.* ima *BΔm ma. pr. rs septem; F uar. scr.* uerna *Φ test. Matth.* uana *Λ alius; Δ uar. scr.* orta *duo.* cana *qui restant et uett. ed. Gloss. D*: una] tantum. 725. is es *r.* summato *Φ.* templa fuerunt *P* 3. *Gloss. D:* forsitan ideo summano ut romani semper summi et inuicti essent. 726. Tum *EGNΠΣ?m sex.* pirre *DEG.* p. cauendus *Λ alius.* 727. *Ita*, Hanc, *f?p quatuor; C uar. scr.* Hunc *caeteri.* cum patris *E.* galethea *C.* galathea *DEr.* reciperit *E.* receperat *T.* 728. qu. erat *Φb ma. pr.* 729. Surget *Δb.* iuu. stellis *BEGΦΛMΨΔΣbefgmprs* 4 33 *duodeuiginti.* iuu. flammis *CDFΠT* 41 *quinque; M uar. scr.* aflatus *E.* affl. acutis 4 28 33.

730. geminas *FMΔs.* porriget *b ma. sec.* 732. nat. crudelis *E ma. pr.* cred. ipse *Λ.* *Inter hunc et seq. uersum* 4 13 28 29 33 *interponunt distichon*: Non impune pius iuuenis troezena petebat: Diuidit obstantes pectore taurus aquas. 733. Sollicitum *g.* Soll. turbantur 12. 734. scop. currum *unus.* saxa ferunt *unus.*

735. Exc. quamuis *F.* loris morantibus *E ma. pr.* loris remorantibus *g ma. pr. duo.* loris et morantibus *s.* 736. Ypolitus *D.* Ipolitus *E.* Hypolitus *Gr.*

Reddideratque animam multum indignante Diana:
Nulla, Coronides, causa doloris, ait,
Namque pio iuueni uitam sine uolnere reddam,
Et cedent arti tristia fata meae.
Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci manibus illa prius
Tunc, cum obseruatas anguis descendit ad umbras
Vsus et auxilio est augur ab angue dato:
Pectora ter tetigit, ter uerba salubria dixit,
Depositum terra sustulit ille caput.
Lucus eum nemorisque sui Dictynna recessu
Celat: Aricino Virbius ille lacu.
At Clymenus Clothoque dolent, haec fila reneri,

737. Reddatque *E ma. pr.* Perdideratque *Φ test. Matth. (ma. sec. test. Heins.) M t.* Edideratque *Φ test. Heins.* indign. minerua *f alius.* ind. nouerca *duo.* ind. puella *Ψ uar. scr.* 738. *Syll.* des *in ras. m.* dol. erit *Φ M Σ duo; N uar. scr.* 739. Nanque *D.* Nam pio *E ma. pr.* Iamque *Δ g tres.* Ianque *r ma. sec.* sine crimine *g alius.*
740. Excedent *F.* cedant *g ma. pr. tres.* credent *s.* trist. facta *F N b ma. pr. sub ras.* 741. cont. loculo depr. eburno *Δ.* depromsit *unus.* demisit *unus.* 742. glauci piscibus *unus.* illa piis *s.* 743. Tum *G e f.* Tunc obseruatas *Σ r* 23 *et uett. ed.* Tunc conseruatas *M.* cum seruatas *Δ.* cum seruatis *s.* cum obseruandas 44. *Ita,* obs. anguis, 23. obs. augur *caeteri. Ita,* desc. ad umbras, *g duo.* desc. ad herbas 44. desc. in herbis *s.* desc. in herbas *caeteri.* in undas *N uar. scr.* 744. Vsus ab auxilio augur *s.* et auxilio anguis ab *D.* est anguis ab *reliqui omnes. Nam emendaui. Gloss. D:* anguis ab angue] escolapius a glauco iam angue in posterioribus qui ostendit ei easdem herbas quibus et ipse mutatus est.
745. Pectore *E ma. pr.* uerba precantia *Ψ.* 746. Pepos. *r ma. pr.* 747. Luc. erat nem. *T t.* Luc. enim *m ma. pr.* nemoris sui *E ma. pr. f.* que tui *p uar. scr.* dictinna *D G.* dithinna *E ma. sec. in lacuna a ma. pr. relicta.* dicthurna *r.* recessus *Z.* 748. aricinio *G.* arisino *b ma. pr.* acricuiuo *f.* ille latet *Ψ.* ille locus *T.* ille loco *Π.* ille loco est 41. lacu est *E Δ m ma. sec. p alii.* 749. At climenes *F G.* At limenus *Φ test. Heins. Δ s* 23. At limeneus *E ma. pr. alius.* At dimenis *E ma. sec.* At limens *P.* At limen *Φ test. Matth. In (C?) Z m* 22 *et tribus aliis rasurae.* At lachesis (lacesis *r*) *caeteri, etiam C test. Santen.* lachesis cimenesque dol. *C test. Sant.* clotoque *D E G Φ b e r. Pro hac uoce et seqq. ras. in s. Ita,* dol. haec, *C E Φ M P Π Ψ Δ Σ? f? g m p* 8 30 31 32 33 34 35 36 *tredecim.* dol. hoc *F.* dol. hic *T edd. Ven. Vic.* dol. sua *caeteri et F uar. scr.* haec filia *E.* sua fata *F uar. scr. Ita,* reneri, *(G? credo errasse uirum humanissimum Gottingensem) coni. Salmasius.* teneri *libri.*

Hic fieri regni iura minora sui.
Iuppiter exemplum ueritus direxit in illum
Fulmina, qui nimiae mouerat artis opem.
Phoebe, querebaris. deus est, placare parenti.
Propter te, fieri quod uetat, ipse facit.

Non ego te, quamuis properabis uincere, Caesar,
Si uetat auspicium, signa mouere uelim.
Sint tibi Flaminius Trasimenaque littora testes,
Per uolucres aequos multa monere deos.
Tempora si ueteris quaeris temeraria damni,
Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Postera lux melior. superat Masinissa Syphacem,
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.
Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.
Quam cito uenerunt Fortunae Fortis honores!
Post septem luces Iunius actus erit.

750. *Ita*, Hic, **BDFGΦΛMΠΔΣ?bf?mrs** *decem et edd. Ven. Vic.* Hunc **C.** Haec **E**; **CP** *uar. scr.* Sic **P.** Hinc **Δ** *uar. scr.* Hoc **T.** Et fieri *caeteri.* regna *g.* 751. Iupiter **E.** exemplo **CDGm** 28 33. extemplo **Z.** dilexit **D.** dixerit *r ma. pr.* in ipsum **BCEG PΠΨΔTfgmprs** 33 *uiginti quatuor et uett. ed.* 752. Flumina **Pb** *ma. pr.* *r ma. pr.* qua uenie *b ma. pr.* qui mirae **Ψ**; **M** *uar. scr.* *Ita*, mouerat, **Z** 12 28 *tres.* uouerat **ΨT** *alius.* nouerat *caeteri.* artis opus 29. 754. te flere **C** *test. Heins.* te fleri **DFΦ** *test. Heins.* **Tbfg** *ma. pr.* *r duodecim*; **Ep** *uar. scr.* te flecti *m.* quod facit ipsa uetat *p.* quod facit ipse uetat 34 35 *quatuor.* quod facis ipse uetat *duo.* uetat ille **N.** uetat ipsa uetat *f.* 756. Si uetet **BCG?Φ bmpr** 33 *sex.* Si mouet **Σ.** signa monere *m.* 757. Sunt **BFP Π** *decem fere et uett. ed.* Si tibi **Σ.** flam. trans menia litt. **E.** thrasim. *e.* littera **D** *ma. pr.* littora restant **Σ.** 758. aeq. signa **N** *uar. scr.* multa mouere **BEFΦMPΠΨb** *ma. pr.* **mprst** 3 33 *nouem.*

759. si quaeras (uet.?) **Λ.** si querereris (uet.?) 12. dampni **EG.**

760. Quantus *m ma. pr.* Quintus **DFGΦ** *test. H.* **P** 4 12 33 *quatuor.* extremo est mense **Λ.** extr. mensibus ille die *unus.* mense erit ille 4 12 33. bis esse *uett. ed.* 761. P'modo lux **E** *ma. pr.* Proxima **N.** supera *b ma. pr.* masanissa **B?F?Λ?Ψ?gm** *alii.* masinisa **P.** siph. **DG.** sif. *s.* 762. cec. bellis **M** *uar. scr.* cec. terris 10. hastrubal **DE** *ma. sec.* tel. haterbal **E** *ma. pr.* asdr. *f.* hasdr. ille *g* quin-

Ite, deam laeti Fortem celebrate, Quirites:
  In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
  Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatae iuuenum conuiuia lintres,
  Multaque per medias uina bibantur aquas.
Plebs colit hanc quia qui posuit, de plebe fuisse
  Fertur et ex humili sceptra tulisse loco.
Conuenit et seruis, serua quia Tullius ortus
  Constituit dubiae templa propinqua deae.
Ecce suburbana rediens male sobrius aede
  Ad stellas aliquis talia uerba iacit:
Zona latet tua nunc, et cras fortasse latebit,
  Dehinc erit, Orion, aspicienda mihi.
At si non esset potus, dixisset eadem
  Venturum tempus solstitiale die.

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt
  Hic, ubi fit docta multa corona manu.

que. 763. tacitis senesc. *Φ*. 764. Effugiunt *D G N*. non retinente *N duo*. non reuocante *tres*. 765. Et cito *Φ*. 766. Per sept. *P b p*. mens. iulius *s*. iun. auctus *b r ma. pr.* 767. laeti fortes *D G P quinque*. 768. In tybridis *r*. ripa numina *p uar. scr.*
769. pede pars etiam *in ras. m.* cel. discurrite *tres*. dec. ripa *E ma. pr.* cimba *D G*. 770. Ne pud. *Λ*. 771. coronati *p*. conulentes *b ma. pr.* lyntres *e*. 772. uina labantur *D Φ*. bibuntur *P*. bibentur *T*. 773. colat *M ma. sec. s sex*. quia quae *T*. quia quod *s*. qui coluit *E ma. sec. F Π ma. sec. s*. 774. ex facili *b*. sc. tenere *P 3 tres*. sc. fuisse *Φ alius*. 776. Costituit *E*. 777. sub urbana *G*. suburbane ueniens male *Σ*. suburb. residens male *Δ P b 3 tres*; *p uar. scr.* 778. aliquas *e*. al. ebria *unus*. uerba facit *r s tres*; *Ψ uar. scr.* uerba dabit *Ψ uar. scr.* 779. Dona (*in alio Heinsii uolumine* Dapa) *C uar. scr.* 780. Deinde erit *unus*. Deh. orion erit *Π T*. or. conspicienda *Ψ quinque*; *p uar. scr.* michi *D E*.
781. Et si *g*. esset pulsus *B C D E F G Φ Λ M P Ψ Δ Σ b f g m r s t 3 4 4 septendecim*; *N uar. scr.* esset stultus *N 8 30 tres*; *Φ P 3 uar. scr.* *Quod recepi E G t uar. scr.* eodem *b e*; *p uar. scr.* 782. Venturum *in ras. m.* Vent. nobis *s*. solsticiale *D E G*. solstitiose *b ma. pr.* 783. Lucif. ueniente *b*. subeunte die del. *s*. 784. Hoc *C uar. scr.* Hec *b*. ubi sit *f*. multa *in ras. g*. *Gloss. E*: Hic] in cannis.

Tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora iugi.

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae.

Tempus Iuleis cras est natale kalendis,
Pierides, coeptis addite summa meis.
Dicite, Pierides, quis uos adiunxerit isti,
Cui dedit inuitas uicta nouerca manus.
Sic ego. sic Clio. clari monimenta Philippi
Aspicis. unde trahit Marcia casta genus,
Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco,
In qua par facies nobilitate sua,
Par animo quoque forma suo respondet. in illa
Et genus et facies ingeniumque simul.
Nec quod laudamus formam, tam turpe putaris:
Laudamus magnas hac quoque parte deas.

785. Tunc idem *B.* *Ita*, stator aedis habet, *m* 4 28 33 *duo; p uar. scr.* id. statoris habet *D E ma. pr. G Σ Z g r.* id. statoris adest *duo.* id. staturus erit 14. statoris erat *unus.* statoris erit *caeteri et E ma. sec. Ita*, quam, 28 33; *p uar. scr.* quem *Ψ.* quae *f.* quae, quia *bini.* quo *unus.* quod *caeteri.* rom. idem *C uar. scr.* 786. concidit *Λ.* ora rogi *T.* 787. nom. partis *Φ.* parthis *N Σ; P Π uar. scr.* 788. Condita sunt *Φ Σ tres.* Cum data tarbeae *Ψ.* data sint *B G duo.* sunt turbe *E ma. pr. s tres.* sunt umbrae *duo.* trab. regna *unus. Gloss. E:* tibi trabeato. 789. hyuleis *E ma. pr.* cal. *e.* 790. Pyerides *E.* ceptis *D E.* 791. Discite *Λ.* pyer. *E.* pier. qui uos *G Φ N.* quid uos *Λ f. Ita*, adduxerit, *B C D F G Φ Λ M N Ψ Σ T g m ma. pr.* 33 44 *tredecim et uett. ed.* adiunxerit *p* 3 *quatuor; N uar. scr.* adiunxerat *P alius.* adixeris *s.* addixerit *caeteri.* ad illi *p; C uar. scr.* add. istic *Ψ quatuor.* ad istuc *Σ T r* 33 44 *sex; P uar. scr.* adi. istis *p uar. scr.* add. illuc *uett. ed.* 792. Cum *s.* ded. inuictas *E G M Δ e g ma. sec. m p r undeuiginti.* 793. monum. *Heinsiani?* 794. *sq.* Martia *libri exceptis, quos seq., E Φ? Ψ* 33 *alio.* 795. Antia *g uar. scr.* sacr. nomen deductum *r. Gloss. E:* Hec fuit uxor maximi in cuius domo educata fuit uxor ouidii. 796. qua pars *Φ T.* par facie nobilitate *Φ uar. scr.* nobilitate fuit *M N octo.* nobil. sui *b.* sua est *E P Ψ e g* 2)3 33 *octo.*

797. *Hic et seq. uersus in b omissi in ordine sed ma. pr. in margine suppleti: de Φ. sciens fallit Burm.* Pars *Φ ma. pr.* respondit *B D F M N f ma. pr. et aliquot.* 798. Et gens *unus.* 799. Nec

Nupta fuit quondam matertera Caesaris illi.
O decus, o sacra femina digna domo!
Sic cecinit Clio. doctae assensere sorores,
Annuit Alcides increpuitque lyra.

quam *F*. Nec quid *b ma. pr.* Nec quia *r*. laud. tam formam *Ψ*. laud. forma 11. form. tu turpe *Ebs et pauci*. putabis *Σ*. 801. Iuncta fuit *ΠΔ* 41 *duo*. fuit quoddam *E*. 802. decus et o *f*. sacro f. d. thoro *T*. sacro f. d. deo *p uar. scr.* digna uiro *m ma. pr. tres; M uar. scr.* 803. doctae assentire *b ma. pr.* 804. lira *ΦΣb r.* lyram *Pp* 33 *duo*. OVIDII NASONIS FASTORVM LIBER EXPLICIT VI. *B*. Explicit. liber. ouidii. de fastis. *E*. EXPLICIT LIBER OVIDII FASTORVM. *FΔ*. Explicit Ouidius fastorum *G*. EXPLICIT SEXTVS OVIDII FASTORVM. *P*. EXPLICIT O. DE FASTIS. *Δ*. Explicit ouidius fastorum *T*. P. OVIDII NASONIS FASTORVM LIBER SEXTVS ET VLTIMVS EXPLICIT. *p*. Ouidii Nasonis liber de fastis explicit. *b*. Finis est Ouidii fastorum *m*. Explicit .o. de fastis. *r* *In g ma. sec. r ma. sec.* 28 29 33 et *alio Sfortiano exordium libri septimi* (finis libri VI fastorum, incipit VII. *g*) *hoc erat:* Si nouus a Iani sacris numerabitur annus Quintilis (Quinct. *r*) falso nomine dictus erit (eris *g*). Si facis, ut fuerant, primas a marte kalendas Tempora constabunt ordine ducta (quaeque *g r*) suo. „*Noribergae uidi antiquam editionem, cui adscriptum erat: Reliqui sex libri seruantur apud presbyterum in pago prope Vlmam. principium septimi:* Tu quoque mutati caussas et nomina mensis A te qui canitur, maxime Caesar, habes. *Scriptum manu C. Celtis Protacii.*" *I. F. Gronouius.*

I. INDEX SCRIPTORVM ET MONVMENTORVM IN PROLEGOMENIS EMENDATORVM EXPLICATORVMVE ET EORVM QVAE INEDITA ADHVC PROFERVNTVR ADHIBENTVRVE.

II. INDEX LOCORVM IN PROLEGOMENIS EXPLICATORVM.

Quae a Burmanniana editione differunt cruce signauimus; locos coniectura tentatos asterisco non omnes fortasse annotauimus.

LIB. I.

LIB. IV.

LIB. V.

His indicibus conficiendis otium auctori deerat: quamobrem, lector erudite, dabis ueniam si quae sine illo administrari commode non poterant transacta sunt ut potuerunt. ille enim laboribus et curis ualde attritus postremis prolegomenon paginis absolutis in profectionem sese abripuit et inter uale dicendum, partim etiam litteris ex itineris stationibus datis mandauit amicis haec libro subscribenda.

Prolegg. p. xvi de exemplo fastorum Maffeanorum Sigoniano minime rem esse incertam aiebat: inueniri enim anni 1555 editionem in annalium officinae Aldinae Renouardi p. 166 sq. ed. tert.

p. lxxxvii de erraticis stellis Nigidii solebat acerbe sese obiurgare et miseros dicere amicos quibus tam miserum errorem excusandum relinqueret.

p. cvi non multo cautius fragmentum Varronis a Lydo satis dubia fide traditum scripsit praetermissum ab editoribus, cum extet annotatum iam apud Spengelium, perfectissimum grammaticum, ed. Varr. p. 121: cf. Fussium ad Lydi l. l. et Müll. ad Varr. de l. l. V. §. 118.

p. cclix de Vertumno *iniquo* (ubi l. 39 leg. Horat. sat. 2, 7, 14) agnouit errorem dixitque meruisse se eam poenam quod monere uoluerit a Iacobo u. dss. monita.

p. cclxx putabat iniuria omissum a se Laur. Lydum qui apud Ouidium 4, 422 *Aetna* iamiam legisse uideatur, cum scripserit de mens. IV. 85 p. 107 Bekk.: *ἐν Αἴτνῃ δὲ τῆς Σικελίας τὴν ἁρπαγὴν μυθολογοῦσι τῆς Κόρης.*

Intelligebat noster Merkelius miraturos multos in indice signa crucis quibus explicatio ex prolegomenis erui nulla posset: negabat ex instituto suo totum id incommodum deuitari potuisse: minui potuisse aiebat et exemplis utebatur 1, 186 de *niueo cado* conferens Platonis comici fr. inc. IX. uol. II. p. 684 Mein. *ἀργὴν δὲ λύσας στάμνον εὐώδους κοτοῦ*: ita enim putabat scribi potuisse. idem 3, 113 nolebat scripturam a se receptam improbari nisi quis perpendisset Seruii testimonium

ad Aen. 8, 653: *tenebat*] *defendebat et est militare uerbum, ut etiam Sallustius dixit,* coll. eod. ad 9, 168; 470.

Postremo in annotatione uerbis Ouidianis subiecta, cuius rationem non egere explicatione, cautum esse de uitiis a se testabatur quantum potuerit, a typographo quantum debuerit, mandauitque ideo publice laudandum hominem perdiligentem cui nomen est *Perlwitz.* peccata haec obseruauerat: ad 1, 317 perperam positum punctum inter *sub* et *ras.*, ad 2, 18 post *Π* 41 ante *N Π* omissam scripturam *uacas.*

In uersibus Ouidianis haec emendanda enotauimus: 1, 705 leg. praecedit 2, 119. 163 mille 2, 220 aquas 2, 643 dele uirgulam post testu 2, 786 l. comiter 3, 443 feruntur 3, 753 crabronum 4, 141 rorantes unda] l. sudantes rore (cf. p. CCLXXXVII). in Prolegomenis praeter numerorum quandam in locis citatis inconstantiam quae a carmine Ouidiano ad Prolegomena sese conferenti non facile incommodabit p. V l. 11 lege 164 p. XXII l. 25 Pighii p. XXXII l. 36 condicio p. XLVI l. 19 lib. 6, 94 p. XLIX extr. domo p. LI l. 33: 682 (Burm.; 680 Merk.) p. LXIV l. 30 *nodi* p. LXV l. 5 Cruquii l. 11: 765 (B.; 759 M.) p. LXVII l. 14 enchirid. p. LXXII extr. 6, 196 p. LXXXIV l. 27: 5, 537 p. CIV l. 32 historico p. CXIII l. 9 ἔμψυχον p. CXXXV l. 16 epod. p. CXXXIX l. 2 in] id p. CLVII l. 5: 6, 239 p. CLXIII l. 32: 3, 882; 4, 624 p. CLXX l. 36: 627 l. 37: 6, 208 p. CLXXIII l. 32: 291 l. 37: 2, 491 p. CLXXIV l. 6: 2, 639 p. CLXXVII l. 40 *triumphari* p. CLXXXIV l. 2: 388 p. CXCIX l. 21: 521 p. CCIV l. 14 pontificum p. CCVII inscr. INCERTIS p. CCXIII l. 22 Manibus. p. CCXIV l. 8 Roman. p. CCXXIX l. 38 dele 19 p. CCXXXIII l. 21 leg. templum p. CCXXXVII l. 35: 3, 6, 8 p. CCXLIII l. 3 p. 221 Kr. p. CCXLVI l. 28: 4, 95 p. CCXLVII extr. *Naupactoo* p. CCLVII l. 14: 5, 148 p. CCLXI l. 36 *propago*







